


JLSE fecit
EX LIBRIS
Dr. FRIED. HENDEL.



DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.; REGG. ORDINUM DE WASA ET DAN. DE DANNEBROG EQUITE; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS, SOCIETAT. HORTULANÆ GOTHOBURGENSIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI ET SOCIET. HISTOR. NATUR. HARZIÆ CORRESPONDENTE.

TOMUS NONUS.

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,

SUMTIBUS REGIIS.

1850.

Viro Celeberrimo

Dom. Professori C. H. BOHEMAN,

AD REGNI MUSEUM ZOOLOGICO-ENTOMOLOGICUM PRÆFECTO,
REGII ORDINIS DE STELLA POLARI EQVITI,
REG. ACAD. SCIENTIAR. HOLM., ETC., MEMBRO,

dicatus.

CLASSIS 2:da. NEMOCERA.

(*Tipulariæ* Auctor.)

Fam. 40. HIRTEIDES. Billb.

209. HIRTEA Fabr.

Corpus magnum l. mediocre, oblongum, plerumque (in ♂) distincte hirsutum. Antennæ capite nonnihil breviores, porrectæ, crassiusculæ, cylindricæ, perfoliatæ, 9-articulatæ, articulo ultimo rotundato. Palpi exserti, cylindrici, pilosuli, 5-articulati, articulo 1:mo brevissimo, reliquis subæque longis. Oculi integri, in viva nigri. Ocelli 3. Thorax muticus; sutura transversa nulla, at collare distinctum. Scutellum parvum. Abdomen oblongum, 8-annulatum, laxum. Alæ abdomine paullo longiores, incumbentes, latiusculæ, nudæ, nigræ, fuscæ, aut albidæ, vix umquam vitreæ, plerumque macula stigmaticali notatæ. Ex apice areæ discoidalis oblongæ, mox pone medium alæ terminantis, tres nervi simplices integri in marginem interiorem emittuntur. Nervus costalis crassiusculus nonnihil ante apicem alæ desinit, ibique cum 2:o longitudinali conjunctus; interior marginalis nullus. Squamæ vix ullæ. Halteres perspicui. Pedes sulcati, inæqvales, intermedii brevissimi, postici longissimi. Femora antica crassa. Tibiæ anticæ apice spinis 2, una elongata, posteriores bicalcaratæ. Pulvilli 3. *Color* corporis ater, thoracis in ♀ raro ferrugineus. *Motu* tarda; tempore sereno mares pedibus posticis pendulis in aëre non alte choreas instituunt. *Habitatio* in floribus, graminosis & foliis fruticum, tempore præsertim vernali. Larvæ cylindricæ, hirtulæ, brunneo-griseæ, capite nigro, in fimetis & terra pingvi sub hieme degere plerarumque specierum dicuntur. *Differentia sexus; mas:* corpore magis villoso, capite rotundato, oculis magnis dense hirsutis, in fronte arcte contiguis; *femina:* plerumque magis denudata, capite ovato, de-

presso, oculis parvis lateralibus rotundis remotis, minus hirsutis l. nudis, pedibus interdum rufis. *Typus* generis: *H. Marci.*

1 *Marci* Linn. (*Tipula brevicornis* Linn. ♂) ♂♀. 2 *Pomonæ* Fabr. (*Tip. Marci fulvipes* Deg.) ♂♀. 3 *leucoptera* Meig. ♂♀. 4 *hortulana* Linn. ♂♀. 5 *rufipes* Meig. ♂♀. 6 *fulvipes* Zett. ♂ (an etiam ♀?). 7 *Umbellatarum* Zett. ♂ (♀?). 8 *varipes* Meig. (*Bibio villosus* Meig.? ♂ — *Hirtea rudis* Fries) ♂♀. 9 *nigriventris* Halid. ♀. 10 *venosa* Meig. Klass. (*Bib. nervosus* Meig. Dipl.) ♂♀. 11 *vernalis* Meig. (Ejusdem *Bib. lanigerus* & *Bib. laniger*) ♂♀. 12 *ferruginata* Linn. (*Tipul. flavicaudis* Deg.) ♂♀. 13 *Johannis* Linn. (*Hirtea præcox* & *Pyri* Fabr.) ♂♀. 14 *lacteipennis* Zett. (*Bibio albipennis* Meig., non Wiedem.) ♂♀. 15 *festinans* Fries ♂♀. 16 *clavipes* Meig. (*Hirt. Johannis* Fabr., non Linn. — *Bib. dorsalis* Meig. — *Hirt. Ephippium* Zett. Ins. Lapp. — *Hirt. flagellipes* Fries — *Bib. flavicollis* Meig. hujus varietas) ♂♀.

1. *H. Marci:* nigro-pilosa nitida atra, pedibus concoloribus; alis in ♂ albidis, costa obscure brunnea, in ♀ nigricantibus, costa saturatiori, stigmate in utroque sexu elongato nigro. ♂♀. (Long. 5 lin. & ultra).

Meig. Klassif. 1. 108. 2. Fabr. Antl. 52. 5. ♀. — *Tipula Marci* Linn. Fn. Sv. p. 436. n:o 1765. ♀. Syst. Nat. 2. 976. 38. ♀. Deg. Ins. 6. 428. 33. ♂♀. — *Bibio Marci* Geoffr. Ins. Paris. 1762. 2. 570. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 1. 311. 2. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 178. 4. ♂♀. T. 4. f. 19. ♂. Löw, Linnæa Entom. Stett. 1846. 1. p. 343. ♂♀. *Tipula brevicornis* Linn. Fn. Sv. 436. 1766. ♂. Syst. Nat. 2. 976.

42. ♂. Fabr. Ent. Syst. 4. 248. 71. ♂. *Hirtea* eadem Fabr. Antl. 50. 1. ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali & media usque ad Holmiam, primo vere vulgaris, in copula sæpissime deprehensa; in provinciis magis borealibus & Lapponia haud observata, quantum noverim. (E Neuenkirchen Germaniæ a D. *Dahlbom*, & e Finlandia a D. *Sahlberg* plures mares obtinui).

♂♀. In hoc genere magna, tota atra nitida & nigro-pilosa. Alæ in ♂ albidæ, nervis ad marginem costalem validis obscuris, reliquis tenuioribus albo-subpellucidis; in ♀ nigricantes l. nigro-brunneæ, nervis validis ad costam nigris, reliqvis sordide albidis; costa in utroque sexu halteribusque nigris. Pulvilli albi.

Obs. 1. Ad citat. Linn. Fn. Sv. D. *Löw* l. c. *Tipulam Marci* ut marem, & *Tipul. brevicornem* ut feminam consideravit; sed vice versa erit.

Obs. 2. Specimina 2 mascula totidemque feminea e Messina Siciliæ (in foliis Thapsiæ garganicæ capta) a D. *Zeller*, & solitarium masculum e Melita a D. *Schembri* obtinui, quæ ad *Bibionem siculum* Löw, Linnæa 1846. 344. 3. sine dubio referenda. Mas mari *Hirteæ Marci* ut ovum ovo simillimus, nec, quantum observare potuerim, ab illo differt nisi magnitudine nonnihil minore (long. circiter 4 lin.), & pedibus præsertim posticis brevius tenuiusque pilosulis. Femina *Bibionis siculi* (seu *Bib. fulviventris* Macqv.) contra, abdomine toto, excepta macula segmenti 1:mi magna nigra, rufo-ferrugineo, a femina *Hirteæ Marci*, aperte discrepat. Directio verò nervorum in alis ("radix nervi furcati prope nervulum transversum obliquum sita"), quam Cel. *Löw* ut hujus notam distinctivam a *B. Marci* ("radice nervi furcati a nervulo transverso obliquo remota") l. c. attulit, meo saltem oculo in ambabus speciebus simillima videtur, ratione habita magnitudine insectorum.

2. *H. Pomonæ:* nigro-pilosa nitida atra, femoribus rufo-ferrugineis; alis albo-hyalinis, costa usque ad stigma oblongum fuscum fuscana. ♂♀. (Long. 5 lin. & ultra).

Meig. Klass. 1. 109. 3. Fabr. Antl. 53. 7. ♀. Zett. Ins. Lapp. 798. 1. ♂♀. — *Tipula pomonæ* Fabr. Ent. Syst. 4. 249. 74. ♀. Sulzer, Herbst, Gmel., Donovan. — *Bibio pomonæ* Latr. Gen. 4. 266. Meig. Dipt. 1. 312. 3. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 179. 6. ♂♀. Löw, Linnæa 1846 1. 342. 1. ♂♀. *Tipula Marci fulvipes* Deg. Ins. 6. 429. 34. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, graminosis & floribus præsertim Jun. & Jul., per Scandinaviam Septentrionalem (alpibus nivalibus exceptis) vulgaris, in copula multoties deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mulfjellen non parce; in Bottnia boreali circa Luleå & Torneå passim; in Lapponia Tornensi usque ad Witttangi & Muonioniska procedens; in Norwegia a Christiania usque ad Nordcap frequens, ad Thynäs & Näs Værdaliæ mense Julio mihi imprimis copiose obvia; e provinciis borealibus in Sveciæ partem mitiorem descendit & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, atque in Ostrogothia ex. gr. in monte Omberg & ad Godegård rarius a me lecta; in pratis ad prædium Tubbetorp Westrogothiæ 21 Jul. 1849, D. *Dahlbom;* ad Esperöd Scaniæ marem etiam semel deprehendi 1 Aug.; in Dania raro, D. *Stæger.* (In hortis Gryphicis a *W. Krey* ♀ Aug. parcissime inventa — Etiam e Finlandia (♂♀) a D. *Sahlberg*, & ex Helvetia ♀ communicata.)

♂♀. Magnitudo & statura prioris, alis etiam in ♀ albidis & femoribus in utroque sexu rufis mox dignota. Alæ cinereo-al-

bidæ, nervis ad marginem anticum validis obscuris, reliquis tenuibus albo-pellucidis. Costa a basi ad stigma dilute fuscana. Stigma subfuscum, parum distinctum. Halteres nigri. Pedes pubescentes cum coxis & trochanteribus nigri. Femora rufo-ferruginea, geniculis summis nigris. Spinæ in apice tibiarum rufæ. Variat præsertim pedum posticorum tibiis & metatarsis obscure rufis l. piceis. — ♂ distincte nigro-pilosus, ♀ breviter nigro-pubescens, unde species a *Fabricio*, qui forte solam feminam vidit, "glabra" describitur.

3. *H. leucoptera:* nitida atra; *mas:* nigro pilosus, alis totis albis, stigmate nigro; *femina:* nudiuscula, alis nigricantibus, stigmate nigro. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 3 $\frac{1}{2}$ lin.)

Meig. Klassif. 1. 110. 5. *Bib. leucopterus* Meig. Dipt. 1. 313. 4. ♂.

Hab. in silvis versus finem mensis Maji in Dania passim copiose, D. *Stæger*, qui specimina utriusque sexus mihi benevole communicavit.

♂♀. Similis duabus antecedentibus, sed costanter minor, & ab *H. Marci*, cui proxime accedit, maris alis totis niveis, nec costa fusca, feminæ corpore magis denudato, & in utroque sexu ramulis nervi furcati (ex area discoidali excurrentibus) ad apicem alæ minus divergentibus & fere æque longis, nec inferiori breviore, vere distincta. *Mas:* totus atro-pilosus. Alæ lacteæ, nervis ad costam nigris distinctis, inferioribus tenuibus, albis; stigmate ovali, costæ subconnexo, nigro-brunneo. Halteres nigri. *Femina:* tota nudiuscula. Alæ totæ nigricantes, costa saturatiori, stigmate oblongo, costæ adnexo, nigro. Nervi omnes validi, inferiorores obscuri, ad costam nigri. Halteres nigri.

4. *H. hortulana:* nitida, aut tota atra (♂), aut atra, thoracis dorso abdomineque rufis (♀); alis in utroque sexu cinereo-albidis, costa fusca, stigmate nigro-brunneo;

pedibus nigris; *mas:* albo-pilosus, thorace supra nigro-pilosulo; *femina:* undique pallido-pubescens. ♂♀. (Long. 3 lin. & ultra).

Meig. Klass. 1. 108. 1. Fabr. Antl. 52. 4. ♀. — *Tipula hortulana* Linn. Fn. Sv. 1770. ♂♀. Syst. Nat. 2. 977. 46. Schrank Ins. Austr. 432. 876. ♀. Rossi Fn. Etr. 2. 273. Fabr. Ent. Syst. 4. 248. 72. var. æ. ♀. — *Bibio hortulanus* Geoffr. Ins. Paris. 1762. 571. 3. ♂♀. Tab. 19. f. 3. ♀. Meig. Dipt. 1. 310. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 178. 1. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. p. 346. 4. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali verno tempore minus frequens; secundum *Linnè* hab. in Asparago & floribus arborum, quas destruit; mihi tantum in Scania circa Lund in Umbellatis mense Junio parce obvia; e Dania a D. *Stæger* in utroque sexu communicata.

♂♀. A prioribus magnitudine minore, & maris pilositate in pectore abdomineque albida, & feminæ thoracis disco dorsali abdomineque rufis, facile dignoscitur. Halteres & pedes in utroque sexu nigri. *Mas:* totus ater, thoracis dorso modice nigro-piloso, pleuris abdomineque albido-pilosis. Alæ albidæ, nervis ad marginem anticum validis obscuris, costa fusca, stigmate distincto nigro-brunneo. Pedes breviter & tenuiter nigro-pilosi. *Femina:* atra, collari & scutello concolore, solum thoracis dorso & abdomine toto rufo-testaceis. Caput infra & pleuræ albido-pilosa. Thorax disco & abdomen totum breviter pallido-pubescentia. Alæ sordide albidæ l. dilute subbrunnescentes. Pedes rigide nigro-pubescentes.

Var. b. ♀. similis var. a, sed duplo & ultra minor, & thoracis dorso vittis 3 nigro-brunneis ornato; e Dania in unico exemplo a D. *Stæger* missa.

5. *H. rufipes:* atra, nitida, thorace in ♂ nigro-, abdomine albido-pilosis; pedibus in utroque sexu rufis, coxis

trochanteribusque nigris, geniculis summis tarsorumque apice fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis interioribus tenuibus, albidis, stigmate oblongo, dilute brunneo. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 799. 2. ♂♀. *Bibio rufipes* Meig. Dipt. 7. 55. 19? ♂.

Hab. in Scandinavia boreali passim, mense August. mihi obvia, in copula bis inventa; in Lapponiis, Umensi ad Lycksele, Lulensi *(Andersson)*, Tornensi ad Muonioniska (in Pino sylvestri) & Kemensi, 8 mares & 3 feminas deprehendi; in Bottnia boreali rarius; in Norwegia ad Dovre, Dom. Medicin. Candid. *H. Siebke.*

♂♀ præter oculorum anique discrimen & vestitum alium subsimiles. Oculi in ♂ nigro-hirti. Thorax dorso in ♂ nigro-pubescens, in ♀ breviter & tenuiter luteo-puberulus. Collare ferrugineo-marginatum. Abdomen præsertim ad latera (& in primis in ♂) totum etiam 1:mo segmento albido-pilosum. Alæ in utroque sexu cinereo-hyalinæ, nervis albido-pellucidis, ad marginem costalem paullo validioribus & ferruginantibus. Stigma oblongum costæ immediate subjectum & apicem nervi auxiliaris tegens, dilute brunneum. Halteres fusci. Pedes rufo-ferruginei, pallide pubescentes. Coxæ & trochanteres nigra. Genicula summa brunnea. Tarsi saltem 3 ultimi fusci. Femora antica modice crassa, postica a medio ad apicem mediocriter crassa. Metatarsus posticus articulis 2 & 3 simul sumtis longitudine æqvalis. *Mas:* femoribus anticis subtus distincte pallide pilosis, tibiis posticis versus apicem sensim modice crassis, metatarso postico crassiusculo, cylindrico; *femina:* femoribus anticis subtus breviter & tenuiter pallide puberulis, tibiis tarsisque posticis simplicibus.

Obs. Meigeni l. c. *Bibionis rufipedis* perbrevis & insufficiens adumbratio dubium de identitate excitat. Nec locum natalem affert.

6. *H. fulvipes:* atra (♂), nitida, thorace abdomineque albido-pilosis; pedibus rufo-fulvis, coxis nigris; alis subbrunneo-, vel subflavido-hyalinis, costa saturatiori, nervis interioribus tenuibus, stigmate oblongo, dilute brunneo. ♂. (Long. circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 799. 3. ♂.

Hab. in Scandinavia septentrionali mense Aug. passim, imprimis in foliis Betulæ albæ & in Pino sylvestri deprehensa; scilicet e Lapponia Lulenti a D. *Andersson* in pluribus exemplis 1843 communicata; ad Kengis Lapponiæ Tornensis, atque ad Talvig & Bossekop Finmarkiæ Norwegicæ specimina 7, 1821 detegi.

♂. Summa antecedentis similitudo & affinitas, sed alis magis sordide hyalinis, geniculis non nigris, tarsis vix fuscis & præcipue thorace albido-, nec nigro-piloso, sine dubio diversa. Alæ fuscedine flava leniter tinctæ, costa usque ad stigma dilute fusco-flava. Nervi ad costam validiusculi fusci, reliqui tenues, obsoleti, subpallidi, sed vix pellucidi. Stigma & halteres ut in priori. Oculi nigro-hirti. Thorax & abdomen albido-pilosa. Pedes fulvo-rufi ut in *H. rufipede* constructi & vestiti, sed femora antica nonnihil validiora videntur. Coxæ & trochanteres nigra. Tarsi antici apice interdum subfusci.

♀ similis feminæ prioris, sed thorace scutelloque rufis, pleuris fusco-maculatis distincta, forte pertinet ad *H. fulvipedem*, cum cujus mare in Lapponia Lulensi capta, mihique in unico individuo a D. *Andersson* communicata.

7. *H. Umbellatarum:* atra, nitida, thorace abdomineque (in ♂) albido-pilosis; pedibus flavo-ferrugineis, femoribus anterioribus (in ♂) nigro-piceis, coxis trochanteribusque omnibus, tarsorumque apice nigris; alis flavido-hyalinis, costa saturatiori, nervis interioribus tenui-

bus albidis, stigmate oblongo, dilute brunneo. ♂. (♀?) (Long. fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 799. 4. ♂♀.

Hab. in alpe Dowre Norwegiæ imprimis ad Kongswald, ubi in floribus Umbellatarum d. 25 Jul. 1832 a Prof. *Boheman* inventa; in Lapponia Lulensi Sveciæ ad Qvickjock etiam habitare fertur.

♂. Maribus duarum proxime præcedentium valde similis, sed ab *H. rufipede* magnitudine paullulum minore & alis nonnihil magis flavedine tinctis, a *fulvipede*, cui pilositate thoracis albida proxime accedit, tarsorum apice paullo magis obscuro, & ab ambabus femoribus anterioribus nigro-piceis, differt. Oculi nigro-hirti. Thorax, scutellum & abdomen, tota distincte albido-pilosa. Alæ & halteres ut in *H. fulvipede*. Pedes etiam omnino ut in priori constructi. Coxæ & trochanteres omnes nigræ. Femora pallide pilosa, anteriora piceo-nigra, postica rufo-brunnea. Tibiæ omnes rufæ, ferrugineo-puberulæ, anticæ interne in medio macula nigricante. Tarsi antici articulis 3 l. 4 ultimis, & postici articulis 1 l. 2 apicalibus, nigris.

♀. Similis mari descripto, sed differt: oculis parvis, tenuiter puberulis, fronte lata, thorace breviter & tenuiter griseo-puberulo, abdomine parce & breviter albido-pilosulo, pedibus rufis, coxis trochanteribusque nigris, geniculis nigricantibus, tarsis apice anguste obscuris; forte huc pertinet, in Dowre cum mare capta.

8. *H. varipes:* atra, nitida: alis cinereo-hyalinis, costa dilute fuscana, nervis interioribus pallidis, stigmate oblongo nigro-brunneo; *mas:* thorace nigro-, abdomine albido-pilosis, halteribus obscuris, pedibus nigris, tibiis tarsisque piceis; *femina:* breviter ferrugineo-puberula,

ventre luteo, pedibus pectorisque maculis rufo-ferruginеis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.)

Bibio varipes Meig. Dipl. 6. 317. 18. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. I. p. 348. 5. ♂♀.

Hab. in foliis Salicis viminalis (ad aqvam plantatæ), in floribus Myrrhis odoratæ, Spirææ Ulmariæ &c., per Scandinaviam meridionalem, a medio mensis Maji ad medium Junii, passim frequens, plerumque in hortis obvia; mares parcius, feminæ copiosius obvenientes, in copula haud raro deprehensi; occurrit nempe i Scania ad Lund, Abusa, Sjörup *(Möller)*, Esperöd &c.; in Dania, D. *Stæger*. In Svecia boreali & Lapponia hactenus non observata, quantum noverim; sed in Svecia media ex. gr. ad Gusum Ostrogothiæ & ad Holmiam capta fuerit, Prof. *Wahlberg*.

♂. Ater, nitidus. Oculi, thoracis dorsum & scutellum distincte nigro-pilosa. Collare angustissimum. Abdomen ad latera sat longe & dense albido-pilosum (rarissime fusco-pilosum), segmento 1:mo nigro-hirto. Alæ sordide cinereæ, costa fuscana. Nervi ad marginem anticum validi, obscuri, reliqui plus minus albescentes. Stigma oblongum, apicem nervi auxiliaris cingens, nervo costali connexum (nec liberum), totum obscure brunneum. Halteres nigricantes. Pedes nigri, tibiis anticis spina apicali, posticisque sæpe fere totis, piceis. Tarsi posteriores picei, apice nigri. Femora supra sat longe cinereo-, subtus mediocriter nigro-pilosi; antica modice crassa. Tibiæ posticæ versus apicem modice incrassatæ. Metatarsi postici modice crassi, articulis 2 sequentibus simul sumtis parum longiores.

♀. Nigra, parum nitida. Oculi parvi, glabriculi. Collare latiusculum, thorax, scutellum & abdomen brevissime ferrrugineo-puberula. Pleuræ ferrugineo-maculatæ. Venter luteus. Alæ ut in mare. Halteres fusci l. sordide albidi. Pedes cum coxis

rufo-ferruginei, trochanteribus, geniculis summis, tarsorumque apice, nigricantibus. Tibiæ anticæ plus minus piceæ. Pedes brevissime subferrugineo-puberuli, postici simplices. Femora antica crassa.

Obs. 1. In speciminibus quibusdam masculis nervi omnes sat crassi & obscuri deprehenduntur. Ejusmodi individua pro maribus *Hirteæ nigriventris* facile haberem, nisi illa in copula cum femineis *H. varipedis* invenissem. E Christiania Norwegiæ a D. *Siebke* masculum obtinui pedibus fere totis nigris.

Obs. 2. Sub nomine *Bib. varipes* ♂♀ ut "Daniæ incola rara" a D. *Stæger* missa. Alia vice specimina utriusque sexus in copula capta ut "*Bibio rufitarsis* Meig." e Dania quoque Idem communicavit. Hujus speciei a beato *B. F. Fries* jam observatæ & 1822 sub nomine: "*Hirtea rudis* n. sp. ♂♀" descriptæ plura exempla in museo meo asservantur.

Obs. 3. Opinante *Stægero*, *Bibio villosus* Meig. ♂, etiam sub hac specie latet.

9. *H. nigriventris:* nigra, ventre concolore; pectoris maculis pedibusque cum coxis (in ♀) ferrugineis, geniculis, tibiis anticis ex parte, tarsorumque omnium apice, nigro-brunneis; alis dilute fuscanis, nervis omnibus validis & obscuris, stigmate oblongo, nigricante. ♀. (Long. 2—2 $\frac{1}{2}$ lin.)

Bibio nigriventris Halid. Ent. Mag. 1. 157. Löw, Linnæa 1846. I. p. 352. 7. ♀.

Hab. in Svecia rarius; in Scania meridionali ad Sjörup cum *H. varipede* a D. *G. Möller* 4 specimina capta; in Helsingia Sveciæ borealis 17 Jul. 1840 unicum exemplum certe inveni; in Töien ad Christianiam Norwegiæ D. *Siebke* capta. (Unicum individuum, 16 Maji 1844 lectum, etiam e Posnania benigne communicavit Professor *Löw*).

♀. Similis *H. varipedi*, sed paullo minor & ab hac & aliis affinibus, nervis distinctioribus, stigmate determinato, ventre nigro &c. dignoscitur. Nigra. Oculi parvi. Thorax dorso parum nitidus, brevissime ferrugineo-puberulus, pleuris ferrugineo-maculatis. Abdomen nitidum, glabriculum. Alæ sordide cinereo-hyalinæ seu lenissime fuscanæ, nervis omnibus æque validis & obscuris, in interstitiis mediis vitta valde dilute fusca, stigmate ovali, determinato, costæ connexo, brunneo-nigro. Halteres nigri. Pedes cum coxis ferruginei, parum nigro-puberuli, trochanteribus apice piceis, geniculis summis brunneis. Tibiæ anticæ piceæ, ante medium annulo ferrugineo. Tarsi omnes nigricantes, articulis primis basi plus minus late ferrugineis. Femora antica crassa; tibiæ tarsique postica simplicia. Metatarsus posticus modice longus, articulis 2 sequentibus simul sumtis tamen fere nonnihil brevior.

Obs. 1. Mas hujus speciei mihi, uti etiam *Löwio & Halidayo* ignotus, nisi individua quædam mascula *H. varipedis* nervis distinctis & obscuris prædita & in societate cum *H. nigriventri* ad Sjörup deprehensa, aut etiam mares *Hirteæ lacteipennis* (n:o 14), provocare vellem. — *Bib. venosus* Meig. vix huc referri potest.

Obs. 2. Sub nomine: "*Bib. reticulatus* Löw. *Bib. fulviventris* Meig." specimen femineum, 14 Maji 1844 captum, e Posnania a Prof. *Löw* obtinui, quod *H. varipedi & nigriventri* valde simile est, sed a priori nervis validis obscuris, nec tenuibus & subpellucidis, & a posteriori magnitudine paullo majori & ventre sordide flavo, nec nigro, sine dubio distinctum. Hæc vero in Scandinavia non occurrit.

10. *H. venosa:* atra nitida, ventre concolore; alis albido-hyalinis, nervis validis obscuris, costalibus stigmateque nigricantibus. ♂♀. (Long. saltem 3 lin.).

Meig. Klassif 1. 110. 4. *Bibio nervosus* Meig. Dipt. 1. 315. 10. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 179. 5. ♂♀.

Hab. in Dania mensib. Majo & Junio rarius, D. *Stæger*, qui par copulatum mecum communicavit.

♂♀. Tota nigra. Thorax (in speciminibus visis) detritus. Collaris margo humeralis pallidus. Abdomen nitidum, ad latera in mare albido-pilosum (nec nigro pilosum ut ait *Meigen*). Alæ albido-hyalinæ, stigmate ovali, costæ adnexo, nigro-brunneo. Nervi validi, in ♂ costales nigricantes, inferiores sordide albidi, in ♀ omnes nigricantes. Apex alæ in ♀ umbra fusca lenissime subtinctus. Halteres nigricantes. Pedes nigri, nitidi; antici fere toti posticique tibiis in ♀ nigro-picei. Femora postica fere a medio ad apicem in utroque sexu incrassata.

11. *H. vernalis:* atra, nitida; alis cinereis, nervis interioribus tenuiusculis subpallidis, stigmate oblongodilute brunneo; *mas:* thorace abdomineque longe albido-pilosis, pedibus nigris, tibiis tarsisque ferrugineis; *femina:* corpore brevissime puberulo, pedibus totis ferrugineis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin. raro ultra.)

Bibio vernalis Meig. Dipt. 1. 315. 8. ♂♀. Ejusdem 6. p. 316. *Bib. lanigerus* Meig. Dipt. 1. 317. 14. ♂. *Bib. laniger* Meig. Dipt. 6. p. 316. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 179. 9. Löw, Linnæa 1846. I. p. 353. 8. ♂♀.

Hab. in Svecia meridionali verno tempore minus frequens, ♀ rarissime lecta; scilicet in Scania ad Fogelsång & Abusa parce; in Blekingia ad Carlscrona ab *Aspegren* in copula capta mihique communicata: mas in unico specimine e Dania pro comparatione a D. *Stæger* missus. (Ut "*Bib. vernalis* Meig." marem e Glogavia misit D. *Zeller*.)

♂♀. Similis *H. Johannis*, sed corpore in ♂ albido-villoso, & alarum stigmate in ♀ dilute fusco, ab illa dignota. ♂: ater ni-

tidus. Oculi nigro-hirti. Caput subtus cinereo-villosum. Thorax, scutellum & abdomen albido-pilosa, hujus 1:mo segmento nigro-hirto. Alæ sordide cinereæ, nervis mediocribus dilutissime brunneis, non pellucidis. Costa leniter subfuscana. Stigma oblongum, costæ affixum, apicem nervi auxiliaris obtegens, dilute brunneum. Halteres nigri. Pedes nigri, tibiis tarsisque rufo-testaceis, horum articulo ultimo obscuro. Femora superne longe albido-pilosa, inferne nigro-hirsuta; antica modice crassa. Tibiæ posticæ modice crassæ. Tarsi postici breviusculi, horum articulo 1:mo modice crasso duobus seqventibus simul sumtis fere paullo breviori; in mortua incurvi.

♀: nigra, glabricula. Thorax parum nitidus. Abdomen nitidum. Alæ ut in ♂, sed nonnihil magis brunnescentes. Halteres fusci. Pedes cum coxis flavo-rufi, glabriculi, trochanteribus & geniculis summis nigricantibus. Tarsorum articulus ultimus brunneus. Femora antica crassa.

Obs. Mas sub nomine pravo: "*Bib. villosus* Meig." etiam missus.

12. *H. ferruginata:* atra, nitida, pedibus concoloribus, albido-pilosa (♂), aut albido-puberula (♀); alis cinereis (♂), aut infuscatis (♀), nervis in utroque sexu parum validis, sub-obscuris, stigmate oblongo obscure brunneo; abdomine in ♀ piceo-ferrugineo, vitta dorsali nigricante. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{3}{4}$—2, ♀ 2—$2\frac{1}{8}$ lin.)

Var. a. ♂♀ in copula. ♂: alis cinereis, nervis subfuscis pedibus totis nigris; abdomine ♀ piceo-ferrugineo, vitta dorsali nigra.

Fabr. Antl. 51. 2. ♀. *Tipula ferruginata* Linn. Syst. Nat. 2. 976. 40. ♀. *Bibio ferruginatus* Meig. Dipt. 1. 316. 11. ♀. Ejusdem 6. p. 316. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 178. 3. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. I. p. 359. 12. ♂♀. *Tipula flavicaudis* Deg. Ins. 6. p. 429. 35. ♂♀.

Var. b. ♂: alis albido-cinereis, nervis interioribus

subalbicantibus, tibiis posticis piceo-nigris; forte juvenilis.

Sub nominibus jam "*Bib. varipes* Meig., jam *B. clavipedis* seu *dorsalis* Meig. var." e Dania specimina oblinui. — Si distincta esset ei nomen *H. lugubrem* proponerem.

Var. c. ♂♀ in copula *(H. nigrita)*. Paullulum major. Alæ & pedes ut in a.; abdomen feminæ totum nigrum, ventre tantum versus apicem ferruginante.

Bib. ferruginatus Meig. l. c. var. ♀ "abdomine supra toto nigro", idem videtur.

Hab. in graminosis & foliis fruticum per hortos & prata in Scandinavia meridionali passim frequens, in media rarius, mense Junio vigens, in copula etiam aliquoties capta; scilicet var. a. in Scania ad Lund (in plantatione Paradislyckan), Lomma, Fogelsång, Sjörup, Esperöd &c., sat vulgaris; in Blekingia, *Aspegren*; in Gottlandia ad Sanda &c. parce, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *P. F. Wahlberg*; in Dania. (E Posnania in utroque sexu a D. *Löw* communicata); var. b. e Dania a D. *Stæger* missa (etiam ad Neuenkirchen in Megalopoli 20 Maji & ad Zirkow Rugiæ 6 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* deprehensa); var. c. mihi obvia tantum in Svecia boreali, Gestricia, ubi 5 mares & 2 feminas d. 16 Jun. 1840 inveni; & ♀ etiam e Christiania Norwegiæ a D. *Siebke* communicata.

♂♀. Similis *H. vernali*, sed mas ab ejus mare thoracis hirsutie breviori & tibiis tarsisque nigris, & femina ab omnibus abdominis pictura facile dignoscitur. Nigra. ♂: oculis nigro-hirtis. Thorax non dense, nec longe cinereo-hirtus, hirsutie certo situ subobscura. Abdomen ad latera distincte albido-pilosum. Alæ in var. a. sordide cinereæ, nervis interi-

oribus parum validis subobscuris, stigmate oblongo, costæ adfixo, nigricante, haud determinato; in b. albido-cinereæ, nervis interioribus albicantibus; in c. alæ & nervi subfuscana, costa fusca. Halteres nigri. Pedes nigri. Femora cinereopilosa, antica modice crassa, postica solito breviora. Tibiæ posticæ modice incrassatæ. Tarsi postici non elongati, articulo 1:mo parum crasso, duobus sequentibus fere paullo breviori.

♀: nigra, brevissime cinereo-puberula. Thorax parum nitidus. Abdomen nitidum, depressum, versus apicem sublatius, totum plerumque piceo-ferrugineum, dorso vitta media, parum determinata, nigra; interdum supra nigrum, ut in var. c. Alæ fuscæ. Halteres obscuri. Pedes nigri, postici simplices. Femora antica incrassata.

13. *H. Johannis:* atra, nitida, tota aut nigro-pilosa (♂), aut bevissime griseo-puberula (♀); alis in utroque sexu cinerascentibus, nervis interioribus tenuiusculis subpallidis, stigmate breviter ovali, costæ connexo, nigrobrunneo, determinato; pedibus in ♂ nigris, tibiis tarsisque ferrugineis, in ♀ ferrugineis, trochanteribus, geniculis summis tarsorumque articulo ultimo, brunneis. ♂♀. (Long. 2—2 ½ lin.).

Tipula Johannis Linn. Syst. Nat. 2. p. 976. 41. ♂. Deg. Ins. 6. p. 425. 32. ♂♀. Tab. 27. f. 13 larva, f. 16 pupa, f. 17 imago ♀. — *Bibio* Geoffr. Ins. Paris. 1762. 2. p. 570. ♂ (diagn.), ♂♀ (descript.). — *Bibio Johannis* Meig. Dipt. 1. 314. 7. ♂♀. Macqv. Buff. 1. p. 179. 8. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. 1. p. 356. 10. ♂♀. *Hirtea præcox* Fabr. Antl. 51. 3. teste *Meigen.* — *Hirtea Pyri* Fabr. Antl. 53. 8. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum per Scandinaviam meridionalem, ab ineunte Majo ad initium Junii

vulgatissime, in copula multoties deprehensa; scilicet per totam Scaniam campestrem frequentissima, & præsertim in campis arenosis ad Kjeflinge & Abusa uterque sexus copiose observatus currens & volans in lusis venereis occupatus; e Blekingia & Svecia superiore ex. gr. Gusum Ostrogothiæ etiam specimina obtinui; ad Thynäs Norwegiæ semel; e Dania a D. *Stæger* communicata. (Ad Stubbenkammer Rugiæ 1 Jun. a D. *Dahlbom* capta). Larvæ in stercore bovino inventæ a *Degeer*.

♂♀. Per alarum stigma breviter ovale, nigricans, distinctum, præter alias notas, ab affinibus dignota. ♂: ater, nitidis, totus distincte nigro-pilosus. Alæ in mortuo albo-cinereæ, non brunnescentes, costa dilutissime subfuscana. Nervi ad marginem anticum mediocres, fusci, reliqui subtenues, plerumque pallidi. Stigma semper breviter ovale, costæ subaffixum, nervi auxiliaris apicem cingens, determinatum, nigro brunneum. Halteres nigri. Pedes nigri, tibiis tarsisque flavo-ferrugineis, horum articulo ultimo brunneo. Tibiæ posticæ a basi ad apicem sensim paullo incrassatæ. Tarsi postici non elongati, articulis basalibus crassiusculis, subdiscretis, horum 1:mo duobus sequentibus simul sumtis fere breviori. Femora postica mediocriter longa. Tibiæ anticæ infra medium plerumque annulo plus minus nigricante. — Variat interdum femoribus flavicantibus, anticis basi, intermediis fere totis, posticisque annulo medio lato, brunneis.

♀: nigra, brevissime flavo-griseo-puberula. Thorax parum nitidus, callis humeralibus sæpe piceis l. luteis. Abdomen nitidum, ventre interdum lutescente. Alæ ut in ♂, sed brunnedine dilutissima lenissime tinctæ. Halteres fusci, clava obscuriori. Pedes cum coxis flavo-ferruginei, trochanteribus, geniculis summis tarsorumque saltem articulo ultimo brunneis. Femora antica crassa. Tibiæ tarsique postica simplicia.

Var. b. ♂: nonnihil major, femoribus anticis apice posticisque basi indeterminate rufo-piceis; e Dania a D. *Stæger.*

14. *H. lacteipennis:* atra, nitida, tota aut nigro-pilosa (♂), aut brevissime griseo-puberula (♀), alarum stigmate in utroque sexu breviter ovali, costæ vix connexo, nigro-brunneo; *mas:* alis lacteis, nervis inferioribus albis subpellucidis, pedibus nigris, tibiis tarsisque ferrugineis; *femina:* alis sordide hyalinis, nervis inferioribus dilute fuscis, pedibus totis ferrugineis. ♂♀. (Long. 2—2 ¼ fere 2 ¾ lin.).

Bibio albipennis Meig. Dipt. 6. p. 317. 17. ♂. Macqv. Buff. 1. 180. 11. ♂. Löw, Linnæa 1846 1. p. 358. 11. ♂. *Hirtea* eadem Zett. Ins. Lapp. 799. 6. ♂.

Hab. in Scandinavia, mihi rarius obvia; scilicet in Scania ad Fogelsång & Sjörup aliquot mares æstate 1846 deprehensi; in Finmarkia occidentali Norwegiæ unicum individuum masculum d. 30 Jul. 1821 inveni; ex Hafnia specimina ex utroque sexu, in floribus Cratæg. oxyacanthæ capta, sub nomine: "*Bib. albipennis* Meig." communicavit D. *Stæger.* (Par in copula junctum e Finlandia etiam misit Prof. *Sahlberg).*

♂♀. Valde similis *H. Johannis*, & femina cum ejus femina præsertim conveniens, sed ♂ *H. lacteipennis* alis albidioribus, stigmate fere libero & præcipue tarsis posticis angustioribus a ♂ *H. Johannis* differt. — ♂: ater, totus nigro-pilosus. Alæ lacteæ, nervis ad marginem anticum perspicuioribus, reliquis tenuibus, albis, subpellucidis. Stigma ovale, brunneum, non apicem nervi auxiliaris ambiens, sed sub apice hujus nervi positum & ei adfixum, ideoque tantum leniter seu solummodo suo apice cum costa connexum. Costa non infuscata. Halteres nigri. Pedes nigri, tibiis tarsisque sordide ferrugineo-

testaceis. Tibiæ anticæ pone medium sensim modice incrassatæ. Tarsi postici modice longi, parum incrassati, articulo 1:mo duobus sequentibus simul sumtis fere æque longo. Variat tibiis posticis dimidio apicali tarsisque omnibus nigropiceis (e Dania).

♀ (qualem cum ♂ copulatam e Finlandia accepi): nigra subnitida, brevissime griseo-puberula, callis humeralibus luteis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis omnibus subdistinctis, ad costam fuscis, reliquis dilutioribus. Interstitia ad marginem anticum dilutissime brunnea. Stigma ovale, saturate brunneum, apicem auxiliaris cingens & costæ paullo latius quam in ♂ affixum. Halteres fusci. Pedes toti cum coxis ferrugineo-flavi, geniculis summis tarsorumque apice dilute brunneis. Specimina feminea danica finlandico similia, sed paullo minora, callis humeralibus paullo obscurioribus, geniculis summis, tibiarum summo apice tarsorumque apice latius, fuscis.

Obs. 1. *H. albipennis* var. b. ♂. Ins. Lapp. l. c. vix huc pertinet, nam abdomen ad latera albido-pilosum habet. Specimen hodie mancum.

Obs. 2. *Bibio albipennis* Wiedem. Dipt. extraeurop. 1828. 1. p. 80. 7., cujus marem ex America Septentrion. a beat. von *Winthem* etiam obtinui, alia omnino est species, duplo fere major, & pedibus totis nigris, ut & thorace abdomineque albido-pilosis aperte distincta, unde nomen *albipennis* in *lacteipennis* speciei europææ mutare necessarium duxi.

Obs. 3. Cel. *Stæger*, qui individua mascula *Bibionis albipennis* Meig. Macqv. Löw, cum aliis femineis *Bibionis nigriventris* Löw, deprehendit, putat ea ad eandem pertinere speciem. Nec id sine ratione. & si ita est, nomen *nigriventris* evanescit. — Cum *H. leucoptera* n:o 3 vix confundi protest hæc nostra *Hirt. lacteipennis.*

15. *H. festinans:* atra, nitida, tota aut nigro-pilosa (♂), aut brevissime griseo-puberula (♀); alis in utroque sexu albis, nervis inferioribus tenuibus, validis, stig-

mate ovali, nigro-brunneo; *mas:* pedibus nigris, tibiis tarsisque posterioribus nigro-piceis; *femina:* thorace ferrugineo, vittis dorsalibus 3 nigris, coxis femoribusque flavis. ♂♀. (Long. 2—2 ¼ lin.).

Fries, manuscr. 1822. ♂♀.

Hab. in Svecia rarius, in copula ter capta; scilicet in Scania, beat. Prof. *B. F. Fries*; in Medelpadia 17 Jun. 1840 par in copula junctum etiam ipse inveni; e Christiania Norwegiæ marem communicavit D. *Siebke*. (E Finlandia ♀ quoque a Prof. *Sahlberg* ante plures annos missa).

♂♀. Mas ab *H. Johannis* & *lacteipennis* mare, cui valde similis, pedibus fere totis nigris, & a mare *H. clavipedis* hirsutie corporis obscuriore, stigmate magis determinato, tarsis posticis simplicibus &c., differt; & femina ab *H. clavipedis* thoracis pictura simili femina, alarum stigmate obscuriore, geniculis, tibiis tarsisque atris, femoribus anticis nonnihil crassioribus, &c., abunde dignoscitur. — ♂: ater, nitidus. Caput nigro-hirtum. Thoracis hirsuties non densa, nigricans. Abdomen ad latera nigricanti-pilosum, pilis certo situ fuscis. Alæ cum nervis & stigmate ut in *H. lacteipennis*. Halteres nigri. Pedes nigri, spinis tibiarum anticarum ferrugineis. Tibiæ tarsique posteriora plerumque nigro-picea. Pedes postici mediocriter longi, tibiis a basi ad apicem sensim modice incrassatis, tarsis non incrassatis, horum articulo 1:mo 2 sequentibus simul sumtis longitudine subæqvali.

♀: nitida, glabricula. Caput atrum. Thorax ferrugineus, dorso vittis 3, media ad collare extensa, lateralibus abbreviatis. Scutellum ferrugineum. Metathorax & abdomen nigra, aut nigro-picea. Alæ albæ, stigmate brunneo, nervis omnibus paullo validioribus & obscurioribus, quam in ♂. Halteres nigri. Coxæ rufo-flavæ. Trochanteres brunnei. Femora flava,

apice, præsertim antica, nigro-brunnea. Tibiæ tarsique omnia & tota simplicia, atra. Femora antica distincte crassa.

16. *H. clavipes*: nitida; alis albis, nervis tenuibus albidis, stigmate oblongo, sublibero, dilute fusco; pedibus elongatis; *mas:* ater, thorace nigro-pubescente, abdomine albido-piloso, pedibus nigro-piceis, tibiis tarsisque posticis clavatis; *femina:* testacea, capite, thoracis vittis dorsalibus tribus interdum confluentibus, abdomineque, nigricantibus, pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. 2 fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Bibio clavipes Meig. Dipt. 1. 317. 13. ♂. Halid. Ent. Magaz. 1. 158. Macqv. Buff. 1. 180. 10. ♂. Zell., Isis 1842. p. 811. 4. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. 1. 364. 15. ♂♀. *Hirtea Johannis* Fabr. Antl. 52. 6. ♂. (exclus. syn Linn. & Deg.) — *Bibio dorsalis* Meig. Dipt. 1. 318. 15. ♀. Tab. 11. f. 9. ♀. — & 6. 316. ♂♀. *Hirtea Ephippium* Zett. Ins. Lapp. 799. 5. ♂♀. *Hirtea flagellipes* Fries, manuscr.

Hab. in foliis fruticum & graminosis versus autum- (Aug. — Octob.) per totam Scandinaviam, alpibus lapponicis exceptis, vulgatissima, in copula etiam multoties capta; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Nericia, Uplandia, Dalecarlia, Helsingia, Gestricia, Ångermannia, Bottniis, Lapponiis, Umensi, Lulensi & Tornensi, frequenssima; in Dania quoque frequens, sed in littoralibus & inferalpinis Norwegiæ a me non observata, tantum ad Christianiam a D. D. *Siebke* & *Moë* parce lecta. Mares in aëre mense Septembr. choreas sæpe ducunt.

♂♀. Per pedes elongatos, graciles, posticorum tibias tarsosque in ♂ clavata, thoracis picturam in ♀, ut & alarum eximiam

albedinem stigmatisque situm & palliditatem in utroque sexu, ab affinibus facile dignota. *H. festinanti* proxime accedit, sed pedum posticorum structura in ♂, & tibiarum tarsorumque colore atro in ♀, satis superque dignoscitur.

♂: ater. Thorax breviter & tenuiter nigro-hirtus. Abdomen angustum, ad latera albido-pilosum. Alæ lacteæ, nervis albis. Stigma oblongum, sublunatum (raro integrum), dilutissime fuscum l. sordide albidum (raro saturate fuscum), juxta & infra apicem nervi auxiliaris adfixum, vix nisi apice posteriore cum costa connexum. Halteres, & pedes elongati, nigri. Pedum posticorum femora a basi ad medium angusta, deinde modice clavata; tibiæ a medio ad apicem sensim modice subcompresso-incrassata; tarsi distincte incrassati, articulis ovalibus, subcylindricis, discretis, horum 1:mo crassissimo, 2 sequentibus simul numeratis subæque longo. Tibiæ tarsique postica plerumque nigra, interdum picea l. sordide testacea, calcaribus tibiarum parvis semper albis.

♀: brevissime griseo-puberula. Caput nigrum. Thorax testaceus, vittis 3 nigris, media ad collare extensa, lateralibus antice abbreviatis. Abdomen piceo-nigrum, ventre sæpe luteo. Alæ albæ l. albidæ, nervis pallescentibus. Stigma ut in ♂. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longiusculi, simplices, flavo-testacei, tarsis apice plus minus late fuscis.

Var. b. ♀. in copula cum ♂ var. a. thoracis vittis dorsalibus ita dilatatis & confluentibus, ut fere totus discus dorsalis niger evadat. Zett. Ins. Lapp. l. c. (in descriptione) — Löw, l. c. Hab. cum. var. a. freq.

Var. c. ♀. similis var. a., sed thorace toto flavo ferrugineo, interdum tantum vestigio vittarum 3 dorsalium fuscarum; abdomine aut toto ferrugineo, aut supra piceo, subtus luteo. *Bibio flavicollis* Meig. Dipt. 1. 318. 16. ♀. In Scania 5 specimina inveni forte juvenilia.

210. DILOPHUS Meig.

Corpus minusculum, oblongum, in ♂ puberulum, in ♀ glabriculum, in utroque sexu nitidum. Antennæ mox supra os insertæ, capite paullo breviores, porrectæ, crassiusculæ, cylindricæ, perfoliatæ, undecimarticulatæ, articulis 4 ultimis arcte connexis, apice rotundatæ. Palpi exserti, inflexi, 5-articulati, filiformes, articulo 3:tio dilatato. Oculi integri, in vivo nigri. Ocelli 3. Prothorax elevatus duabus seriebus transversis pectinato-denticulatus. Thorax sutura transversa nulla. Scutellum parvum. Abdomen oblongum, laxum, 8-annulatum. Alæ abdomine paullo longiores, incumbentes, modice latæ, nudæ, albidæ aut fuscæ, macula stigmaticali fusca fere in medio costæ notatæ. Ex apice areæ discoidalis oblongæ, mox pone medium alæ terminantis, tres nervi simplices integri in marginem interiorem emittuntur, quorum 2 superiores basi connexi furcam sessilem formantes. Nervus costalis crassiusculus in apice alæ desinit; 2:dus longitudinalis nonnihil ante apicem alæ excurrit; auxiliaris ad stigma continuatur; interior marginalis nullus. Squamæ exiguæ; halteres perspicui. Pedes inæquales, postici longiores. Posteriores (in nostris) simplices, præter tibiarum calcaria inermes; antici: femoribus subincrassatis, sulcatis, tibiis antice in medio breviter subtridenticulatis, apice spinulis 8 brevibus coronatis. Pulvilli 3. *Color* ater. *Motu* tardus; sole sereno & urente vivaciores. *Habitatio* in floribus, foliis arborum & graminosis, æstate. Plura individua plerumque in sosietate deprehenduntur. Larvæ & pupæ in culmis graminum inventæ. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* corpore pubescente, capite rotundato, oculis magnis, convexis, per totam frontem arcte connexis, distincte hirtis, abdomine angusto: *femina:* corpore glabriculo, capite ovato, depresso, oculis parvis lateralibus rotundis remotis nudis, antennis nonnihil crassioribus, abdomine latiore. *Typus* generis: *D. vulgaris.*

1 *vulgaris* Meig. (*Tipul. febrilis* Linn.? ♀) ♂♀. 2 *femo-*

ratus Meig. (*Dil. communis* Fries) ♂♀. 3 *humeralis* Zett. n. sp. ♀.

1. *D. vulgaris:* ater, nitidus, pedibus concoloribus; alis in ♂ lacteis, nervis costalibus distinctis obscuris, apice nervi auxiliaris in stigmate angusto dilute fusco incluso; in ♀ fuscis, apice hyalinis, stigmate majusculo, obscuro. ♂♀. (Long. 2—2 $\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 306. 1. ♂♀. Tab. 11. f. 1. ♂ (vitta costali alarum nimis obscura), f. 8 (ala feminæ). Macqv. Buff. I. 176. 1. ♂♀. T. 4. f. 18. ♂ (fuscedine costali justo latiore). Löw, Bemerk. 1840. p. 4. 3. 1. — *Tipula febrilis* Linn. Fn. Sv. n:o 1768. ♀.? — *Hirtea* eadem Fabr. Antl. 54. 13.

Hab. in graminosis & foliis fruticum per hortos & prata Scandinaviæ præsertim meridionalis passim copiosissime, a medio mensis Maji ad initium Junii, & iterum a medio Augusti ad finem Septembris in Svecia obvius, in copula multoties deprehensus; scilicet in Scania ad Lund (in foliis Salicis), Kjeflinge (in graminosis ad amnem), Silfåkra (in foliis roridis Alni), Fågelsång, Esperöd, &c. frequenter; e Dania quoque obtinui; in Scandinavia septentrionali vix occurrit, & in Svecia media & boreali a me numquam observatus. (Ad Gryphiam & Elisenheine plura specimina utriusque sexus mense Septembri legit D. *Dahlbom*, mihique communicavit; feminas quoque ex Helvetia & marem e Melita accepi.)

♂♀. Totus ater, nitidus. ♂: thorace breviter nigro-hirtulo. Abdomen modice angustum, cinereo-pubescens, ano seu segmentis ultimis (in mortuo) reflexis. Alæ fere lacteæ, nervis ad marginem anticum distinctis, subobscuris (nota observanda). Stigma costæ non connexum, sub-angustum, dilute brunneum,

apicem nervi auxiliaris anguste includens. Costa non infuscata, nisi leniter juxta nervum auxiliarem. Reliqui nervi tenues albi pellucidi parum conspiciendi. Halteres nigri, petiolo fusco. Pedes nigri, pubescentes, femoribus anticis modice, posticis leviter incrassatis. Tarsi omnes elongati, tenues.
♀ præter differentiam sexus a mare etiam dignoscitur: abdomine paullo latiore, ano non erecto, alis distincte fuscis, apice solum indeterminate hyalinis, ut & juxta nervos hyalinis, stigmate majore, costæ connexo, saturate brunneo, & denique femoribus anticis nonnihil crassioribus.
Var. b. ♀. simillima var. a., sed paullo minor, & pedibus piceis diversa; ad Lund Scaniæ semel cum a. capta.

2. *D. femoratus:* ater, nitidus, pedibus discoloribus; in ♂ alis lacteis, nervis costalibus parum distinctis parumque obscuris, apice nervi auxiliaris incluso in stigmate angustissimo dilutissime fusco, pedibus totis nigris; in ♀ alis albis, nervis costalibus subconspicuis, dilute fuscis, stigmate mediocri ovali fusco, pedibus nigris, coxis anticis femoribusque plerumque omnibus ferrugineis. ♂♀. (Long. 1 $\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 307. 2. ♀. — & 6. p. 315. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 177. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. p. 800. 1. ♂♀. *(Dil. communis B. F. Fries,* manuscr. ♂♀.).

Hab. in graminosis & floribus per totam Scandinaviam & Lapponiam, a medio Junii usque ad finem Augusti vulgatissime, in copula etiam pluries captus; scilicet in Scania ubique; in Blekingia ad Carlscrona; in Smolandia & Ostrogothia passim; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Kinnare, Lummelund, Stora Carlsön &c.; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Helsingia ad Ytter-Hogdal; in Jemtlandia ad Rätan non raro; in Bottnia

boreali ad Johannis Ro & Haparanda; in Lapponiis Umensi ad Lycksele, Lulensi *(Andersson)*, & Tornensi ad Kengis; in Norwegia in alpe Dowre ad Drivstuen *(Boheman)*, & ad diversorium Thynäs frequenter, ipse; in Dania quoque obvius. (Ad Moabite prope Berolinum 14 Aug. 1847 marem invenit D. *Dahlbom.)*.

♂♀. Valde affinis priori, & mares utriusque sexus præsertim similes; sed *D. femoratus* (♂ & ♀) a *D. vulgari* differt magnitudine paullo minori, & mas præterea nervis alarum ad marginem anticum minus distinctis minusque obscuris, stigmateque angustiori, dilutiori; femina magis descrepat & alis albis, nec fuscis, atque femoribus ferrugineis, nec nigris, facile dignoscitur, nec copulatio nisi inter similes obtinet. — ♂: thorace tenuiter & breviter nigro-puberulo. Abdomen angustum, apice (in vivo) reflexo. Alæ lacteæ: nervis tenuibus, albis, pellucidis, costalibus ut in diagnosi. Halteres nigri, petiolo pallescente. Pedes nigri, tenuiter cinereo-pilosuli. Femora antica & postica leniter incrassata. Tibiæ omnes simplices. Tarsi longiusculi, simplices, tenues.

♀ glabricula. Alæ albæ l. cinereo-albæ. Nervi albi, costales dilute fusci. Stigma modice magnum ellipticum, totum nervi auxiliaris apicem includens, brunneum. Halteres fusci. Coxæ anticæ magnæ, flavo-ferrugineæ, posteriores nigræ. Trochanteres omnes brunnei. Femora (in nostris speciminibus 50 & ultra) omnia ferruginea; posteriora vero plerumque plus minus brunneo-ferruginea, raro picea, basi apiceque semper nigricantia. Tibiæ omnes nigræ. Tarsi nigricantes. Femora antica crassa. Thoracis lobus humeralis haud rufescens.

Obs. 1. Sub nomine: "*Dil. albipennis* Meig.," a D. *Stæger* e Dania 1837 specimen obtinui masculum, quod a *D. femorato* genuino distingvere non possum.

Obs. 2. *Diloph. ternatus* Löw, magnitudine & colore corporis, alarum pedumque, *D. femorato* similis, sed abdomine multo angustiore & tibiis tarsisque posticis paullo dilatatis in ma-

re, atque tibiis anticis antice triplici serie (nempe basi, medio & apice tibiarum) in utroque sexu spinulosis, abunde distinctus. Hæc vero Italiæ incola, quam non solum e Sicilia, in foliis Euphorbiæ Characias ad Messinam a D. *Zeller* captam 1846, verum etiam e Malta a D. *Schembri* 1847, in utroque sexu obtinui, Scandinavia certe exsul.

Obs. 3. Teste *Büttner*, larva *Dil. femorati* autumno vivit in junioribus Secalis cerealis culmis, qui exinde rubescunt. Tales larvæ 4 (?) lineas longæ, intra culmum in pupam abierunt, quæ in cubiculo calido conservatæ mense Octob. exclusæ fuerunt.

Obs. 4. Specimen hermaphroditicum *Dil. femorati*, in quo unum latus colore maris, alterum colore feminæ gaudebat, a D. *Dale* inventum fuit.

3. *D. humeralis:* ater nitidus, callis humeralibus, coxis anticis femoribusque saltem anterioribus rufo-ferrugineis; alis cinereo- albidis, nervis omnibus validiusculis distinctis, stigmate oblongo nigricante. ♀. (Long. 1 $\frac{3}{4}$ —2 $\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♀. 1 $\frac{3}{4}$ lin., femoribus omnibus rufis.

Var. b. ♀. 1 $\frac{3}{4}$—2 $\frac{1}{4}$ lin., femoribus tantum 4 anterioribus rufis.

Hab. in Scandinavia meridionali cum præcedente rarius; scilicet in Scania ad Lund parce legi; e Dania specimina utriusque varietatis a D. *Stæger* etiam obtinui.

♀. Valde similis & affinis *D. femorato*, sed callis humeralibus rufis, alis minus albis & præcipue nervis validioribus, magis conspicuis & sordidis, ut & stigmate oblongiori, nec ovali, sine dubio diversus. Abdomen & pedes sat dense griseo-hirsutula. Reliqua ut in priori. Mas ignotus.

Fam. 41. SCATOPSIDES Zett.

211. PENTHETRIA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, lanceolatum, pubescens, opacum. Antennæ longitudine circiter capitis, porrectæ, crassiusculæ, cylindricæ, perfoliatæ, 11-articulatæ, articulo ultimo rotundato. Palpi exserti, filiformes, incurvati, 4-articulati, articulis subæqualibus. Oculi rotundato-ovales, nudi. Ocelli 3. Abdomen 8-annulatum. Alæ parallelæ, modice latæ, nudæ. Area sub nervo auxiliari sita oblonga, in medio alæ terminans, 2 nervos longe furcatos, furcis longe petiolatis, in marginem alæ emittit. Nervus longit. 8:vus l. si mavis 7:mus (ad basin alæ) abbreviatus, nec ad marginem interiorem extensus, rectus. Squamæ nullæ. Halteres perspicui. Pedes simplices, pubescentes, inermes, longiusculi, postici reliquis longiores. Pulvilli 2. *Color* niger. *Motu* segnis; reptans; vix volans. *Habitatio* in uliginosis, umbrosis, graminosis. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte fere contiguis, alis longitudine abdominis, angustatis, subplicatis, ano obtuso, pedibus elongatis; *femina:* oculis in fronte remotis, alis abdomine paullo longioribus, latiusculis, planis, ano subacuto, pedibus modice elongatis.

1. *P. holosericea:* atra, subpubescens; alis nigricantibus; halteribus pedibusque fusco-nigris. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 2½ lin.).

Latr. Gen. 4. 267. Meig. Dipt. 1. 303. 1. T. 10. f. 17 ♂. f. 18 ♀. Zett. Act. Holm. 1819. p. 85. ♂♀. Ins. Lapp. 800. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 175. 1. ♂♀. T. 4. f. 16. ♂. Zeller, Isis 1842. p. 810. 3. ubi larvæ & pupæ describuntur.

Hab. in paludosis, cæspitosis, libenter locis umbrosis; in Scania ex. gr. ad Abusa, Esperöd &c. ad finem mensis Maji in copula sæpe copiose inveni; in Lapponia

Umensi ad Wilhelmina d. 16 Jul. 1832 etiam copulatam haud parce deprehendi; in provinciis Sveciæ interjacentibus sine dubio etiam occurrit, a me vero non observata; sic in Westrogothia a D. *Edgren* inventa, teste Prof. *Wahlberg;* e Dania a D. *Stæger* missa. Larvæ apodæ, nudæ, 10—12-annulatæ, dorso convexo quadruplici serie aculeatæ, aculeis recurvis, subtus etiam aculeatæ, sub foliis putridis & quisquiliis hybernant. (Ad Petropolin, *Hummel.* — E Glogavia a D. *Zeller* & e Posnania a D. *Löw* in utroque sexu communicata).

♂♀. Tota cum alis & pedibus nigra glabricula opaca, pedibus nitidis. Thorax sutura transversa nulla. Abdomen & pedes brevissime pilosula. Nervi in alis feminæ distincti, ramo superiori furcæ superioris ad costam ducto inflexo; in alis maris angustis subplicatis ægre distingvendi, nervus tamen 2:dus longitudinalis simplex, nec furcatus, videtur.

---

212. SCATOPSE Geoffr.

Corpus minutum aut minutissimum, ovato-oblongum, glabrum, nitidum. Caput rotundatum, thorace angustius. Antennæ capite paullo longiores, porrectæ, crassiusculæ, cylindricæ, perfoliatæ, 11-articulatæ, articulo ultimo rotundato. Palpi occulti; uniarticulati dicuntur. Oculi reniformes, margine antico pro antennarum insertione nonnihil excisi; in utroque sexu in fronte appropinquantes, in viva nigri. Ocelli 3. Thorax ovalis, convexus, sutura transversa nulla Scutellum parvum. Abdomen depressum, obcuneiforme seu postice dilatatum; vix ultra 6 l. 7 segmenta distincta numerantur. Alæ magnæ, nudæ, hyalinæ. Area discoidalis distincta nulla (nervo transverso ordinario deficiente). Nervi costales: auxiliaris brevis,

& 2:dus (1:mus Löw) longitudinalis crassiusculi, distincti; reliqui omnes valde tenues obsoleti, horum 3:tius furcatus, & tres marginem interiorem attingunt, quorum basi proximus normaliter integer, & sæpe flexuosus. Nervus interior marginalis nullus. Squamæ nullæ. Halteres distincti. Pedes simplices, subæquales, nudi, inermes. *Color* (in nostris) sæpissime niger. *Motu* agiliter replans. *Habitatio* larvarum in fimetis, imaginum in foliis, truncis arborum viventium, floribus, succo arborum, parietibus, fenestris &c., plerumque sociatim. *Discrimen sexus* ægre detegitur, nisi maris abdomen nonnihil angustius, ano breviter appendiculato, feminæ latius, ano truncato, diceres. *Typus* generis: *Scat. notata.*

Sect. 1. Nervus costalis paullo ultra medium costæ extensus, ibique cum 2:do longitudinali connexus.

1 *notata* Linn. (*Tipul. latrinarum* Deg. *Tip. albipennis* Fabr.) ♂♀. 2 *flavicollis* Meig. (Scat. *ochraeea* Meig. varietas hujus videtur) ♂. 3 *scutellata* Fries ♂♀. 4 *pulicaria* Löw. 5 *geniculata* Stæg. ♂♀. 6 *picipes* Meig. (*Sc. pusilla* Fries) ♂. 7 *leucopeza* Meig.? ♂? 8 *tristis* Stæg. ♀?

Sect. 2. Nervus costalis fere in medio costæ desinit.

9 *halterata* Meig. (*Sc. minuta.* Zett. Ins. Lapp., non Meig.) ♂♀. 10 *clavipes* Löw. ♂♀. 11 *flavitarsis* Stæg. ♂. 12 *recurva* Löw (*Sc. fuscipes* Meig. forte) ♂. 13 *soluta* Löw. ♀. 14 *albitarsis* Zett. nov. sp. ♂♀. 15 *brevicornis* Meig. ♂♀.

Scatopse.

Sect. 1. Nervus costalis paullo ultra medium costæ extensus, ibique cum 2:do longitudinali connexus.

1. *Sc. notata:* atra, nitida; thorace lateribus, abdomineque basi, flavido-maculatis; alis albido-hyalinis, nervo 2:do longitudinali apice curvatim ad costam flexo, apicibus hujus & auxiliaris longissime remotis; pedibus nigropiceis; metatarso postico in ♂ abbreviato. ♂♀. (Long. circiter 1 ¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 300. 1. T. 10. f. 13. Macqv. Buff. 1. 181. 1. ♂♀. T. 4. f. 21. (ala). Zett. Ins. Lapp. 801. 1. ♂♀. Löw, Linnæa 1846. p. 325. 1. ♂♀. T. 3. f. 1. (ala). *Tipula notata* Linn. Fn. Sv. n:o 1773 certe. *Scathopse nigra* Geoffr. Ins. Paris. 1762. 2. p. 545. 1. ♂♀. Schrank Austr. p. 433. 881. *Tipula latrinarum* Deg. Ins. 6. p. 430. 36. T. 28. f. 1—4. *Tipula albipennis* Fabr. Ent. Syst. 4. 250. 82. *Hirtea* eadem Fabr. Supplem. 553. 12. *Scatopse* eadem Fabr. Antl. 55. 1. *Scatopse punctata* Meig. Dipt. 1. 301. 4. Zett. Ins. Lapp. 801. 2.

Hab. in foliis plantarum, floribus, parietibus, muris, fenestris &c., per totam Scandinaviam, alpibus Lapponicis tantum exceptis, a mense Aprili usque Novembrem, vulgatissima, frequenter in copula observata; copulatio hæc in uno plano peragitur, & ita pluribus sæpe diebus juncta perseverans una alteram secum trahit. Larvæ elongatæ, griseo-flavæ, muricatæ, planæ, utrinque attenuatæ, 2 lin. longæ; æstate & autumno in stercore humano, præprimis in latrinis degunt. Pupæ elongatæ, griseo-flavæ, tenuissime muricatæ, antice truncatæ, in hoc statu 8—14 diebus manent. (E Melita specimina quoque obtinui).

♂♀. Pictura thoracis, apicis nervi 2:di longitudinalis curvatura in costam, atque hujus & nervi auxiliaris apicum longa di-

stantia speciem hanc a seqventibus præsertim distingvunt. Inter majores generis. Tota atra, nitida, glabra. Pleuræ, macula utrinque humeralis ante alas lunata, & alia ejusdem formæ in lateribus abdominis basi, albido-flavæ, sæpe detritæ, vix nisi in illæsis individuis observandæ. In ejusmodi individuis etiam præterea plerumque adest punctum transversum albo-flavum in thoracis postico pone radicem alarum juxta scutellum utrinque, sat perspicuum. Talia specimina refero, præeunte Prof. *Löw*, ad *Scatops. punctatam* Meig., quæ de cetero cum *Sc. notata* genuina in omni puncto convenit & identica videtur. Alæ albo-hyalinæ. Nervus costalis distincte pone medium costæ (fere $\frac{3}{4}$) continuatus, ibique cum nervo 2:do long. valido obscuro apice subito curvato coit, angulum subacutum formans; auxiliaris vix ulta 4:tam partem costæ extensus. Reliqui nervi parum conspiciendi. Ramuli nervi furcati petiolo suo nonnihil longiores. Nervus 6:tus long. (basi alæ proximus) distincte flexuosus. Halteres plerumque fusci, interdum albidi. Pedes validiusculi, plerumque nigri (etiam in speciminibus Lapponicis), tibiis præsertim anticis basi & annulo medio piceis, aut luteis; interdum (in exemplis & meridionalibus & borealibus) toti piceo-nigri, tibiis concoloribus; aliquando toti brunnei (forte in junioribus), vestigio picturæ tibiarum parum distingvendo. Metatarsus posticus in ♂ valde abbreviatus, articulo sequente fere crassior; in ♀ articulus idem duplo longior quam in ♂, & simplex.

2. *Sc. flavicollis:* nitida, ferruginea, capite abdominisque disco dorsali nigris; antennarum basi pedibusque flavis, tarsis apice obscuris; alis albo-hyalinis, nervo 2:do longitud. apice subrecto in costa excurrente, segmentis costæ 1:mo & 2:do *) subæque longis. ♂. (Long. 1—1 $\frac{1}{8}$ lin.).

*) *segmenta costæ* vide p. 947 hujus operis Tomi 3:tii in nota allegata.

Meig. Dipl. 1. 302. 8. Macqv. Buff. 1. 182. 6. Löw, Linnæa 1846. 1. p. 327. 2. T. 3. f. 2 (ala).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås in silva 31 Aug. 1820 duo specimina inveni; in Ostrogothia ad Gusum, affirmante Prof. *Wahlberg*.

♂. Colore pallido a ceteris nostris facile dignota. Præterea etiam differt nervi furcati ramis valde elongatis. Caput parvum, nigrum. Antennæ nigro-brunneæ, articulis basalibus 1 l. 2 testaceis. Oculi in viva nigri. Thorax flavus, dorso ferrugineo, brevissime pallide puberulo. Collare flavum. Abdomen modice latum, dorso nigro-brunneum, limbo anguse pallido. Alæ albido-hyalinæ, nervis obsoletis, costalibus paullo distinctioribus, flavidis. Segmenta costæ 1, 2 & 3 subæque longa. Nervus longit. 2:dus fere rectus paullo pone medium costæ excurrit. Ramuli nervi furcati petiolo fere triplo longiores; nervus 6:tus longit. fere rectus, nec flexuosus. Halteres pallidi. Pedes mediocres, flavi, tarsis apice plus l. minus late infuscatis.

Var. b. ♀? Magnitudo, statura, caput, alæ etiam quoad directionem nervorum, pedes & omnia exacte ut in var. a., a qua tantum thoracis abdominisque disco dorsali aut brunneo, aut nigricante, differt. A me capta in Scania ad Esperöd cum var. a. in 2 speciminibus, quæ feminea videntur.

Scatopse ochracea Meig. Dipt. 6. 314. 14. typica; a *Meigen* e museo meo descripta.

3. *Sc. scutellata:* nigro-picea, nitida, pleurarum maculis, scutelli margine, tibiarumque basi flavicantibus; alis cinereo-hyalinis, nervo 2:do longitudinali subrecto in costa excurrente, segmento costæ 1:mo 2:do saltem $\frac{1}{3}$ breviori, ramulis nervi furcati petiolo parum longiori-

bus; nervo 6:to longit. leniter flexo. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Fries, manuscr. 1822. — Löw, Linnæa 1846. 1. p. 328. 3. — "*Scat. scutellaris* n. sp." Stæg. in litteris 1837.

Hab. in succo exstillante arborum Qvercus, & in foliis Alni (ad aqvam), per Scandinaviam 5 Sept. — 10 Octob. passim, in copula quoque ter deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa prope Lund primum a Prof. *B. F. Fries* inventa; deinde in silvis ad ambos Esperöd (in peroeciis Tranås & Mellby) a me lecta; e Dania a D. *Stæger* in 4 exemplis communicata, ad Ordrup capta.

♂♀. Nervorum in alis directione & scutelli pictura ab aliis sine difficultate dignoscitur. Brunneo-, l. piceo-nigra. Caput cum antennis atrum. Thorax ad latera antice lunula, postice macula flavis. Scutellum flavo-marginatum. Abdomen parum latum, basi puncto utrinque flavo, in mortuis sæpe evanescente. Alæ cinereæ, nervis costalibus perspicuis, fuscis; reliqvis tenuibus, obsoletis. Segmentum costæ 1:mum ad 3:tiam costæ partem extensum, 2:dum 1:mo saltem $\frac{1}{3}$ fere $\frac{1}{2}$ longius, 3:tium 2:do fere duplo brevius. Ramuli nervi furcati apice modice divergentes, petiolo paullulum tantum longiores. Nervus 6:tus longitud. basi leniter flexus. Halteres pallidi. Pedes simplices, haud validi, brunnei l. picei, tibiis non calcaratis, basi interdum fere ad dimidium plus minus flavis; tarsis etiam interdum dilutioribus. — Variat corpore atro, thoracis abdominisque pictura flava, tibiis basi tarsisque sordide albidis. In Scania in pratis Fliinge prope Lund a D. *Dahlbom* in 2 exemplis similibus capta.

4. *Sc. pulicaria:* atra, nitida; pedibus nigro-piceis, intermediorum tibiis ima basi, posticorumque tibiis basi tarsisque, flavidis; halteribus pallidis; alis albidis, nervo

2:do longitudinali apice curvato ad costam flexo, segmento costæ 1:mo 2:do circiter $\frac{1}{4}$ breviori, ramulis nervi furcati petiolo paullo longioribus, nervo 6:to longitudinali flexuoso. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Löw, Linnæa 1846. 1. p. 338. 10? Tab. 3. f. 10 (ala).

Hab. in Dania, D. *Stæger*, qui individuum unicum sub nomine: "*Sc. pulicaria* Löw" mecum communicavit.

Tota atra, nitida. Parva, gracilis. Abdomen versus apicem paullo latius. Antennarum articulatio sat conspicua. Alæ cinereo-albidæ. Nervi omnes (in specimine mortuo) pallidi, costales perspicuiores, inferiores tenuissimi, parum conspiciendi; 1:mus longitudinalis ad $\frac{1}{3}$, & 2:dus longit. ad $\frac{2}{3}$ totius costæ extensi, ita ut segmenta costæ 1, 2 & 3 fere æque longa evadant. Ramuli nervi furcati subæque longi, ad apicem modice divergentes, & petiolo subrecto paullo longiores. Hic petiolus oriundus, ubi nervulus transversus ducitur. Nervus 6:tus longit. leviter tantum flexus. Halteres flavi, nec nigricantes ut in *S. pulicaria* Löw. Pedes nigri, versus lumen vivi picei. Femora antica valida. Tibiæ intermediæ piceæ, ima basi flava; tarsi intermedii picei. Tibiæ posticæ piceæ, basi ad $\frac{1}{3}$ flavæ; tarsi postici toti flavescentes.

Obs. Pedes *Sc. pulicariæ* apud Löw l. c. piceo-nigri l. piceo-brunnei describuntur.

5. *Sc. geniculata:* piceo-nigra, nitida, pedibus fuscis, tibiis basi flavis; halteribus pallidis; alis albis, nervo 2:do longitud. apice curvato ad costam flexo, segmento costæ 1:mo 2:do circiter $\frac{1}{3}$ breviori, ramulis nervi furcati petiolo paullo longioribus, nervo 6:to longitud. flexuoso. ♂♀. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Stæg. in litt. 1838.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius, e Dania a D. *Stæger* mihi communicata.

♂♀. Valde similis priori, & vix nisi segmento costæ 2:do longiori discrepans. Affinis videtur *Scat. picipedi* Meig. Dipt. 6. 313. 9., sed thorace immaculato, alis albidioribus, nervis costalibus forte nonnihil longioribus, ut & tibiarum basi flava, dignoscitur. A *Sc. scutellata*, cui etiam similis, thorace scutelloque immaculatis, alarum nervis costalibus magis parallelis, horum 2:do longitudinali apice in costam curvato, nec apice recta linea excurrente, &c., differt. Caput cum antennis nigrum. Thorax & abdomen modice latum, nigro-picea. Alæ abdomine longiores, albicantes, nervis tenuissimis, albidis, costalibus paullo distinctioribus. Nervus costalis ad $\frac{3}{4}$ totius costæ extensus. Segmentum costale 1:mum circiter 3:tiam costæ partem occupat, 2:dum 1:mo saltem $\frac{1}{3}$ longius, 3:tium longitudine 1:mi. Ramuli nervi furcati ad apicem modice divergentes, petiolo e regione apicis nervi auxiliaris oriundo, circiter $\frac{1}{4}$ longiores. Nervus 6:tus long. valde obsoletus versus basin flexus. Halteres albidi. Pedes mediocres, brunnei, geniculis summis & tibiis basi flavidis, tarsis etiam dilutioribus.

6. *Sc. picipes:* piceo-nigra, nitida, pedibus fuscis, tibiis concoloribus; halteribus pallidis; alis cinereis, nervo 2:do longitudinali apice leniter curvato ad costam flexo, segmento costæ 1:mo 2:do circiter $\frac{1}{8}$ breviori, ramulis nervi furcati petiolo paullo longioribus, nervo 6:to longit. leniter flexuoso. ♂. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 313. 9? *Scatopse pusilla* Fries manuscr. 1822.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Scania a Prof. *B. F. Fries* ante plures annos inventa & nomine *S. pusilla* designata.

♂. Duabus proxime præcedentibus iterum simillima, sed nervo costali paullulum breviori & pedibus totis brunneis, nec geniculis summis nec tibiis basi flavis, dignota videtur. Alæ ut in præcedente, sed segmenta costalia 1, 2 & 3 fere æque longa, 1:mum tantum singulo reliquorum circiter $\frac{1}{8}$ vel ad summum $\frac{1}{4}$ brevius. Tibiæ totæ brunneæ, ne quidem flavedinis vestigio. Tarsi quoque vix dilutiores.

Obs. 1. Lunulam quandam lateralem albidam l. flavidam in thoracis antico in speciminibus meis paucis & vetustis detegere non possum, unde dubium de identitate cum specie Meigeniana.

Obs. 2. Sub quadam specierum nostrarum 4, 5 aut 6, valde affinium, sine dubio latet *Scat. pulicaria* Löw.

7. Sc. *leucopeza:* atra, nitida, tarsis sordide albis; halteribus fuscis; alis albo-hyalinis, nervo 2:do longitudinali apice recto, segmentis costæ 1, 2 & 3 æque longis, ramulis nervi furcati petiolo fere duplo longioribus, 6:to longitud. leniter flexuoso. ♂? (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.)

Meig. Dipt. 1. 301. 3? Macqv. Buff. 1. 182. 5?

Hab. in litore maris ad Lomma Scaniæ 1—30 Jul. passim, D. *Dahlbom;* in libris vetustis etiam inventa.

♂? Per tarsos albidos & nervorum in alis directionem ab affinibus dignota. Tota atra, nitida, glabra. In thoracis lateribus ante alas adest interdum (in viva) vestigium lineolæ flavæ. Oculi in viva obscure brunnei. Alæ albidæ. Nervi costales non longe remoti, pallidi, sed paullo distinctiores quam reliqvi tenuissimi, albi. Ramuli nervi furcati, ad apicem modice divergentes, petiolo fere duplo longiores. Halteres fusci. Pedes mediocres, nigri, tarsis sordide albidis. — *Scat. nigræ* Meig. & *Sc. recurvæ* Löw etiam appropinquare videtur.

Sc. albitarsis nervo costali nonnihil paullo pone medium costæ extenso, in *Sect.* 2:da sub n:o 14 quærenda.

8. *Sc. tristis:* atra, subopaca, halteribus concoloribus; tarsis sordide flavidis; antennis longiusculis nigris, articulis subdiscretis; alis cinereis, nervo 2:do longitudinali apice recto, segmentis costæ 1, 2 & 3 æque longis, ramulis nervi furcati petiolo parum longioribus, 6:to longitudinali flexuoso. ♀? (Long. $\frac{1}{2}$ lin)

Stæg. in litt. Decemb. 1849.

Hab. in Dania rarissime, D. *Stæger*, qui specimen unicum pro descriptione communicavit.

♀? Per antennas solito nonnihil longiores & articulationem sat distinctam, ab affinibus diversa. Exigua, nigra, parum nisi in abdomine nitida. Abdomen postice paullo latius, apice subtruncatum. Alæ albido-cinereæ, nervis costalibus distinctis, obscuris, reliquis tenuibus, parum conspicuis, albis. Nervi longitudinales 1:mus ad $\frac{1}{3}$, 2:dus ad $\frac{2}{3}$ totius costæ extensi, unde segmenta costæ omnia tria æque longæ evadunt. Ramuli nervi furcati, quorum superior paullo flexus, petiolo recto vix $\frac{1}{8}$ longiores, ad apicem alæ modice divergentes. Hic petiolus fere a nervulo transverso originem ducit. Nervus 6:tus longit. medio flexus. Halteres nigri. Pedes haud validi, nigri, tibiis omnibus ima basi pallidis, tarsis anticis fuscis, posterioribus totis sordide flavidis, articulo ultimo obscuro.

Sect. 2. Nervus costalis fere in medio costæ desinit.

9. *Sc. hallerata:* aterrima, nitida, alis halteribusque albis; nervo costali ad medium costæ extenso, ramulo superiori nervi furcati basi abbreviato, nervo 6:to longit. inflexo obsoletissimo. ♂♀. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.)

Meig. Dipt. 7. 55. 16. Löw, Linnæa 1846. 1. p. 339. 11. ♂♀. T. 3. f. 11 (ala). descriptio & figura fideles. — *Scat. minuta* Zett. Ins. Lapp. 801. 3. ♂♀. exclus. syn. Meig.

Hab. in Scandinavia minus frequens, mihi tantum in septentrione obvia; scilicet in graminosis (præsertim in Alopecuro geniculato) Lapponiæ Umensis ad Wilhelmina 16 Jul. 1832 plura paria in copula juncta inveni; deinde in litore maris ad diversorium Thynäs Norwegiæ 3 Jul. 1840 specimina 8 copulata deprehendi; in Norwegia ad Christianiam a D. *Siebke* etiam lecta.

♂♀. Colore corporis atro, alarum halterumque albo, & denique ramulo superiori nervi furcati basi interrupto, ab omnibus aliis nostris facillime dignota. Tota atra, immaculata. Thorax longiusculus. Abdomen depressum, in ♂ modice latum, apice acutum, in ♀ posterius dilatatum, apice subtruncatum. Alæ albæ, nervis costalibus approximatis, tenuibus, fuscis, reliquis parum conspiciendis. Nervus costalis tantum ad medium costæ extenditur, auxiliaris fere ad $\frac{3}{4}$ nervi costalis continuatus; hinc segmentum costale 1:mum circiter tertiam costæ partem attingit, 2:dum 1:mo fere triplo brevius, 3:tium seu apicale longissimum & antecedentibus simul sumtis fere longius. Nervus 6:tus longit. modice inflexus, valde obsoletus. Halteres albi. Pedes mediocres, nigri.

10. *Sc. clavipes:* atra, nitida; halteribus sordide albidis; alis hyalinis, nervo costali saltem ad medium costæ extenso, ramulis nervi furcati petiolo longe pone nervulum transversum orto multo longioribus, longitudinalibus 5:to recto, 6:to & 7:mo parum arcuatis; maris tibiis posticis versus apicem clavatis. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{12}$ lin.)

Löw, Linnæa 1846. 1. p. 333. 7. ♂♀. T. 3. f. 7 (ala).

Hab. in fenestris ad Hafniam Danorum mense Julio, D. *Stæger*, a quo utrumque sexum benigne communicatum possideo.

♂♀. Per tibias posticas versus apicem in ♂ clavatas, & directionem nervorum in alis singularem in utroque sexu, ab aliis abunde dignota. Tota atra, nitida. Antennæ modice longæ, articulis parum discretis. Alæ hyalinæ. Nervi costales perspicui, brunnei, reliqui tenues, albidi; longitudinales 1:mus (seu auxiliaris) circiter ad $\frac{1}{3}$ costæ extensus; 2:dus a costa insigniter remotus, nonnihil pone medium costæ productus, ad apicem versus hanc paullo curvatim flexus; 5:tus rectus (nec ut in figura Löwii paullo arcuatus); 6:tus & 7:mus subintegri, leniter subarcuati; furcatus distincte pone nervulum transversum (nota priva) ortus, ramulis petiolo recto fere quadruplo longioribus, ad apicem alæ distincte divergentibus, horum superiori ad basin paullo curvato. Segmentum costæ 2:dum brevissimum. Halteres sordide albidi, clava superne infuscata. Abdomen basi utrinque macula sordide albida, saltem in ♂. Pedes validi, nigri (in ♂ piceo-nigri). Tibiæ posticæ in ♀ modice, in ♂ eximie versus apicem incrassatæ. Metatarsi postici in utroque sexu non abbreviati.

11. Sc. *flavitarsis:* nigra, subnitida, tarsis flavis; alis cinereis, nervo costali ad medium costæ extenso, ramulis nervi furcati petiolo paullo longioribus, nervo 6:to longit. leniter flexo. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litteris 1839.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂. Nigra. Antennæ breviusculæ. Abdomen modice latum, apice (in mortua) crassiusculum, obtusum. Alæ proportione non longæ, cinereæ. Nervi: costales approximati, tenues, obscuri; auxiliaris 2:dum longitudinalem rectum ad dimidium sequitur; hinc segmenta costæ 1 & 2 fere æque longa, 3:tium seu ultimum duobus antecedentibus simul sumtis fere longius; reliqui tenuissimi, parum conspiciendi. Ramuli nervi furcati petiolo, e regione apicis auxiliaris oriundo, circiter $\frac{1}{3}$ longio-

res, ad apicem alæ modice divergentes. Nervus 6:tus longit. obsoletissimus, basi leniter flexus videtur. Halteres mutilati. Pedes mediocres, nigri, tarsis flavis. — A *Scat. fulvitarsi* Macqv. differt annulo femorum tibiarumque testaceo deficiente. — An varietas sequentis?

12. *Sc. recurva:* atra, opaca; halteribus nigricantibus; alis albido-hyalinis, nervis costali ad medium costæ extenso, inferioribus parum conspiciendis, longitudinalibus 2:do apice recto, 6:to distincte flexo, ramulis nervi furcati petiolo circiter $\frac{2}{3}$ longioribus. ♂. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Löw, Linnæa 1846. p. 330. 4. ♂♀. T. 3. f. 4 (ala). (*Sc. fuscipes* Meig. Dipt. 6. 314. 12. similis videtur, sed "pedibus testaceis" prædita).

Hab. in Dania; a D. *Stæger* specimen masculum obtinui.

♂. Atra. Antennæ mediocres, articulis coarctatis. Abdomen versus apicem paullo latius, postice subnitens. Alæ albido- vel cinereo-hyalinæ, nervis costalibus obscure brunneis, reliquis obsoletis. Nervus auxiliaris saltem ad quartam, vix ad tertiam partem costæ productus. Segmentum costæ 2:dum 1:mo nonnihil tantum brevius. Ramuli nervi furcati ad apicem modice divergentes, & longiores petiolo fere recto, e nervulo transverso (nec ante nervulum illum ut in figura Löwii) orto. Nervi longitudinales 5:tus rectus non usque ad summum marginem interiorem extensus, 6:tus in medio distincte geniculatus l. flexus. Halteres nigricantes l. obscure brunnei. Pedes mediocres, inermes, nigricantes l. fusco-nigri, tarsis præsertim anticis nonnihil dilutioribus. Metatarsi postici non abbreviati.

13. *Sc. soluta:* atra, nitida; halteribus sordidis; alis hyalinis, nervis albidis, costali saltem ad medium costæ

extenso, longitudinalibus 2:do a costa distincte remoto apice curvato, 6:to subrecto, ramulo nervi furcati superiori basi interrupto. ♀. (Long. circiter ¾ lin.)

Löw, Linnæa 1846. p. 335. 8. ♀. T. 3. f. 8 (ala).

Hab. in Dania forte rarissime, mihi tantum in unico exemplo a D. *Stæger* communicata.

♀. Altero ramulo nervi alarum furcati basi abrupto, ab aliis facile dignota. Tota atra, nitida. Antennæ mediocres, articulis coarctatis. Thorax postice utrinque puncto albo. Alæ hyalinæ, nervis costalibus haud validis, sed perspicuis, certo situ fuscis, alio situ albidis, reliquis valde tenuibus, albis. Nervi: costalis saltem ad medium l. paullulum pone medium costæ productus; longitudinales 2:dus a costa longe remotus (ut in *Sc. clavipede)*, apice versus costam arcuatim flexus, 5:tus & 6:tus fere recti. Ramuli nervi furcati ad apicem alæ modice divergentes, horum superior basi interruptus; hinc nervus furcatus simplex videtur, e nervulo transverso originem ducens. Halteres in specimine viso fusco-albidi. Pedes validiusculi, nitidi, nigri, versus lumen visi nigro-picei.

Obs. D. *Zeller* specimina 2 in Italia 13 Martii & 15 Aprilis invenit, teste D. *Löw* l. c. — D. *Stæger* neque locum specialem, neque tempus vigendi pro individuo danico mihi indicavit.

14. *Sc. albitarsis:* angusta, atra, parum nitida, halteribus concoloribus, tarsis albis; alis albo-hyalinis, nervo costali paullo pone medium costæ extenso, ramulo superiori nervi furcati cum nervo longitudinali 2:do per nervulum transversum connexo, nervo 6:to longit. arcuato. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Hab. in foliis Salicis viminalis (ad aquam plantatæ) in Scania ad Lund (in horto proprio) in 3 maribus & 4 feminis, quorum duo paria in copula juncta, d. 2—4

Aug. 1848 inveni; etiam par unicum copulatum in Gottlandia ad Stenkyrka Jul. 1841 deprehendit D. *Dahlbom.*

♂♀. *Scat. transversali* Löw proxime accedit, sed corpore longiusculo, angustato, nec lato, & tarsis albissimis, nec nigris, sine omni dubio diversa. Atra, immaculata, glabra, minus nitens. Antennæ mediocres. Thorax oblongus, convexus. Abdomen thorace fere duplo longius, proportione in utroque sexu angustatum, ano in mare appendicibus 2 filiformibus, pilosis, fuscis, longitudine segmenti ultimi; in femina subobtuso, mutico. Alæ in utroque sexu albidæ, nervis costalibus modice approximatis, tenuibus, obscuris. Nervus costalis rectus nonnihil pone medium costæ continuatus, quem auxiliaris ad dimidium sequitur, unde segmentum costale 1 & 2 fere æque longa, 3:tium antecedentibus simul sumtis fere paullo brevius. Reliqui nervi obsoleti, horum 6:tus longit. arcuatus. Ramuli nervi furcati petiolo, mox ante nervulum transversum oriundo, nonnihil longiores, ad apicem alæ paullo divergentes; per nervulum transversum apex nervi long. 2:di (1:mi Löw) & basis ramuli anterioris connectuntur, omnino ut in figura Löwiana *Scat. transversalis* exacte ostenditur. Halteres atri. Pedes simplices, graciles, nigri, tarsis tenuibus, totis albis, articulo ultimo brunneo.

Obs. Hujus specimen masculum sub nomine: "*Scat. flavitarsis* Stæg. ♂. nov. sp.", 1850 obtinui.

15. *Sc. brevicornis:* modice angusta, atra, subopaca, halteribus concoloribus; alis cinereo-hyalinis, nervo costali ante medium costæ desinente, 6:to longitudinali distincte inflexo, ramulis nervi furcati brevissimis. ♂♀. (Long. circiter ⅔ lin.).

Meig. Dipt. 6. 314. 11. Löw, Linnæa 1846 1. p. 332. 6. ♂♀. T. 3. f. 6 (ala).

Hab. in Svecia meridionali rarius; in Lund Scaniæ in fenestris cubiculi mei 27 Maj. — 6 Jun. 1847 sex spe-

cimina inveni, quorum unicum pro mare habeo; in foliis Dauci Carotæ a medio ad finem Julii 1849 individua quædam quotidie in horto meo deprehendi; e Dania etiam a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Per nervi furcati ramulos brevissimos ab omnibus hactenus cognitis dignota. Atra. Antennæ capite fere breviores. Abdomen angustatum, in unico exemplo (masculo) anus appendiculis 2 brevibus, filiformibus, flavis munitus. Alæ cinereæ, nervis tenuibus, pallidis, costalibus nonnihil distinctioribus. Nervi: costalis tantum circiter ad tertiam costæ partem continuatus, ibique cum 2:do longitudinali conjunctus; auxiliaris & 2:dus longitudinalis valde approximati, ita ut apices horum nervorum parum distent; 3:tius longitudinalis petiolo longissimo recto mox ante nervulum transversum oriundo cito intra apicem alæ in furcam ramulis brevissimis apice sat divergentibus dividitur; 6:tus longitudinalis perspicue flexuosus. Segmentum costæ 3:tium longissimum. Halteres nigri. Pedes mediocres, simplices, nigri.

212—213. ASPISTES Meig. — Mus. Hffsgg.

Corpus minutum, oblongo-ovatum l. ovale, glabriculum, nitidum. Caput rotundatum, thorace angustius & humilius. Antennæ capite paullo longiores, porrectæ, crassiusculæ, subcylindricæ, 8-articulatæ (Meig. Löw) (*), articulo ultimo ovato, compresso.

*) *Zeller* (Isis 1842 p. 812) articulos 12 in singula antenna numeravit; & hoc fere cum enarratione Wiegmanni de articulatione antennæ femineæ congruit. Articuli quidem valde coarctati & contigui sunt atque ægre distingvuntur, sed in plerisque individuis meis *Aspist. berolinensis*, articulos, ni visu fallor, circiter 10, saltem ultra 8, numerare posse me credi-

Palpi occulti. Oculi in utroque sexu remoti, integri. Ocelli 3. Thorax gibbus, sutura transversa nulla; disco antico macula scutelliformi, subquadrato-ovali, subtiliter punctulata. Scutellum transversum. Abdomen 8-annulatum, latum, depressum. Alæ magnæ, nudæ, hyalinæ. Nervi: costalis paullo pone medium costæ desinit, ibique cum longitudinali 2:do conjunctus acutissimum angulum (atro-notatum) formans; auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, a costali & 2:do longitudinali distincte remotus, at basi per nervulum transversum cum hoc connexus; hi omnes nervi crassiusculi, distincti, obscuri; reliqui tenuissimi pallidi parum conspicui, horum tres simplices in marginem interiorem tendunt, quorum duo e longitudinali 2:do emanare videntur; 6:tus longitudinalis valde flexuosus, in medio geniculatus. Nervus interior marginalis nullus. Squamæ nullæ. Halteres distincti. Pedes validiusculi, tenuiter puberuli, anticorum coxis majusculis, femoribus crassissimis, subtus setulosis, tibiis intus spina longiuscula terminatæ. Tibiæ posteriores apice breviter calcaratæ. *Color* niger. *Motu* reptans. *Habitatio* in varis plantis. *Differentia sexus* mihi non rite cognita; in quibusdam individuis femora antica modice tantum crassa (nec crassissima), quæ alterum sexum forte produnt. *Typus* generis: *Asp. berolinensis.*

1 *berolinensis* Meig. 2 *borealis* Löw.!

1. *Asp. berolinensis:* ater, nitidus, halteribus concoloribus; ano ferruginante; alis albo-hyalinis; tibiis basi tarsisque fere totis pallide flavis. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 319. 1. T. 11. f. 16. (♀ volente *Meigen*, ♂ secundum v. *Winthem & Löw*). Ejusdem Dipt. 6. p. 317. — Macqv. Buff. 1. 180. 1. ♂♀. (??). Tab. 4. f. 20. (fig. non fidelis). — Löw Bemerk. 1840. p. 4. 1.

---

derim. Ex his vero concludere posse videar, numerum articulorum in diverso sexu diversum esse.

Tab. f. 8. ♀ (affirmante Löwio ipso). — Zeller, Isis 1842. p. 812. 5. — Wiegmann & Ruthe, Handbuch, edit. 2. 1843. p. 470 (ubi mari antennæ 8-articulatæ, articulo ultimo incrassato, & feminæ antennæ 11-articulatæ tribuuntur).

Hab. in Scandinavia valde rarus; hactenus tantum quantum noverim, in insulæ Gottlandiæ Fårön, ubi ad cumulum illum magnum, Olle-Hau dictum, ex arena litorali exstructum, in Pinubus ibi crescentibus, 10 specimina 24 Jul. 1841 delegere mihi contigit. Cel. *Stæger* mihi nuperime scripsit se etiam 2 exempla in arenosis ad litus maris Daniæ 6 Jul. invenisse. (v. *Winthem* specimina hujus speciei sub foliis Tussilaginis Petasitis & spuriæ frequenter invenit; *Löw* in Tussilagine Farfara non raro legit; *Wiegmann* in floribus Torilis Anthrisci in multis exemplis deprehendit; *Zeller* iterum, qui specimina mecum communicavit, scripsit simul se illa "tantum in sabuletis, numquam in Tussilagine" invenisse.)

Totus ater, nitidus. Thorax dorso brevissime ferrugineo-puberulus, macula scutelliformi in disco antico opaca. Abdomen thorace latius, præsertim posterius, ano prominulo rotundato punctulato, apice rufescente. Alæ incumbentes, albo-hyalinæ, nervis costalibus nigris, stigmate in angulo nervorum costalis & 2:di longitudinalis, atro. Segmentum costale 1:mum saltem $\frac{1}{2}$ vix dimidium costæ excipit, 2:dum 1:mo duplo brevius, 3:tium longitudine 1:mi. Directio nervorum in caractere generis describitur. Halteres nigri. Pedes modicè longi, ut in genere constructi, nigri, tibiis anticis plerumque totis, posterioribus basi plus minus late flavis. Tarsi omnes simplices, flavi, articulo ultimo nigro. Spina in apice tibiarum anticarum leniter curvata, flava.

Obs. Löw l. c. dixit "apicem coxarum & femorum ferrugineum

esse"; sed in omnibus meis individuis coxæ & femora tota nigra sunt, exacte uti etiam in exemplis a *Zeller* missis.

2. *Asp. borealis:* niger, nitidus, halteribus pallidis; alis hyalinis; pedibus flavo-ferrugineis, tarsis apice fuscis. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin. mensur. Svec.)

Löw, Ent. Zeit. 1847. n:o 3 p. 69?

Hab. in Norwegia sub-boreali rarissime; ad diversorium Östre-Næss Værdaliæ 8 Jul. 1840 specimen unicum inveni.

Asp. berolinensi duplo major. Niger, nitidus, glabriculus. Antennæ capite parvo fere duplo longiores, apice compressæ, unde e latere visæ clavatæ videntur. Scutum ordinarium in thoracis disco dorsali antico magnum ovale punctulatum opacum. Thoracis vitta lateralis utrinque luteo-ferruginea (in nostro specimine) ab humeris vix ad radicem alarum extensa sensim evanescit. Abdomen latum, marginibus lateralibus (in mortuo) elevatis. Anus parvus, subprominulus, subtus rufus. Alæ hyalinæ, leniter fuscanæ, regione nervorum costalium aqueæ. Nervi costales omnes crassiusculi, distincti, nigri, reliqui tenuissimi, albidi. Nervulus transversus paullo ante medium auxiliaris insertus, hunc & 2:dum longitudinalem connectit. Ex hoc nervulo nervus 4:tus longitudinalis in marginem paullo pone apicem alæ simplex excurrit. Nervus 3:tius longitudinalis tantum ut rudimentum abruptum ex apice alæ versus discum ducitur, unde non satis liqvet, an hic nervus (si integer esset) originem ex nervo 2:do longitudinali duxisset, aut solum ut abbreviatus ramus nervi furcati considerandus, quod per analogiam cum *Scatopside* verosimilius videtur; longitudinalis 6:tus valde flexuosus, parum perspicuus. Halteres flavo-albidi. Pedes cum coxis toti ferrugineo-flavi, tantum tarsorum articulis 4 ultimis fuscis.

Obs. Cel. *Löw* l. c. per hanc brevem & insufficientem diagno-

sin (*) speciem determinare voluit: "*Asp. borealis* nervulo alarum transversali ad radicem nervi longitudinalis tertii valde approximato." — Löwii & nostra species forte identicæ, licet in variis minoris momenti differunt. Sic segmenta omnia ventralia brunneo-, vel ferrugineo-marginata a *Löw* dicuntur; abdomen vero totum & supra & subtus in nostra specie atrum est, anus tantum subtus rufescens. Pedes in Löwiana obscure ferruginei, in nostra flavi vel ferrugineo-flavi sunt. Alæ in regione nervi auxiliaris perspicue flavido-tinctæ a *Löw* dicuntur, in eadem vero regione alæ in nostra pure hyalinæ seu aqveæ deprehenduntur. De halterum colore silet *Löw*. Russiam borealem pro patria suæ speciei designat Idem (secundum *Kolenati*).

Fam. 42. SIMULIDES. Zett.

213. SIMULIA Meig.

Corpus parvum, oblongo-ovatum, gibbum, Platypezæforme, opacum, tomento brevissimo vestitum. Caput parvum, thorace angustius & humilius. Antennæ capite nonnihil longiores, porrectæ, subcylindricæ, perfoliatæ, versus apicem nonnihil angustiores, 11-articulatæ, articulis contiguis, 2 basalibus discretis. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulo 1:mo parvo,

*) Pro facilitanda examinatione, *diagnosis* speciei bona & secundum regulas artis constructa maximi sane est momenti. In ea etiam, præmissis debitis familiis, generibus & divisionibus, consistit virtus & robur systematis, quatenus hujus finis ultimus in *speciem* inveniendam & dignoscendam tendat. Talem vero diagnoseos constructionem majorem laborem, curam & perspicacitatem requirere, quam fabricationem sæpe mechanicam fusæ & prolixæ descriptionis partium quasi fixo ordine enumeratarum, satis constat. Hinc a quibusdam negligitur.

ultimo elongato, tenui, nudo. Ocelli nulli. Thorax ovatus, absque sutura transversa. Abdomen subcylindricum, 8-annulatum. Alæ magnæ, latæ, incumbentes, nudæ, hyalinæ. Nervi: ad marginem anticum distincti, plerumque obscuri, reliqui tenuissimi, pallidi, pellucidi, parum conspiciendi; interior marginalis nullus; sex longitudinales marginem hunc tangunt; costalis validus fere ad apicem alæ continuatur; auxiliaris fere ad medium costæ extenditur, a costali modice remotus; longitudinales 2:dus & 3:tius valde approximati cum costali ad apicem confluunt (hi perspicui); 4:tius & 5:tus furcam longam sessilem formant versus basin nervi long. 3:tii (saltem paullo ante apicem auxiliaris) oriundam; 6:tus (interdum obsoletissimus) etiam furcatus, furca longe petiolata, petiolo (uti sequentes nervi) e basi alæ originem ducente; 7:mus simplex; 8:vus distincte flexuosus; 9:nus iterum simplex, leniter tantum flexus; 10:mus arcuatus, abbreviatus (hi parum perspicui). Squamæ nullæ. Halteres distincti. Pedes validiusculi, compressi, inermes, metatarso postico longiusculo. **Color** in plerisque niger, pictura sæpe insigni. ***Motu*** agilis, reptando. ***Habitatio*** in silvis præsertim Betulinis. Individua feminea quarundam specierum per totam Scandinaviam vulgatissima & præcipue in septentrione sæpe copiosissima & innumerabilia imprimis in convallibus paludosis, reptatu pertinaci & punctione dolorosa homini ceterisque animalibus calidisangvibus valde molesta & vix pellenda. Earum tamen hostes sunt *Hormopeza & Cordilura*, teste *Wahlberg* (*). Mares innocentes in aëre choreas sæpe instituunt. Larvæ intra caules plantarum aqvaticarum vivunt & metamorphosin subeunt. ***Differentia sexus*** evidens; ***mas:*** sæpe ater, pulchre pictus, oculis magnis, rotundis, in fronte arcte contiguis, in vivo plerumque rufis, antennis in frontis antico approximatis, palpis parvis, abdomine subcylindrico, subincurvo, matatarso postico incrassato; ***femina:*** cinerascens, oculis mediocribus, renifor-

*) Conspect. Actor Acad. Holm. 1847, n:o 9. p. 258.

mibus in fronte remotis, in viva obscuris, antennis in incisura oculorum insertis, nonnihil remotis, palpis majusculis, labro corneo proboscidi breviori imposito, setam haustelli includente, abdomine oblongo, crasso, recto, metatarsis vix incrassatis. *Typus* generis: *Sim. reptans.* — *Monographiam Simuliarum Sveciæ* in Dissertatione academica "Observationes Entomologicas" continente, Lundæ 1824, docte & eleganter elaboratam dedit Prof. *B. F. Fries*, in qua larvas, pupas, species cognitas & mores imaginum, descripsit figurisque fidelibus illustravit. (Tropicorum *Musquitos* crudeles etiam huic generi subjectæ putantur (*).

Phalanx 1:*ma* corpore nigricante aut cinerascente.

Sectio 1. Pedes albo-annulati.

a). Limbus thoracis argenteo-, aut cinereo-micans.

1 *reptans* Linn. (*Tip. sericea* Linn. Syst. Nat. ♂. *Tip. erythrocephala* Deg. ♂. *Atractocera argyropeza* Meig. Klass. ♂.) ♂♀. 2 *ornata* Meig. (*Atractocera regelationis* Meig. Klass.) ♂♀. 3 *nana* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 4 *minutissima* Zett. n. sp. ♂♀.

b). Limbus thoracis concolor, obscurus.

5 *aurea* Fries (*S. latipes* Meig.? ♂) ♂♀. 6 *annulitarsis* Zett. ♀. 7 *pusilla* Fries. ♂♀.

---

*) *Culex Mosquito* Rob. Desv. (Mosquites, Zancudos &c.) calamitas partis Africæ & Americæ, insulam Cubam circa Havanam imprimis vexans. — Cfr. Guerin & Percheron Gen. Ins. T. 2. f. 1. — Macqv. Buff. 1. 35. 8.

Sectio 2. Pedes toti obscuri aut pallidi, unicolores, nec annulati.

α). pedibus fuscis.

8 *hirtipes* Fries ♂♀. 9 *fuscipes* Fries (*S. marginata* Meig.? ♂. *S. pubiventris* Zett. ♀. An *Culex equinus* Linn.?) ♂♀. 10 *pygmæa* Zett. (*S. nana* var. c. Ins. Lapp.) ♂♀.

β). pedibus pallescentibus.

11 *pallipes* Fries ♂♀.

Phalanx 2:da corpore rufescente.

12 *ferruginea* Wahlb. (*Sim. borealis* Zett. It. Lapp. 1840) ♂♀.

Simulia.

Phalanx 1:ma corpore nigricante aut cinerascente.

Sect. 1. Pedes albo-annulati.

a). Limbus thoracis argenteo-, aut cinereo-micans.

1. *S. reptans:* epistomate albicante; limbo thoracis argenteo, antice interrupto maculiformi; pedibus subnudis, fuscis, anterioribus tibiarum latere antico argenteo-micante, tarsis atris; posticis aut totis fuscis (♂), aut fuscis, tibiarum metatarsorumque basi late (♀) albida; halteribus in utroque sexu pallidis; abdominis lamina basali modice ciliata; *mas:* ater, holosericeus, parce aureo-subtomentosus; *femina:* nigro-fusca, griseo-tomentosa, thorace glaucescente. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipl. I. 291. 2? ♀. & 6. p. 309? ♂♀. Zett. It. Lapppon. 1821. 2. p. 140. ♀; It. Lappon. 1832. p. 66. & Ins. Lapp. 802. 1. ♂♀. Fries, Monogr. Simul. 13. 1. ♂♀. T. 1. f. 6 larva, f. 7 pupa. Dahlb. Scand. Ins. 1837. p. 330. 226. — *Simulium* idem Latr. Gen. 4. 269? Macqv. Buff. 1. 174. 3? ♂♀. — *Culex reptans* Linn. Fn. Sv. n:o 1893. ♀. vera. Syst. Nat. 1767. 2. p. 1003. 5. Schrank, Austr. p. 483. n:o 985? Fabr. Ent. Syst. 4. 402. 8. ♀. — *Scatopse* ead. Fabr. Antl. 56. 2. ♀. — *Tipula sericea* Linn. Syst. Nat. 1767. 2. p. 978. 58. ♂. Fabr. Ent. Syst. 4. 252. 91. ♂. — *Chironomus* idem Fabr. Antl. 48. 47. ♂. — *Simulia* eadem Meig. Dipt. 1. 295. 8. ♂. — *Simul. elegans* Meig. Dipl. 1. 296. 9. ♂. Löw, Bemerk. 1840. p. 3. 4. ♂. — *Tipula erythrocephala* Deg. Ins. 6. 431. 37. T. 28. f. 6. ♂ (fig. manca). — *Scatopse maculata* Fabr. Antl. 56. 3? ♂. — *Atractocera argyropeza* Meig. Klass. 1. 96. 4. ♂. — Svetice: *Knott*; Fennon.: *Mäkärä*; Lappon.: *Muockir.*

Hab. per totàm Scandinaviam vulgaris, in Lapponiis præsertim copiosissima, & tantum summa alpium nivalium cacumina aufugiens; ab ineunte Julio usque ad finem Augusti (in Lapponia), aut Septembris (in Svecia meridionali) viget, in copula frequenter observata; feminæ mammalia tenaciter persequuntur, & punctione sæpe inflammatione conjuncta infestant; in terris australioribus ut in Scania minus numerosæ parumque molestæ; ibidem vero jam medio mensis Maji in copula hanc sæpe inveni. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa; & sub nomine; *Simulia sericea*, a Beato *Meigen* communicata.).

Mas. Antennæ nigræ. Thorax aterrimus, parce & breviter au-

reo-villosus, limbo antico in medio interrupto, in humeris lineola transversa notato, pectoreque, albo- vel argenteo-micantibus. Abdomen atrum, punctis lateralibus utrinque 3 argenteis, horum uno antico. Nervus long. 6:tus furcatus obsoletissimus vix observandus. Halteres fulvi. Pedes fusci; antici: tibiis latere exteriore argenteis, tarsis atris; intermedii: tibiarum basi late albida; postici: tibiis metatarsisque brunneis, illis basi interdum anguste albidis, extus semper paullo pilosis, his dilatato-compressis.

Fem., qualem in copula cum mare descripto in terris borealibus invenerim. Antennæ nigræ. Epistoma argenteo-micans. Thorax obscure glaucescens, dorso perspicue at breviter flavido-tomentoso, limbo cinereo-albido, antice interrupto & (in illæsis) striola humerali transversa fusca notato. Abdomen cinereum, immaculatum, basi ciliis modice longis coronatum; segmentis ultimis glaucescentibus, nitidis. Alæ ut in ♂. Nervus 6:tus long. furcatus spurius, parum conspiciendus. Halteres albi. Pedes obscure brunnei; antici: tibiis albis, apice tarsisque totis atris; intermedii: tibiis albis, apice obscuris; postici: tibiis & metatarsis albis, apice fuscis. Coxæ anticæ etiam sæpe albidæ.

Obs. Puncta abdominis denudata argentea in individuis exsiccatis plerumque 1. sæpe evanescunt, & non nisi vestigium punctarum 2 basalium manet.

2. S. *ornata:* epistomate albicante; thorace aureo-tomentoso, limbo argenteo, antice interrupto maculiformi; pedibus subnudis, fuscis, tibiis albis, apice brunneis, tarsis anticis atris, posticis basi albis; halteribus pallidis; abdominis lamina basali longe ciliata; *mas:* ater holosericeus; *femina:* obscure cinerea. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{8}$—$1\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 290. 1? ♂♀. Fries, Monogr. Simul. 15. 2. ♂♀. *Simulium* idem Macqv. Buff. I. 173. 1? ♂♀.

T. 4. f. 15? (fig. male colorata). — *Atractocera regelationis* Meig. Klass. 1. 194. 1?

Hab. in foliis fruticum, etiam in fenestris, per Scandinaviam præsertim meridionalem vulgaris, a medio Aprilis ad medium Junii, & iterum Septembri vigens, in copula haud raro capta; supra Ostrogothiam mihi non obvia, ibi vero ex. gr. ad Wadstena & Gusum deprehensa; e Dania ex utroque sexu a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Priori valde similis & affinis. A *S. reptante* tamen differre videtur: in ♂ pedum posticorum tibiis tarsisque basi albis, nec totis brunneis, in ♀ thorace obscure cinereo, nec glaucescente, & antennis plerumque ima basi testaceis, nec totis obscuris, & in utroque sexu abdominis lamina basali longe, nec modice, ciliata, atque denique loco natali ambabus speciebus diverso. *Mas:* ater. Oculi in vivo rufi. Thorax sat dense aureo-tomentosus, limbo argenteo-micante, antice latiusculo, in medio interrupto, linea humerali transversa obscura notato. Pectus albicans. Abdomen, in vivo, lateribus albo-micans, lamina basali ciliis longis luteis nitidis ornata. Pedes nigro-brunei. Tibiæ anteriores imprimis latere exteriori argenteo-micantes, summo apice fuscæ; posticæ extus pilosæ, basi non late albidæ. Tarsi antici atri. Metatarsus posticus compressus, pilosulus, ad dimidium albidus. Reliqua ut in diagnosi, aut ut in præcedente. — *Femina:* cinerascens. Antennæ obscuræ, articulis 1 vel 2 primis sæpissime flavis. Thorax cinereus ut in ♂ pictus. Pedes brunnei, brevissime aureo-puberuli. Tibiæ anteriores ut in ♂; posticæ extus non pilosæ, a basi & ultra medium albæ. Coxæ anticæ flavæ. Tarsi antici atri.

Var. b. ♀. Similis var. a., & differt tantum femoribus omnibus ultra medium, interdum fere ad apicem pallidis; forte juvenilis. — An *Sim. variegata* Meig. Dipt. 1. 292. 3? ♀. In Scania ad Räften, Björnstorp, Widtsköfle &c. cum var. a. sæpe capta.

3. *S. nana:* epistomate albicante; thorace parum aureo-tomentoso, limbo argenteo-micante, antice late interrupto, maculiformi; pedibus subnudis, nigricantibus, tibiis anticis latere antico, posterioribus basi & metatarso subsimplici, albidis; halteribus pallidis; abdominis lamina basali modice ciliata; *mas:* ater, holosericeus, abdomine maculato; *femina:* obscure cinerea. — Minor. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.)

Var. a. ♂♀. coxis anticis obscuris.

Zett. Ins. Lapp. 802. 2. ♂♀.

Var. b. ♀. coxis anticis pallidis; in copula cum mare varietatis a. semel.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. in Lapponiis Umensibus Jul. Aug. passim; in copula etiam interdum observata; scilicet ad Stensele, Lycksele & Wilhelmina 6 mares & 9 feminas inveni; in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mulfjellen in regionem nivalem adscendens; in Norwegia ad Dowre, D. *Siebke.* (E Silecia a D. *Zeller* individuum masculum quoque communicatum).

♂♀. Distincta. A *S. reptante,* cui valde similis, magnitudine constanter duplo & ultra minore, maris metatarsis posticis basi albis, nec brunneis, & pictura thoracis argentea antice saltem in ♂ latius interrupta, differt. *S. argyreatæ* Meig. Dipt. 7. 52. 20. mari, quoque accedere videtur, sed illa "pedibus testaceis" & "1$\frac{1}{4}$ lin. longa" describitur. *Mas:* totus aterrimus, thorace antice parum l. parce aureo-tomentoso. Caput nigrum, epistomate albicante. Limbus thoracis argenteus angustus, antice tamen lunulas 2 humerales sat magnas, late remotas, introrsum flexas, & postice maculam antescutellarem formans. Pleuræ albo-micant. Abdomen atrum, maculis lateralibus utrinque 3 perspicuis, nempe 1 ad basin, & 2 ap-

proximatæ ante apicem. Lamina basalis distincte fusco-ciliata. Alæ hyalinæ. Halteres fulvi. Pedes simplices, nigricantes l. obscure brunnei, tibiis anticis toto latere exteriori argenteo, tarsis atris; tibiis intermediis basi late, circiter ad dimidium, albis; tibiis posticis paullo dilatatis compressis extus tenuiter pilosis, totis obscure brunneis, metatarsis posticis basi anguste albidis.

Fem.: obscure cinerea, epistomate, thoracis limbo antice interrupto pleurisque cano- vel albo-micantibus. Antennæ obscuræ. Alæ ut in ♂ etiam quoad nervum 6:tum furcatum parum conspicuum. Halteres albi. Pedes simplices, nigro-brunnei; antici: tibiis niveis, summo apice tarsisque totis atris; posteriores: tibiis fere totis metatarsisque ad medium albis.

4. S. *minutissima:* epistomate albicante; thoracis limbo argenteo-micante, antice late interrupto, maculiformi; pedibus subnudis; halteribus pallidis; abdominis lamina basali modice ciliata; *mas:* aterrimus, holosericeus, thorace vix aureo-tomentoso, abdomine subimmaculato, pedibus nigris, tibiis anticis latere antico niveis, tibiis intermediis metatarsisque posticis, basi albidis; *femina* cinerea, flavido-subtomentosa, pedibus obscuris, tibiis omnibus albidis. — Minutissima. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Hab. in Bottnia boreali; ad Storsand in paroecia Öfver-Luleå Aug. 1843 capta mecumque in unico mare & qvinque feminis a D. *Andersson* communicata.

♂♀. Similis *S. nanæ,* sed magnitudine adhuc minore, maris abdominis maculis posticis argenteis non distinctis, feminæ tibiis tantum, nec simul metatarsorum posteriorum basi, albis, differt.

Mas: totus aterrimus, pictura thoracis argentea ut in *S. nana.* Pleuræ albo-micantes. Abdomen atrum, lateribus basi utrinque macula albida, & postice utrinque certo situ vestigio ma-

cularum 2 glaucescentium. Alæ hyalinæ, nervis obsoletissimis. Halteres fulvi. Lamina in abdominis basi albido-ciliata. Pedes nigri, ut in diagnosi picti.

Fem.: cinerea, epistomate, thoracis limbo, antice interrupto, pleurisque albo-micantibus. Thoracis dorsum flavido-subtomentosum. Abdomen obscure cinereum, brevissime albido-puberulum, lamina basali breviter albo-ciliata. Venter sordide pallescens l. fuscus. Pedes obscuri vel sæpius fusci, brevissime omnium albido-puberuli. Tibiæ omnes albidæ, anticæ latere antico, posteriores latere exteriori, argenteo-micantes. Tarsi omnes & præsertim antici nigri.

Obs. 1. *Sim. vittata:* cinerea, thoracis vittis abdominisque maculis dorsalibus nigricantibus; pedibus fuscis, tibiis omnibus basi, & metatarso postico ad medium, albis. ♀. (Long. fere 1½ lin.). Zett. Ins. Lapp. 803. 3. ♀. Stæger, Grönlands Antliater in Kröjers Tidsskrift 1845. p. 357. 21. ♀ (forte etiam ♂.) Hactenus tantum in Grönlandia observata.

Obs. 2. *Sim. fasciata:* cinerea, thorace, abdominis fasciis continuis, pedibusque nigris; thoracis limbo antico albo-micante; tibiis anticis latere antico argenteo, posterioribus basi albis; tarsis anticis atris, metatarsis posterioribus basi pallidis. ♀. (Long. fere 1½ lin.). Meig. Dipt. 6. 311. 16. ♀. E Finlandia mecum communicata; sed in Svecia nondum inventa.

b). Limbus thoracis concolor, obscurus.

5. *S. aurea:* aureo-tomentosa; halteribus luteis; pedibus testaceis, femorum tibiarumque apice, tarsisque totis, fuscis; *mas:* ater, holosericeus; *femina:* nigro-cinerascens. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Fries, Monogr. Simul. 16. 3. ♂♀. *Sim. latipes* Meig. Dipt. 1. 297. 11? ♂.

Hab. in Svecia meridionali rarius; in Scania ad Björnstorp, *Fries*, ad Kjellby prope Lund (♂ 8 Aug.) & Espe-

röd, ipse; in Ostrogothia ad Gusum quoque reperta fuerit, teste Prof. *Wahlberg*.

♂♀. Corpore tomento aureo-nitente perspicue vestito & pedum colore pallescente, ab affinibus dignota. Epistoma albicans. Antennæ obscure brunneæ. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus albis, vestigio 6:ti furcati. *Mas:* aterrimus. Thorax limbo præsertim aureo-tomentosus. Abdomen immaculatum, sed imprimis ad latera pube brevissima flavida nitente vestitum. Pleuræ schistaceæ. Halteres lutei, nec fulvi. Pedes sordide albidi l. subtestacei, flavo-puberuli, coxis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis. Metatarsi postici basi pallescentes. Pedes simplices, tibiis metatarsisque posticis vix dilatatis.
Fem.: nigricans l. obscure cinerea, pleuris schistaceis. Thorax & abdomen tomento brevissimo aureo-nitente facile delerendo tecta. Halteres albi. Pedes simplices, subnudi, pallidi l. albidi, coxis, femorum tibiarumque apice tarsisque brunneis, tarsis anticis atris, matatarsis posticis basi pallidis.
Obs. Synonymon Friesi certum, Meigeni dubium.

6. *S. annulitarsis:* thorace flavo-cinereo-tomentoso; halteribus pallidis; pedibus fuscis, tibiarum anticarum latere exteriori, posteriorum ima basi, & metatarsis posticis fere totis, albidis; *femina:* nigro-fusca. ♀. (Long. ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 803. 4. ♀.

Hab. in Svecia septentrionali & Lapponia rarius, 2 Jun., 11 Jul. & 1 Sept. capta; scilicet in Bottnia boreali ad pagum Haparanda prope Torneå semel; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Tresunda. Acriter mordens.

♀. Inter minutissimas generis. Tota obscure fusca, thorace griseo-tomentoso. Oculi in viva brunnescentes. Pleuræ schistaceæ. Abdomen glabriculum. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, albis. Halteres albi. Pedes simplices, nudi, posticorum tibiis

parum dilatatis metatarsisque latere exteriori pilis paucis obsitis; omnes fusci, tibiis anticis basi latere antico, metatarsisque posticis fere totis, albidis. Tarsi posteriores paullo obscuriores, summa articulatione dilutiores, unde videntur obscuri angustissime qvasi testaceo-annulati. In unico specimine pedes fusco-testacei, coxis, femorum tibiarumque apice, tarsorumque posteriorum annulis brunneis.

7. *S. pusilla:* halteribus pallidis; pedibus albidis, femorum tibiarumque apice, tarsisque fuscis; tibiis anticis argenteo-micantibus, metatarsis posticis basi late albidis; *mas:* ater, holosericeus, thorace aureo-tomentoso; *femina:* nigro-fusca, flavo-griseo-tomentosa. ♂♀. (Long. fere $\frac{2}{3}$ lin.).

Fries, Monogr. Simul. 16. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 312. 17. ♂♀. (e descriptione Friesiana transscripta). — Zett. Ins. Lapp. 803. 5. ♂♀.

Hab. in Svecia superiori versus finem Augusti rarius; ad pagos Turtola, Kardis & Kengis in paroecia Öfver-Torneå specimina typica in copula a Prof. *B. F. Fries* 1821 inventa; etiam in Ostrogothia ad Wadstena par copulatum 1829 lectum hujus videtur; in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke.*

♂♀. Similis *S. reptanti,* at minor & thoracis limbo colorato determinato nullo, ut & pedum colore, diversa. *Mas:* ater, immaculatus. Oculi majusculi, in vivo rufo-ferruginei, in mortuo obscuri. Thorax dorso aureo-tomentosus. Abdomen vix aureo-tomentosum. Alæ hyalinæ, nervis albis, rudimento 6:ti furcati. Halteres flavi. Pedes pallescentes, coxis, femorum tibiarumque apice anguste, tarsisque brunneis. Tibiæ anticæ latere antico argenteo-micantes. Tarsi antici atri. Metatarsi postici fere ad apicem albidi.

Fem.: obscure fusca, thoracis dorso tomento flavo-griseo tecto. Abdomen griseo-villosum. Alæ ut in ♂. Halteres albidi. Pedes ut in ♂, at fere paullo pallidiores.

Sect. 2. Pedes toti obscuri aut pallidi, unicolores, nec annulati.

α). pedibus fuscis.

8. *S. hirtipes:* scutello utrinque dense hirsuto; alis hyalinis, nervorum furcatorum 1:mo breviter petiolato, ramulis ad marginem interiorem late distantibus; *mas:* ater, thorace fusco-tomentoso; halteribus obscuris; pedibus nigricantibus, posticis longe ciliatis, horum metatarsis distincte dilatatis; *femina:* nigro-fusca, undique dense griseo-tomentosa; halteribus sordide flavidis; pedibus dilute fuscis, posticis breviter ciliatis, horum metatarsis parum incrassatis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Fries, Monogr. Simul. p. 17. 5. ♂♀. Tab. 1. f. 1. ♂. f. 2. ♀. ubi tamen rami nervi furcati 1:mi in alis ad marginem nimis approximati repræsentantur. — Meig. Dipt. 6. 312. 18 (e descriptione Friesiana transscripta). Zett. Ins. Lapp. 803. 6. ♂♀ (ex maxima parte).

Hab. in graminosis, foliis & floribus fruticum præsertim Salicis, per Scandinaviam borealem a medio Junii ad ineuntem Augustum, passim; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele 1832, D. *Dahlbom;* in Lappon. Tornensi ad pagum Juckasjervi 1821, *B. Fries;* in Norwegiæ alpe Dowre ad Drifstuen &c., D. D. *Boheman & Siebke;* ad Suulstuen Værdaliæ in jugo alpino Norwegiæ 1840 rarius, ipse. Femina tenax & pungens.

♂♀. Inter maximas nostratum. Magnitudine, hirsutie pedum longa & densa, ut & distantia apicum ramulorum nervi furcati 1:mi latiore, ab aliis facile dignota. *Mas:* ater. Caput cum antennis & partibus oris nigrum. Oculi in vivo rufo-ferruginei, in mortuo nigri. Thorax supra fusco- l. grisescenti-tomentosus. Scutellum ad latera dense griseo-hirtum. Abdomen subtus nigro-hirtum, basi lateribus utrinque lamina obscura longe & dense nigro-pilosa. Alarum nervi: costalis niger, intra-costales dilutiores crassiusculi, reliqui albidi sat perspicui, excepto furcatorum 2:do magis obsoleto; longitudinales 4:tus & 5:tus formant furcam breviter petiolatam, cujus ramus superior in summo apice alæ acutiusculo excurrens a ramo inferiori latius solito remotus est. Halteres fusci, clava nigra. Pedes secundum insecti ætatem jam nigri, jam fusci, jam sæpius brunnescentes; anteriores simplices, puberuli, femoribus anticis distincte fusco-pilosis; postici longe & dense fusco-pilosi, tibiis nonnihil & metatarsis distincte compresso-dilatatis, articulo 2:do etiam singulo reliquorum majori.

Fem.: obscure cinerea, tota & præcipue fronte thoracisque dorso breviter & dense griseo-tomentosa. Antennæ & partes oris fusco-nigræ. Oculi fusci. Pectus denudatum, schistaceum. Scutellum ad latera pallide hirsutum. Abdominis basis lamina laterali distincte pallide ciliata. Alæ ut in ♂. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes plus l. minus dilute fusci, simplices, brevissime puberuli, femoribus anticis superne, & tibiis tarsisque posticis extus breviter pallide ciliatis. Metatarsi postici longiusculi, sed vix incrassati.

9. S. *fuscipes:* scutello utrinque dense hirsuto; alis hyalinis, nervorum furca 1:ma sessili, ramulis ad marginem interiorem modice distantibus; *mas:* ater, thorace aureo-tomentoso; halteribus obscuris; pedibus brunneis, posticis perspicue ciliatis, horum metatarsis distincte dilatatis; *femina:* nigro-fusca, undique dense griseo-tomentosa, thoracis dorso valde obsolete fusco-vittato; halteri-

bus pallidis; pedibus fuscis, simplicibus, brevissime griseo-puberulis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Var. a. ♂♀ in copula. Major, sæpe fere 1½ lin. longa; thoracis dorso in ♂ aureo-tomentoso, in ♀ obsoletissime fusco-trivittato.

Fries, Monogr. Simul. p. 18. 6. ♂♀. vera. Zett. Ins. Lapp. 804. 7. ♂♀. — *Simul. marginata* Meig. Dipt. 1. 293. 6? ♀. & 6. p. 310? ♂.

Var. b. ♂♀ in copula. Paullo minor, circiter ¾—1¼ lin. longa; thoracis dorso in ♂ antice leniter aureo-tomentoso, in ♀ undique & æque breviter aureo-griseo-tomentoso, vittis fuscis haud conspiciendis.

Sim. pubiventris Zett. Ins. Lapp. 804. 8. ♀. An *Culex equinus* Linn. Fn. Sv. n:o 1894?

Hab. in graminosis, foliis fruticum, femina etiam sæpe in fenestris; per Scandinaviam borealem vulgaris, meridionalem rarius, a medio Junii ad medium Augusti obvia, in copula sæpe deprehensa; var. a. & b. promiscue occurrunt; scilicet in Scania ad Lund, Räften & Esperöd, parce; in Ostrogothia ad Gusum, D. Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ab Åreskutan & Mulfjellen usque ad Skalstugan passim copiose, in summa cacumina alpium (4000 ped. supra mare elevata) interdum adscendendens; in Bottnia boreali ex. gr. ad Luleå & Haparanda; in Lapponiis Umensi & Tornensi, minime rara; in Norwegia ad Christianiam, D. *Moë*, in Dowre & Ringerige, D. *Siebke*, & ad Suul Værdaliæ frequens, ipse; in Finmarkia inter Alten & Kautokeino rarius. Femina fortiter mordens.

♂♀. Similis priori, sed magnitudine constanter minore, pedibus

posticis in ♂ licet distincte, tamen paullo brevius & parcius pilosis, thoracis dorso in ♀ sæpe saltem vestigio vittarum fuscarum, & tandem in utroque sexu alarum nervo furcato 1:mo omnino sessili, nec furca breviter petiolata, ramulorumque apicibus ad marginem interiorem minus late remotis, vere differt. *Mas:* aterrimus, holosericeus, thorace præsertim limbo antico aureo-tomentoso. Scutellum ad latera fusco-hirtum. Abdomen incurvum, immaculatum, lamina basali longe brunneo-nigro-ciliata; subtus pilosulum. Alæ albido-hyalinæ, nervis ad costam fuscis, sed minus crassis quam in priori; reliquis albidis. Halteres nigricantes. Pedes plus minus obscure brunnei, postici toti, femoribusque anticis distincte ciliati; posticorum tibiis paullo, metatarsisque sat late, compresso-dilatatis; articulus tarsorum 2:dus singulo reliquorum etiam nonnihil major.

Fem.: nigro-cinerea, supra dense griseo-tomentosa. Caput cano-micans. Scutellum ad latera pallide hirtum. Abdominis lamina basalis modice cinereo-ciliata. Alæ ut in ♂. Halteres flavi. Pedes obscuri, simplices, pube brevi depressa grisea vestiti, femoribus anticis superne, & tibiis posticis extus pallide ciliatis.

Obs. A *Meigen* l. c. describuntur tibiæ & metatarsi in ♀ ut "albido-cinerea", atque halteres in utroque sexu "rufi" (rothgelb); in nostris autem speciminibus femineis pedes toti obscuri e pube brevissima griseo-micantes, utque halteres in ♂ obscuri & in ♀ pallide flavi deprehenduntur; unde dubiolum de identitate.

10. S. *pygmæa:* scutello utrinque parcius hirtulo; alis hyalinis, nervorum furca 1:ma sessili, ramulis ad marginem interiorem modice distantibus; *mas:* ater, thorace aureo-tomentoso, puncto utrinque humerali argenteo; halteribus lutescentibus; pedibus brunneis, posticis extus ciliatis, horum tibiis tarsisque distincte dilatatis; *femina:* canescens; halteribus pallidis; pedibus dilute

fuscis, simplicibus, nudiusculis. — Minuta. ♂♀. (Long. circit. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. p. 804. 9. ♂♀. — *Sim. nana* var. c. Zett. Ins. Lapp. p. 803. ♂♀.

Hab. in Svecia boreali & Lapponia Jul. & Aug. passim, in copula quoque semel deprehensa; scilicet in Helsingia ad Ytter-Hogdal rarius; in Jemtlandia ad Mulfjellet parce; in Bottnia boreali ad Torneå semel; in Lapponia Umensi passim, nempe ad Lycksele, Stensele, Wilhelmina (ad Gajtok-ån) & Tresunda.

♂♀. *S. nanæ* (3) & *fuscipedi* (9) valde affinis & similis, sed ab illa pedibus brunneis unicoloribus, & ab hac magnitudine duplo minori atque in ♂ thorace macula humerali alba, differre videtur. *Mas:* aterrimus, holosericeus, thoracis dorso aureo-tomentoso, macula humerali parva sublunata argentea, & alia postica latiori albida. Epistoma albicans. Pleuræ schistaceæ. Abdominis lamina basalis modice longe brunneo-ciliata. Alæ hyalinæ, nervis ad costam fuscis, reliquis tenuibus pallidis, furcato 2:do obsoleto. Halteres jam fusci, jam dilutiores subflavidi. Pedes brunnei, sæpe dilutiores, posticorum femoribus tibiisque extus parce ciliatis. Tibiæ posticæ compresso-dilatatæ. Metatarsi postici etiam distincte compresso-dilatati, reliquis tarsorum articulis parvis simul sumtis fere longiores.

Fem.: cinerea l. canescens. Alæ ut in ♂. Halteres pallidi. Pedes simplices, nudiusculi, lividi, non annulati, anticorum tibiis latere antico albido-micante, tarsis obscuris.

β). pedibus pallescentibus.

11. *S. pallipes:* scutello utrinque hirsuto; alis cinereis, nervorum furca 1:ma subsessili, ramulis ad marginem interiorem modice distantibus, halteribus flavis;

pedibus pallescentibus hirtis; *mas:* ater, tomentosus, pedibus distinctius hirtis, posticorum tibiis metatarsisque paullo dilatatis; *femina:* obscure fusca, flavo-griseo-tomentosa, pedibus simplicibus, modice hirtis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{8}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fries Monogr. Simul. 19. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 313. 19 (ex descriptione Friesiana transscripta). Zett. Ins. Lapp. 804. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali passim, a fine Junii usque ad medium Augusti mihi obvia, in copula quoque capta; scilicet in Lapponia Umensi ex. gr. ad fluvium Gajtok-ån, ad lacum Wojmsjön, ut & ad Wilhelmina, non raro; in Norwegia inter Alten & Kautokeino Finmarkiæ orientalis, typica a *Fries* & me, atque in alpe Dowre a D. D. *Boheman* & *Siebke*, deprehensa.

♂♀. Similis *S. hirtipedi* (n:o 8), sed magnitudine paullo minori, alis cinereis, nec hyalinis, nervorum furca 1:ma fere sessili, ramulis ad marginem interiorem modice remotis, halteribus in utroque sexu flavidis, pedibus pallidioribus scutelloque minus dense hirsutis, facile dignoscitur. *Mas:* ater, immaculatus, thoracis dorso holosericeo, vix aureo-tomentoso. Pleuræ schistaceæ. Abdominis lamina basalis obscure ciliata. Halteres albicantes. Pedes toti modice hirti & testacei seu dilute lividi, articulatione tarsorum tantum leniter brunnea. — Specimina Umensia variant femoribus intermediis, & femoribus, tibiis metatarsisque posticis brunnescentibus.

Fem.: nigro-cinerascens, griseo-tomentosa. Halteres pallidi. Pedes simplices, paullo parcius hirti & paullo pallidiores quam in ♂, geniculis & articulatione tarsorum sæpe dilute brunneis. Tarsi antici etiam interdum fusci.

Phalanx 2:da corpore rufescente.

12. *S. ferruginea:* fusco-ferruginea (♂), aut ferrugineo-testacea (♀); thorace aureo-tomentoso; abdomine obscurato; antennis fuscis, basi flavidis; alis cinereis, nervis omnibus distinctis; pedibus flavis, tarsis apice fuscis; *mas:* femoribus anticis superne, pedibusque posticis externe ciliatis, tibiis tarsisque posticis paullo dilatatis, halteribus fuscescentibus; *femina:* pedibus simplicibus, nudiusculis, halteribus testaceis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 2½ lin.).

Wahlb., Öfversigt af Kongl. Vetenskaps-Akademiens Förhandlingar 1844. n:o 5 p. 110. ♂♀. Bohemans Zoologiska Årsberättelse 1844. p. 176. ♂♀. — *Simul. borealis* Zett. Berättelse om en Naturhistorisk Resa genom nordligare Skandinavien, 1840, p. 514—515. ♂♀.

Hab. in Salicetis & ramis Abietis per Scandinaviam borealem a medio Junii ad medium Augusti passim; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan & Stall-tjernstugan a D. *Dahlbom* & me 1840 detecta; deinde (1843) quoque in Lapponia Lulensi ad fluvium Kama & prope Qvickjock a Prof. *Wahlberg* deprehensa. Femina vehementer mordens.

♂♀. Maxima nostratum, magnitudine, colore & alarum nervis perspicuis ab omnibus reliquis scandinavicis *Simuliis* dignota. *Mas.* Oculi arcte contigui, in vivo rufi. Antennæ fuscæ, articulis 2 basalibus flavis. Palpi fusci, basi pallidi. Thorax fusco-ferrugineus, dorso aureo-tomentoso. Scutellum ferrugineum, pallide hirsutum. Abdomen nigricans, subglabriculum, subtus hirsutulum, lamina basali longe fusco-ciliata. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis omnibus dilute fuscis, distinctis, tantum furca 2:da obsoleta. Furca 1:ma breviter petiolata, nec

exacte sessilis, ramulis ad marginem interiorem sat remotis. Halteres dilute fusci. Pedes flavo-testacei, postici toti externe, femoribusque anticis superne, pallide ciliati. Tarsi apice obscuri. Tibiæ, metatarsique elliptici, postica compresso-dilatata.

Fem.: paullo major, & nonnihil pallidior. Oculi non late distantes, æneo-nigri. Antennæ & palpi ferrugineo-fusca, basi dilutiora. Thorax ferrugineo-testaceus, dorso aureo-tomentosus. Scutellum pallide hirsutum. Abdomen fuscum, pubescens, lamina basali distincte pallide ciliata. Alæ ut in ♂, at forte nonnihil latiores, irisantes. Halteres flavi. Pedes simplices, breviter pubescentes, flavi, tarsis apice leniter subinfuscatis.

Obs. In speciebus hujus generis pictura corporis pedumque, e qua notæ discernentes præcipue desumuntur, facile deteritur, aut in exsiccatis sæpe evanescit; hinc specimina recentia, viva & illæsa pro descriptione libenter eligenda. Mares & feminæ sæpe quoque valde dissimiles, unde individua in copula juncta pro justa specierum determinatione sollicite sunt quærenda. Hinc enim, ut plerumque, ubi genus maxime est naturale & limitatum, ibi species valde affines sunt & dignotu difficiles.

Fam. 43. RHYPHII Zett.

214. RHYPHUS Latr.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis, elongatum, pilosulum. Antennæ capite fere duplo longiores, filiformes, 16-articulatæ, extrorsum subattenuatæ, articulis 2 basalibus discretis; totæ puberulæ. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulo 2:do crassiori. Proboscis exserta. Ocelli 3, æqvales. Oculi rotundi. Thorax absque sutura transversa. Scutellum parvum. Abdomen 7:annulatum, cylindricum. Alæ longiusculæ, modice

latæ, nudæ, apice rotundatæ; in quiete parallelæ, incumbentes. Nervi omnes distincti; interior marginalis nullus, at sex longitudinales marginem hunc tangunt, quorum 1:mus (a basi) abbreviatus, & 3:tius integer, paullo flexuosi; costalis fere ad apicem extensus, ibi cum 3:tio longitudinali conjungitur; auxiliaris in medio costæ desinit, longitudinalis 2:dus paullo pone medium continuatur. Area discoidalis oblonga (magis elongata, quam in figura Meigeni) nervulos tres in marginem interiorem emittit. Squamæ parvæ, ciliatæ. Halteres nudi. Pedes graciles, inermes, subnudi, postici longissimi. *Color* obscurus aut testaceus. *Motu* tardus: in truncis arborum viventium sæpe tota die tranquillus insidens, interdum choreas velociter instituens. *Habitatio*: *larvæ* filiformes utrinque attenuatæ, nudæ, pellucidæ, brunneo-albidæ, 5—6 lin-longæ, fungicolæ aut xylophagæ (secundum *Reaumur*, *Meigen* & *v. Bremi* etiam coprophagæ, & secundum *Bouchè* in vegetabilibus putridis hybernantes); *pupæ* conicæ, nudæ, postice spinulosæ, antennis subulatis, totæ lividæ, circiter 3 lin. longæ, verno tempore excluduntur; *imagines* in silvis aut domibus hospitantur. *Discrimen sexus; mas:* oculis contiguis aut approximatis, abdomine angustiore, pilosulo, ano appendiculis 2 brevibus instructo; *femina:* oculis distincte remotis, abdomine robustiore, glabriculo, ano simplici. — Præcipue per nervos compositos & antennas longas hoc genus inter *Tipularias sic dictas floricolas* dignoscitur.

1 *punctatus* Fabr. ♂♀. 2 *fenestralis* Scop. ♂♀. 3 *cinctus* Fabr. ♂♀.

1. *Rh. punctatus:* cinereus, thorace vittis 3 nigris; alis sordide hyalinis, circa medium marginis costalis maculis qvinque brunneis, halteribus albidis; pedibus pallidis, coxis, & femorum, tibiarum, tarsorumque apice fuscis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. I. 322. 2? Macqv. Buff. I. 172. 2? Zett.

Ins. Lapp. 805. 1. ♂♀. *Rhagio punctatus* Fabr. Ent. Syst. 4. 274. 13. *Sciara* eadem Fabr. Antl. 59. 13. — *Musca* nigricans; alis antice albo nigroque variis. Linn. Fn. Sv. Seposita p. 553. n:o 2310. certe. — *Musca bilineata* Gmel. Syst. Nat. 5. p. 2866. 320.

Hab. in foliis fruticum, & præcipue in truncis arborum viventium Populi, Alni &c., raro in fenestris, a medio mensis Maji, sub tota æstate usque ad medium Septembris, vulgaris, in copula etiam multoties captus; occurrit nempe in sylvis, pratis, hortis & nemoribus per totam Sveciam & Lapponiam, in omnibus provinciis a Scania usque ad regionem subalpinam Lapponiæ Tornensis, frequenter; in Norwegia a Christiania ad Thynäs quoque visus; etiam in Dania haud rarus. (Ad Gryphiam, Neuenkirchen, Hamburgum & Trawemünde, a D. *Dahlbom* lectus. A D. *Zeller* in utroque sexu mecum communicatus cum hoc indicio: "ad lacus campestres Reinerzenses super domus parietibus inventus".). Mares sole sereno choreas ducentes juxta Saliceta in Scania ad Lund versus medium Septembris observavi.

♂♀. Obscure cinereus. Antennæ & palpi nigricantia. Oculi in ♂ arcte contigui, in ♀ sat late remoti, in utroque sexu vivo obscure brunnei æneo-submicantes. Thorax dorso vittis 3 nigris, media antice integra medio lineola tenuissima cinerea parum conspicienda, lateralibus utrinque abbreviatis. Regio ante scutellum cinereum dilutior. Abdomen in ♂ fuscum, incisuris tenuiter pallidis, in ♀ plus minus dilute brunneum. Alæ cinereæ l. sordide hyalinæ, maculis 5 dilute brunneis, quarum 1:ma loco stigmatis plerumque majori & saturatiori, 2:da ad apicem nervi auxiliaris oblonga, & tribus reliquis inter nervos longitudinales 3 & 4, paullo minoribus, subquadratis & ita locatis, ut 3:tia immediate sub 1:ma (seu stig-

maticali), 4:ta fere sub 2:da, & 5:ta mox ante 4:tam locum habeant. Squamæ & halteres longiusculi albida. Pedes flavidi, coxis saltem posterioribus, apiceque femorum & tibiarum anguste, tarsorumque late, fuscis. Metatarsi postici longissimi, scilicet longitudine fere tibiæ & reliquis tarsorum articulis simul sumtis pallo longiores.

Obs Magnitudo hujus speciei (tantum $1\frac{1}{2}$—2 lin.) a *Meigen* allata dubium de identitate cum nostra excitat. *Fabricius* hujus thoraci tantum lineas 2 nigras tribuit, unde Gmelini nomen pravum: "*Musca bilineata*". — *Rh. fuscatus* Meig. mihi ignotus; an specie distincta, aut solummodo individua majora alarum maculis quibusdam obsoletis *Rh punctati?*

2. *Rh. fenestralis:* testaceus, capite pleurisque cinereis; antennis, thoracis vittis 3, abdominis cingulis, geniculis tarsorumque apice, nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, stigmate saturate brunneo, nervis transversis totis, longitudinalibusque tribus apice, dilute fusco-obumbratis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Latr. Gen. 4. 262. Meig. Dipt. 1. 323. 3 (exclus. syn. Fabric.). Macqv. Buff. 1. 172. 3 (exclus. syn. Fabr.). — *Tipula fenestralis* Scopoli Carniol. 322. 858. teste *Wiedemann.* Reaum. Ins. 5. T. 4. f. 3—10.

Hab. in foliis fruticum, sed præcipue in fenestris, ab ineunte Junio usque ad medium Obtobris per Scandinaviam meridionalem & mediam sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c. frequens; in Blekingia passim; in Smolandia ad Råby, Grenna; in Ostrogothia ad Wadstena &c. non parce; sed in provinciis borealibus mihi non obvius; ad Christianiam & Trondhjem Norwegiæ a D. *Siebke* lectus; e Dania a D. *Stæger* in utroque sexu communicatus. Feminas oviparas, ova circiter

80, catenulata, rotundata, alba 2—23 Aug. & 12 Octob. singulas parientes vidi. ("Ad lacus Reinerzenses super domus parietibus" captam feminam etiam a D. *Zeller* obtinui). Larva in stercore bovino vivere dicitur.

♂♀. Magnitudo & affinitas prioris, sed corpore testaceo, & alis magis nebulosis, apice scilicet etiam fusco-maculatis dignotus. Caput obscure cinereum. Oculi ænescentes l. brunnei æneomicantes, in ♂ appropinquantes (minime cohærentes) seu modice anguste distantes, in ♀ paullo remotiores. Antennæ, palpi & proboscis in utroque sexu nigra. Thorax testaceus, vittis dorsalibus nigris ut in antecedente Pleuræ cinereæ. Scutellum testaceum. Metathorax cinereus. Abdomen flavo-testaceum, segmentis 7 distinctis, basi anticis anguste, posterioribus late fuscis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis obscuris. Macula stigmaticalis (a nervo costali & apice nervi long. 2:di curvato inclusa) major, ovalis, saturate brunnea, sub qua immediate alia minor multo pallidior; 3:tia in medio costæ ad apicem nervi auxiliaris, angusta parum determinata; nervi transversi tres in disco alæ fusco-obumbrati; nervi longitudinales 3, 4 & 5 apice etiam fuscedine diluta cincti, quæ fuscedo (in apice nervi long. 3:tii) ad costam format maculam sat magnam trigonam. Squamæ & halteres pallide flava. Pedes cum coxis flavi, posteriorum femoribus tibiisque apice anguste, tarsisque omnibus apice late, nigricantibus. Femora postica in medio plerumque vestigio annuli dilute brunnei.

3. *Rh. cinctus:* testaceus, thorace concolore immaculato; capite cinereo; antennis, abdominis cingulis, geniculis tarsorumque apice nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, stigmate distincte, nervis transversis totis, longitudinalibusque tribus apice dilute, infuscatis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ $2\frac{3}{4}$ lin.).

Rhagio cinctus Fabr. Ent. Syst. 4. 275. 15. *Sciara*

eadem Fabr. Antl. p. 60. 15. *Musca succincta* Gmel. Syst. Nat. 5. p. 2866. 322.

Hab. cum priori, Julio—Septembr. passim; scilicet in Scania ex. gr. ad Abusa & Esperöd, ubi e pupis in ligno putrido arborum inventis, multa specimina utriusque sexus mense Julio egredientia vidi; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena etiam exempla legi.

♂♀. Præcedenti valde similis, sed magnitudine (præcipue maris) plerumque nonnihil minori, alarum maculis (imprimis in ♂) paullo dilutioribus & præsertim thorace in utroque sexu immaculato sine dubio distinctus. Caput ut in priori. Thorax testaceus, pleuris concoloribus, vittis dorsalibus nigris nullis. Scutellum testaceum. Abdomen flavum, ut in *Rh. fenestrali* pictum. Alæ etiam quoad picturam ut in illo, sed fuscedo, qua nervi cinguntur, paullo dilutior, & in apicibus nervorum longitud. 4 & 5 interdum (præsertim in ♂) tantum ejus vestigium, macula vero trigona apicali ad costam plerumque magis perspicua. Squamæ, halteres & pedes omnino ut in antecedente.

Obs. Cum *Fabricius* in Ent. Syst. l. c. in descriptione hujus speciei expressis verbis dixit: "thorax testaceus, immaculatus", synonymon ejus indubium mihi videtur.

---

215. CEROPLATUS Bosc. Fabr.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, pubescens. Caput parvum, glabriculum. Antennæ capite cum thorace plerumque paullo breviores, porrectæ, latæ, compressæ, puberulæ, 16-articulatæ, articulis 2 primis magis discretis. Palpi breves, incurvi, biarticulati? Ocelli 3, approximati, inæquales, anticus exiguus. Oculi rotundati, in utroque sexu remoti. Thorax

gibbus absque sutura transversa. Abdomen elongatum, sublanceolatum, pubescens, 7-articulatum. Alæ abdomine paullo breviores, modice latæ, nudæ, parallelæ. Nervi distincti: costalis paullo ante apicem alæ desinit, ibique cum 3:tio longitudinali conjungitur, 4:tus 5:tusque longitudinales reliquis tenuiores furcam petiolatam ramis elongatis formant, 8:vus ad basin alæ abbreviatus, obsoletissimus. Nervi longitudinales quatuor in marginem interiorem tendunt, ante quem tamen evanescunt; interior marginalis nullus. Area discoidalis ante medium alæ seu ad basin retracta, irregulariter oblonga. Squamæ minutæ, halteresque longiusculi, pallida, horum capitulo plerumque fusco. Pedes simplices, subnudi, subinermes, tibiis apice distincte uni-vel bicalcaratis. Coxæ longiusculæ. Femora præsertim antica breviuscula. Tibiæ mediocres, posticæ nonnihil longiores. Tarsi longissimi, tenues. *Color* (in nostris) flavescens. *Motu* celer. Larvæ subpellucidæ in fungis sociatim vivunt. Pupæ gregatim connexæ etiam in fungis inventæ. Imagines quoque in vicinitate fungorum versantur. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustato, ano squamulis 4, per pares inæqualibus, foliaceis; *femina:* abdomine crasso, lanceolato, ano valvulis 2 parvis appendiculato. *Typus* generis: *C. tipuloides.*

1 *sesioides* Wahlb. (*C. tipuloides* Bosc.?) ♂♀. 2 *tipuloides* Fabr. Antl. ♂. 3 *testaceus* Dalm. ♂♀. 4 *lineatus* Fabr. (*Platyura laticornis* Meig. ♂) ♂. 5 *humeralis* Zett. n. sp. ♀. 6 *atricornis* Zett. n. sp. ♂. 7 *flavus* Zett. n. sp. ♂♀.

1. *C. sesioides*: "rufo-testaceus, antennis, thoracis lineis 5, macula scutelli, segmentorum basi maculisque 2 alarum nigro-fuscis, apice alarum externe & costa, macula posteriori excepta, haud infuscatis". ♂♀. (Long. ♂ 5—6, ♀ 6—8 lin.).

Wahlb. Act. Holm. 1838. excerpt. p. 3. 1. ♂♀. Öfversigt af Kongl. Vetenskaps-Akad. Förhandlingar 1848. n:o 7. p. 128—131, ubi larvæ, pupæ earumque in tenebris lux phosphorea diligenter observatæ describuntur. Act. Holm. 1848. p. 213—223. (*). Stæger, Dipt. Dan. 1840 (extract.) p. 276. 1. ♂. Bosc. Act. Hist. Nat. Paris. 1. 42. Tab. 7. f. 3.? Coquebert, Illustr. Iconogr. Insect. p. 109. tab. 27. f. 1.? ♀.

Hab. in Svecia media, versus finem Julii 1837 ad Gusum Ostrogothiæ in Polyporo fomentario a Prof. *Wahlberg* detectus. *Larvæ* pellucidæ, ¾ poll. longæ, lanceolato-lineares, teretes, glabræ, in pagina inferiori humida pilei Polyporum sociatim viventes; *pupæ* albo-hyalinæ, folliculis subpellucidis, subcylindricis, utrinque obtusis, magnitudine & forma *Galleriæ cereanæ* similibus eademque modo conglobatis, aut sub Muscis proximis aut inter pileum fungi & truncum arboris occultatis; *imagines* susurro forti continuo *Sesiæ* modo celeriter volantes. In Dania ad Hafniam (in Dyrehaven) 2 Aug. quoque raro inventus a D. *Jacobsen.* (In Finlandia etiam habitare fertur.)

♂♀. Speciem non vidi, quare sequentia graviora e descriptione Wahlbergiana copiosa exscribam. Maximus nostratum ceterisque crassior. Caput minutum, glabriculum. Oculi magni, elliptici, hirti. Clypeus (epistoma) angustus, testaceus. Pro-

---

*) sub titulo: "Ytterligare bidrag till kännedomen om Svampmyggan *Ceroplatus sesioides.*"

Eximius hic & magni momenti tractus, qui hujus speciei synonymiam expolitam & larvarum rationem plene complectit, mihi nunc primum, opere meo jam prelo mandato, in manum veniebat.

boscis & palpi testacea. Antennæ valde compressæ, a latere inspectæ late lineari-lanceolatæ, articulis 7 basalibus plerumque fusco-testaceis, ceteris 9 sæpius nigro-fuscis, 1:mo brevi in corniculum obtusum inferne producto, 2:do parvo cyathiformi, 3:tio triangulari-lunato, reliqvis 4—15 sublunatis, transversis, apice medio obtuse subproductis, angulis acutis, unde antennæ serratæ videntur, 16:mo subovato, obtuso. Thorax fulvo-testaceo-pubescens, dorso lineis 5 nigro-fuscis, quarum 2 exterioribus latioribus, antice abbreviatis, 2 sequentibus angustioribus, integris, antice divergentibus, postice in unam confluentibus, 5:ta intermedia dilutiori, antice integra, ante medium abbreviata. Scutellum macula fusca. Pectus fusco-maculatum. Abdomen thorace triplo longius, rufo-testaceum, maris angustatum, segmentis 1:mo nigro-fusco, 2, 3, 4 & 5 ad basin dilute fusco-fasciatis, 6 & 7 totis fuscis; feminæ valde crassum, segmentis 1:mo nigro-fusco, 2, 3 & 4 a basi ad medium nigro-fuscis (unde quasi obscure trifasciatum), 5, 6 & 7 apice hiantibus, 7 inferne paullo producto. Pedes longi, graciles, brevissime pubescentes, testacei. Coxæ magnæ, sæpe fusco-maculatæ. Tibiæ rectæ longitudine femorum, apice unispinosæ (?). Tarsi valde elongati, tibiis multo longiores, versus apicem breviter infuscati. Alæ in ♂ hyalinæ, in ♀ testaceæ, in utroque sexu nervis fuscescentibus, maculis 2 nigro-fuscis, 1:ma ante medium alæ non longe a margine exteriori remota, minuta, oblonga, saturata, nervulum transversum primum cingente, 2:da ante apicem alæ sita, magna, subrectangulari, costali, nervulum transversum secundum medio fere continente. Costa de cetero non infuscata. Directio nervorum omnino ut in *C. testaceo*. Squamæ & halteres testacea, horum clava fuscescente.

2. *C. tipuloides:* rufo-testaceus, antennis obscuris; thoracis lineis subbinis, abdominis fasciis latis, alarumque macula costali media elongata, brunneis; tarsis subinfuscatis. ♂. (Long. circit. 4 lin.).

Fabr. Antl. 15. 1. (exclus. synon.). — Reaum. Ins. 5. t. 4. f. 11—18. Macqv. Buff. 1. 141. 1? *Platyura* ead. Meig. Dipt. 1. 233. 3. & 6. 294. Tab. 65. f. 13. 14.

Hab. in Scandinavia valde rarus, etiam e Finlandia sub hoc nomine mecum communicatus.

♂. Exsiccatus. Rufo-testaceus. Oculi & punctum verticis, nigra. Antennæ capite thoraceque nonnihil breviores, eximie compressæ, e latere visæ lanceolatæ, totæ nigro-fuscæ, articulo 1:mo subtus in dentem parvum obtusum producto. Epistoma angustum & palpi flava. Thoracis dorsum lineis 2 brunneis postice connexis (in specimine Finlandico forte hujus lineis subqvinis fere ut in præcedente). Abdomen subdepressum, lanceolatum, flavum, segmentis 5 anticis basi late, 6 & 7 totis brunneis, vel si mavis brunneum, segmentis 5 basalibus fascia determinata flava, in medio interrupta, unde in singulo horum segmentorum macula utrinque apicalis flava exstat. Anus sqamulis 4 per pares conniventibus appendiculatus. Alæ abdomine multo breviores, albido-hyalinæ, nervis fuscis; furcato tenuiori. Nervi: auxiliaris fere (non omnino) ad medium costæ extensus, 2:dus longitudinalis distincte pone medium costæ productus, 3:tius paullo ante apicem alæ cum costali conjungitur. Hic nervus 3:tius & apex 2:di cum nervulo transverso recto perpendiculari connectitur. Ab apice nervi auxiliaris ad apicem longit. 2:di macula elongata brunnea, quæ totum interstitium inter nervos costalem & 2:dum implet atque nonnihil infra 2:dum dilatatur. Apices nervorum longit. 3:tii, 5:ti & 7:mi leniter & dilutissime fusco-obumbrati. Clava halterum obscura. Pedes flavi, coxis superne macula fusca. Tarsi brevissime nigro-puberuli, unde quasi fusci videntur.

3. *C. testaceus:* rufo-testaceus, antennis obscuris; thoracis lineolis subquatuor obsoletis, abdominisque basi punctis 2, dilute brunneis; alarum macula costali me-

dia elongata saturate brunnea; tarsis subinfuscatis. ♂♀. (Long. circit. 3½ lin.).

Dalman, Act. Holm. 1818. 1. p. 88. 16. ♂♀. Ejusd. Analect. ent. 1823, p. 98. 15. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 141. 2? (ubi insectum 5 lin. long. & thorax lineis 3 obscuris describuntur). Leon Dufour, Monogr. Ceroplat. in Annal. des Scienc. Nat. 1839. p. 40. 4.

Hab. in fenestris ædium, per Sveciam mediam rarius; scilicet in Westrogothia ad villam Sparresäter, beat. *Schönherr;* in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Uplandia ad Holmiam, beat. *Dalman;* in Helsingia ad diversorium Löfvik 23 Aug. 1840, ipse

♂♀. Priori similis & affinis, sed paullo major, præsertim angustior & abdominis pictura imprimis distinctus. *Mas:* testaceus. Punctum ocellorum & oculi nigra. Antennæ ut in *C. tipuloide* constructæ, nigro-fuscæ. Epistoma angustatum, & palpi oblongi, flava. Thorax dorso pubescens, lineis 4 angustis dilute brunneis l. ferrugineis valde obsoletis, interioribus antice divergentibus, postice in angulum acutum connexis; lateribus & præsertim ante radicem alarum nigro-ciliatus. Scutellum puncto fusco. Pleuræ brunneo-maculatæ. Abdomen thorace triplo & ultra longius, angustum, lineare, flavum, fusco-puberulum; in basi segmenti 1:mi utrinque puncto distincto obscuro, & ad basin segmentorum reliquorum, macula utrinque brunnea, quæ in lateribus inflexis magis perspicua exstat. Anus ungviculis brevibus pallidis appendiculatus. Alæ omnino ut in præcedente. Halteres pallidi, clava obscura. Pedes pallide flavi, inermes, tarsis brevissime nigro-puberulis. Coxæ elongatæ, intermediæ puncto, & posticæ macula, extus in medio brunneis. Tibiæ apice unicalcaratæ.

Femina a me non visa, sed magnitudine & colore mari simillima, abdomine vero crassiore, sublanceolato, depresso, fusco-testaceo, immaculato; ano valvulis 2 brevibus, inferiore

latiore, obtusa, superiore angusta, acuminata, in medio subgibbosa, a *Dalman* l. c. describitur.

4. *C. lineatus:* nigricans, thorace flavo-testaceo, dorso brunneo-trivittato; abdominis incisuris tribus pallidis; pedibus flavis, tarsis obscuris; alis cinereo-hyalinis, maculis 2 fuscis, una in medio costæ, altera apicali majori. ♂. (Long. fere $3\frac{1}{2}$ lin.).

Rhagio lineatus Fabr. Ent. Syst. 4. 273. 6. *Sciara* eadem Fabr. Antl. 53. 7. *Platyura* eadem Meig. Dipt. 1. 234. 4. & Dipt. 6. p. 295. *Musca striata* Gmel. Syst. Nat. 5. p. 2865. 314. *Platyura laticornis* Meig. Dipt. 1. 238. 13. ♂. Tab. 8. f. 19.

Hab. in Svecia raro; in Scania ad Esperöd paroeciæ Mellby 2 specimina mascula 16 Jul. inveni; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*.

♂. Ab antecedente colore obscuriore & præsertim maculis alarum aliter formatis & locatis nervuloque transverso connectente non mox ante, sed paullo pone apicem nervi longit. 2:di inserto, facillime distingvitur. Caput obscurum. Antennæ modice latæ, nigræ, articulis 2 basalibus minoribus dilutioribus. Epistoma modice latum palpique breves oblongi, pallide flava. Thorax flavus, dorso vittis 3 latiusculis brunneis l. ferrugineis, lateralibus abbreviatis, media usque ad caput productum; lateribus nigro-ciliatus. Pleuræ rufo-testaceæ. Scutellum flavum. Abdomen thorace saltem triplo longius, subdepressum, anguste lanceolatum, nigro-pubescens, obscurum l. nigro-fuscum, segmentis 3, 4 & 5 basi macula utrinque pallida, quæ cum pari ita cohæret, ut in medio abdominis omnes simul forment cingulos tres angustos flavos ad latera nonnihil latiores. Anus obscurus, squamulis brevibus appendiculatus Alæ abdomine duplo breviores, cinereo-hyalinæ, nervis præcipue costalibus fuscis. Nervi: longitudinalis 1:mus seu

auxiliaris non omnino ad medium costæ productus, 2:dus paullo pone medium costæ extensus, & 3:tius nonnihil ante apicem alæ desinit cum costali conjunctus. Nervulus transversus longitudinalem 3:tium & costalem connectens mox pone apicem 2:di oblique ducitur. Duæ maculæ dilute fuscæ, quarum 1:ma minor subquadrata, a costæ medio ad basin nervi furcati descendens, 2:da major, lunata, totum apicem cingens, ad nervulum transversum connectentem tamen non omnino dilatata. Pedes pallide flavi, coxis longiusculis summo apice, trochanteribusque brunneis. Tarsi obscuriores. Tibiæ posticæ apice calcaribus 2 nigris, altero minori; anticæ apice unicalcaratæ.

Obs. *Fabricius* in descriptione hujus speciei (Ent. Syst. l. c.) dicit: "pedes antici nigri", quod in nostris speciminibus non obtinet.

5. *C. humeralis:* niger, thoracis vitta laterali, coxis femoribusque flavis; alis cinereis, limbo omni, excepta costa a basi ad nervulum transversum connectentem, fusco. ♀. (Long. saltem $3\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia, ad Berge in paroecia Alsen 8 Aug. 1840 in unico exemplo deprehensus.

♀. Similis Meigeni *Platyuræ femorali* & *nemorali*, sed ab illa femoribus posticis flavis, nec nigris, ab hac magnitudine paullo majori, halterum clava nigra, nec flava l. brunnea, alarum margine interiori fuscano, nec immaculato, & ab ambabus thoracis vitta laterali flava, distinctus videtur. Caput nigrum, epistomate modice lato, flavo. Antennæ thorace nonnihil breviores, compressæ, modice latæ, sublanceolatæ; totæ atræ. Thorax niger, vitta laterali a capite & fere ad radicem alarum latiuscula, pallida. Abdomen modice crassum, sublanceolatum, atrum. Alæ abdomine tantum paullo breviores, cinereo-hyalinæ; costa a basi ad nervulum transversum connectentem concolore, ab illo vero nervulo limbus apicalis & to-

tus interior marginalis, sat late, inæqualiter & dilute infuscatus, fuscedine in regione nervuli transversi connectentis, saturatiori; infra apicem nervi longitudinalis 3:tii macula elongata ad apicem alæ extensa albo-cinerea. Directio nervorum ut in *C. lineata*. Pedes flavi, trochanteribus brunneis. Coxæ intermediæ macula antica, posticæque fere totæ nigro-brunneæ. Femora postica quoque basi nigro-brunnea. Tibiæ & tarsi brevissime nigro-puberula. Tibiæ anticæ apice uni-, posteriores bi-calcaratæ.

6. *C. atricornis:* rufo-testaceus, capite obscuro; antennis nigris; thoracis vittis 3, abdominisque incisuris tenuissime, brunneis; alis hyalinis immaculatis; tarsis obscuris. ♂. (Long. circit. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Lindholmen in silva, 18 Aug. 1838 semel inventus.

♂. Per alas immaculatas a præcedentibus statim dignotus. Caput obscurum, occipite dilutiori, ore flavo. Antennæ thorace paullo breviores, modice, nec valde, compressæ, a latere inspectæ modice latæ, versus apicem sensim paullo angustiores, totæ nigræ. Palpi saltem triarticulati videntur, articulis 2 ultimis angustatis; obscuri. Thorax ferrugineus, dorso vittis 3 brunneis, media tenui, antice integra, postice evanescente, lateralibus distinctioribus latioribus, utrinque abbreviatis; lateribus nigro-ciliatus. Scutellum rufum. Pleuræ in suturis fuscæ. Abdomen subdepressum, nigro-pubescens, angustum præsertim anterius; totum testaceum, incisuris anguste brunneis. Anus fusco-testaceus, squamulis brevibus appendiculatus. Alæ hyalinæ, nervis subferrugineis, ut in *C. lineato* directis. Halteres flavi, clava leniter fuscana. Pedes simplices, pallide flavi, coxis longiusculis, concoloribus, immaculatis. Femora basi subtus brunnescentia. Tibiæ fusco-testaceæ, anticæ apice uni-, posteriores bi-calcaratæ. Tarsi tenues, elongati, obscuri, ungvibus pulvillisque exiguis, parum conspicuis.

7. *C. flavus:* rufo-testaceus, antennis pedibusque flavis; alis pallide hyalinis immaculatis, nervis duobus furcatis; abdominis dorso maculis brunneis. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Hab. in Svecia meridionali valde rarus, scilicet in Scania ad villam Esperöd paroeciæ Mellby in frutice horti 2 Aug. in copula inventus.

♂♀. Magnitudine paullo minori, colore corporis antennarumque pallidiori, alis subflavidis immaculatis, & directione nervorum paullo diversa, a prioribus mox dignoscitur. Caput parvum, thorace protuberante multo humilius, rufum, oculis (in exsiccato) & linea ocellorum nigris. Epistoma modice angustum, flavum. Antennæ thorace parum breviores, compressæ, modice latæ, versus apicem angustiores, a basi ad medium (in ♂) subtus serratæ, totæ flavæ. Thorax flavus (in ♂ pallidior), dorso vestigio vittarum 2 lateralium brunnearum. Pleuræ postice puncto brunneo. Abdomen thorace triplo longius, in ♂ angustum, flavum, & flavo-pubescens, antice valde compressum, dorso segmentis omnibus apice fascia latissima fusca, relicto tantum cingulo angusto flavo ad basin singuli segmenti; ano squamulis brevibus & ventre flavis; in ♀ subdepressum, anguste lanceolatum, ferrugineum, incisuris anguste saturatioribus, ano squamulis flavis. Alæ in utroque sexu abdomine parum breviores, flavido-hyalinæ, nervis subferrugineis. Nervi: auxiliaris ad basin retractus, longitudinalis 2:dus elongatus distincte pone medium costæ productus; 3:tius longe furcatus, petiolo ramis longitudine æqvali; 4:tus valde obsoletus, furcatus, ramis petiolo triplo longioribus; 7:mus (ad basin alæ) etiam obsoletissimus. Halteres flavi, clava lanceolata saturate testacea. Pedes toti pallide flavi. Coxæ longiusculæ. Tibiæ anticæ apice uni-, posteriores bi-calcaratæ.

Obs. In Annal. des Scienc. Natur. 1839. p. 31—50, quoque D. *Leon Dufour*, sub titulo: "Revision & monographie du genre

Ceroplatus", quinque species hujus generis (nempe *C. tipuloides* Bosc. ♂, *dispar* L. Duf. ♂♀ (cum figura), *Reaumurii* L. Duf. ♂, *testaceus* Dalm. & *carbonarius* Bosc.,) descripsit earumque historiam metamorphoseos atque expositionem anatomicam sat sollicite & docte dedit; de synonymia tamen intricata magna adhuc confusio & incertitudo dominare videtur, quare species hoc respectu exactiori comparationi & examinationi Dipterologis, quibus plures colligere licuerit, demandantur.

---

216 a). CORDYLA Latr.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, glabriculum. Caput parvum, thorace protuberante multo humilius. Antennæ capite paullo longiores, porrectæ, subfusiformes aut subcylindricæ, 12-articulatæ, articulis 2 basalibus discretis, horum 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, reliquis subcoadunatis, brevibus crassiusculis, subnudis. Palpi tri-, aut quadriarticulati videntur. Ocelli nulli, (an semper?) Oculi rotundi. Thorax gibbus, sine sutura transversa. Abdomen thorace duplo longius, subcompressum; segmenta tantum 6 distincta numero. Alæ abdomine fere nonnihil breviores, modice latæ, nudæ, parallelæ, immaculatæ. Nervi: ad costam perspicui, sed quatuor in marginem interiorem descendentes tenuiores furcas 2 petiolatas subæquales in disco alæ formant; infra has nervuli 1 vel 2 abbreviati valde obsoleti observantur. Nervorum longitudinalium 1:mus seu auxiliaris ad basin alæ retractus, 2:dus elongatus pone medium costæ extensus, 3:tius mox ante apicem alæ desinit cum costali conjunctus. Circiter ad medium costæ adest nervulus transversus perpendicularis, qui nervos longitud. 2 & 3 connectit, basi ramulorum furcæ 2:dæ oppositus. Area discoidalis ad basin alæ retracta, oblonga. Squamæ minutæ. Halteres parvi, breves. Pedes nudi & inermes, tibiis apice anticis uni-, posterioribus distincte bi-calcaratis.

Coxæ elongatæ. Femora valida, compressa. Tibiæ & tarsi simplicia, tenuiora. *Color* fuscus. *Motu* celer. *Habitatio* in silvis; larvæ fungicolæ. *Differentia sexus; mas:* abdomine subcylindrico, ano obtuso; *femina:* abdomine magis compresso, ano acutiori. *Typus* generis; *C. fusca*. — Mycetophilinis affinis. (*)

1 *fusca* Latr. ♀. 2 *crassicornis* Meig. ♀. 3 *brevicornis* Stæg. ♂♀.

1. *C. fusca:* brunneo-nigra, subnitida; antennis subcylindricis, fuscis; alis griseis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♀. (Long. circit. 2 lin.).

Latr. Gen. 4. 268. Meig. Dipt. 1. 274. 1. ♀. T. 10. f. 4. 5. Macqv. Buff. 1. 150. 1.

Hab. in Svecia meridionali valde rara; mea specimina in Scania capta. Larva in Agarico citrino degit, teste v. *Bremi.* Isis 1846, p. 17. 5.

♀. Nigricans, subnitens. Antennæ capite nonnihil tantum longiores, subcylindricæ, horizontaliter recurvæ, fuscæ, basi dilutiores. Palpi fusci, 4-articulati videntur. Thorax valde gibbus. Abdomen sublanceolatum. Alæ cinereæ, immaculatæ, ramulo inferiori furcæ 1:mæ paullo abbreviato. Halteres flavidi. Pedes flavi, tibiarum calcaribus tarsisque brunneis l. nigricantibus. Tibiæ posticæ extus sub lente parce & brevissime subciliatæ.

2. *C. crassicornis:* brunneo-nigra, subnitida; antennis subfusiformibus, fuscis; alis griseis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♀. (Long. circit. $1\frac{1}{2}$ lin.).

---

*) Conferatur etiam *Leon Dufour*, Observations sur le genre *Cordyla* in Annal. d. Scienc. Nat. 1839. p. 32.

Meig. Dipt. 1. 275. 2. T. 10. f. 1. Macqv. Buff. 1. Tab. 3. f. 17. — *Pachypalpus crassicornis* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 269. 3?

Hab. in Svecia meridionali rarissime, in Scania ad Silfåkra 28 Aug. 1838 feminam inveni.

♀. A priori, cui valde similis, differt imprimis magnitudine nonnihil minori, antennis magis fusiformibus & ramulis ambobus nervi alarum furcati 1:mi integris, nec altero abbreviato. Antennæ longitudine, curvatura & colore similes ut in præcedente, sed magis compressæ & in medio paullo dilatatæ, ita ut e latere inspectæ subfusiformes videantur. Thorax valde gibbus, nitidus. Pleuræ obscure brunneæ. Abdomen valde compressum; e latere visum lanceolatum, apice acutum; segmentis 6 distinctis; forte 7:mum (ut vult *Meigen)* minutum adest. Alæ cinereæ, nervis ut in *C. fusca,* at furcatorum ramulis omnibus in marginem interiorem descendentibus. Halteres flavi. Pedes pallide flavi, rufi, tibiarum calcaribus apicalibus elongatis tarsisque nigricantibus.

3. *C. brevicornis:* "fronte thoraceque cinereis, abdomine cinereo-fusco; antennis brevissimis, fuscis, basi luteis. ♂♀. Long 1 lin."

Pachypalpus brevicornis Stæg. Dipt. Danica. 1840. p. 269. 4. ♂♀.

Hab. cum *Pachyp. crassicorni* in Cornu sangvinea, ad Hafniam in horto Frederiksberg, Octob., *Stæger.*

Species mihi ignota, forte *Cordylæ* generi subjicienda. Similis erit *Pachyp. crassicorni,* sed paullo minor & abdomine cinereo fusco, nec nigro-fusco, ut & antennis brevioribus præcipue distincta.

Obs. Mares *C. fuscæ* & *crassicornis* hactenus ignoti; sed e *C. atra,* Galliæ borealis incola, uterque sexus deprehensus.

216 b). CHENESIA Macqv.

Corpus parvum, oblongum, glabriculum. Caput mediocre l. parvum. Antennæ longitudine circiter capite l. illo paullulum longiores, basi crassæ, extrorsum setiformes, articulorum numero indeterminandæ. Palpi elongati, 4:articulati, articulo 1:mo brevissimo, cylindrico, 2:do crassiori ovali, 3 & 4 paullo longioribus, cylindricis. Oculi rotundi, in fronte maris cohærentes. Ocelli nulli (secundum *Macqvart & Meigen*). Thorax robustus, capite paullo altior, gibbus. Scutellum mediocre. Abdomen cum ano thorace vix duplo longius, modice crassum (thorace paullo angustius), subcylindricum, 7-annulatum. Anus (♂) magnus; valvatus. Alæ abdomine saltem dimidio fere duplo longiores, modice latæ, apice rotundatæ, basi angustatæ vix alulatæ, totæ parallelæ, nudæ, hyalinæ. Nervi omnes perspicui: secundarius brevis ad basin alæ retractus, longitudinalis 1:mus (auxiliaris) vix ad tertiam costæ partem extensus, tenuior, apice curvatus; 2:dus paullo pone medium costæ productus, etiam apice curvus; 3:tius 4:tusque subappropinquantes fere paralleliter in apicem alæ descendunt, versus apicem tamen nonnihil convergentes; 5:tus & 6:tus recti 7:musque paullo curvatus marginem interiorem attingunt. Areæ basales 2 angustæ, quarum superior paullo longior terminatur per nervulum transversum, apici nervi auxiliaris fere oppositum, omnino ut in figura Meigeni. Nervus costalis cessare videtur ad apicem longitudinalis 4:ti, ubi incipit interior marginalis tenuis. Segmentum costæ 1:mum breviusculum vix tertiam costæ partem excipiens, 2:dum paullo longius, 3:tium antecedente nonnihil brevius, 4:tum 3:tio fere quadruplo brevius. Squamæ vix ullæ. Halteres nudi, elongati, clava majuscula ovali. Pedes mediocres, subæqve longi, simplices, nudi & inermes, ungvibus pulvillisque exiguis. Coxæ non elongatæ. *Color* obscurus. *Motus* . . . . *Habitatio* . . . . *Differentia sexus* latet; mas tantum cognitus. — Per antennas setaceas, palpos 4-articulatos, oculos (in ♂) contiguos, ocellos nullos, abdomen subcylindricum 7-annulatum, alas elon-

gatas, areis ad basin retractis, nervis longitudinalibus simplicibus, horum 3 & 4 ad apicem alæ nonnihil convergentibus, & tandem per pedes simplices glabros & inermes, ab aliis Dipterorum generibus dignota.

1. *Ch. obscura:* brunneo-nigra, ano, balteribus pedibusque flavis; alis sordide hyalinis, nervis obscuris. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Nov. gen. & spec. Zett. Ins. Lapp. p. 868.

Hab. in Norwegia rarissime; in alpe insigni Dowre a D. *Boheman* inventa, mihique in unico specimine communicata.

♂. Affinis & similis Macqvarti & Meigeni *Chen. testaceæ*, a qua thorace toto brunneo-nigro, nec testaceo vitta dorsali nigra, & loco natali, præsertim differt. Caput nigrum, occipite nitido. Oculi per totam longitudinem frontalem arcte connexi. Antennæ (quales in meo specimine sub lente præsentantur) obscuræ, articulorum numero haud determinando, sed horum 2 basalibus brevibus, crassiusculis, reliquis setam capillarem nudam formantibus, mox infra cujus apicem (ni visu fallor) alia setula brevis & valde exigua inserta, unde antenna setiformis videtur apice quasi furcata seu terminata setulis 2 minutis divergentibus, quarum tamen una erecta, altera lateralis. Palpi nigri. Thorax dorso nigro-brunneus nitidus, lateribus tenuissime puberulis. Pectus nigricans. Abdomen nigrum, tenuissime puberulum. Anus majusculus, subtumidus, rotundatus, obtusus, e squamis variis (3? 4?) compositus, apice incurvis; totus testaceus, tenuissime puberulus. Alæ sordide cinereo-hyalinæ, nervis saturatioribus. Margo interior tenuissime & brevissime ciliatus. Halteres pallide flavi. Pedes modice longi, mutici, nec spinulosi, nec calcarati; flavo-testacei. Coxæ breviusculæ, nigro-brunneæ. Metatarsi elongati. Pulvilli vix ulli. Ungviculi valde exigui, nigri.

Obs. 1. Nomen generis sane ineptum, specie jam quoque in

Scandinavia septentrionali in vicinitate Lapponiæ inventa. Retinui tamen, ne augeatur synonymia.

Obs. 2. De hujus generis loco vero in serie systematica adhuc dubius sum ob singularem antennarum formam & nervorum Directionem. Cum Tachydromidibus (ex. gr. *Cyrtoma)* & Empidiis habitu aliquod commune habet. Palporum forma Tipulariis fungicolis accedit, coxarum brevitate recedit. *Macqvart* post *Campylomyzam*, *Meigen* inter *Sciaram* & *Simuliam* hoc genus ambiguum posuerunt. Femina olim detecta forsan locum melius indicabit.

Obs. 3. Altera hujus generis cognita species seu *Chenesia testacea* Macqv. Buff. 1. 152. 1. ♂. T. 4. f. 3. 4. 5 (antenna, palpus & ala). Meig. Dipt. 7. 51. 1. ♂. T. 67. f. 5: nigra, thorace testaceo, vitta dorsali lata nigra; pedibus flavis; halteribus albidis, nostræ proxima, in Gallia ad Liége & Chênée inventa. De hac dicit *Meigen* l. c.: Dieses sonderbare Thierchen, dessen Stelle in System noch näher bestimmt werden muss, da an dem vorliegenden Exemplare die Fühler zerdrückt schienen, vurde mir durch Hrn. *Robert* zu Chenée bei Lüttich mitgetheilt. Die Bildung der Flügeladern weicht von allen mir bekanten Insecten ab; &c.

Fam. 44. CULICIDES Latr.

217. CULEX Linn. & Auctor.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis, elongatum, pubescens. Caput parvum. Antennæ longitudine thoracis, porrectæ, filiformes, 14-articulatæ, verticillato-plumosæ (♂), aut breviter verticillato-pilosæ (♀). Os non elongatum. Haustellum porrectum, antennis paullo longius. Palpi porrecti, 5-articulati, haustello nonnihil longiores (♂), aut brevissimi (♀). Oculi transversim lunati, supra antennas conniventes, in vivo vire-

scentes. Ocelli nulli. Thorax modice convexus, absque sutura transversa. Scutellum parvum. Abdomen thorace saltem duplo longius, modice angustum, 8-annulatum. Alæ longitudine circiter abdominis, subangustatæ, in quiete incumbentes; multinervosæ, nervis in disco postico duobus furcatis; longitudinalibus 6 in marginem interiorem ciliatum descendentibus; omnibus squamulis seu pilis brevibus dense obsitis. Nervus interior marginalis adest. Squamæ sub alis vix ullæ. Halteres nudi, mediocres l. parvi. Pedes elongati, graciles, subnudi & inermes, tibiis tantum tenuiter spinulosis. Coxæ non longæ. Tarsi præsertim postici distincte elongati. Ungviculi parvi. *Color* fuscus, cinereus aut testaceus. *Motu* agilis. *Habitatio* libenter in silvis, ubi *imagines* imprimis locis depressis, & humidis versantur. Tempore vespertino & præsertim instante pluvia vigent, feminarumque myriades præcipue provinciis borealibus, sono pipiente ingrato viatorem persequuntur & infestant, propter punctionem dolorosam valde metuendæ. Mares e floribus nectar hauriunt, innocui. Super aquæ præsertim stagnantis superficiem femina ova circiter 300 in cymbulam aggregata ponit. *Larvæ*, ex ovis aqua submersis exclusæ, post 2 l. 3 hebdom. in *pupas* elongatas nudas transformantur, e quibus post 8—10 dies imagines declaratæ proveniunt. Plures generationes anno existunt. Ut hostes *Culicum* in Lapponia *Cordilura hæmorrhoidalis & Hormopeza obliterata* a Profess. *Wahlberg* numerantur. *Differentia sexus* in *maris* antennis plumosis, nec non palpis antennis longioribus, *feminæque* antennis breviter verticillato-pilosis, nec non palpis brevissimis, perspicua. *Typus* generis: *C. pipiens.*

A. Pedes unicolores (nec albo-annulati).

1 *pipiens* Linn. ♂♀. 2 *ciliaris* Linn. Syst. Nat. *(Culex rufus* Meig.? ♂♀.) ♀. 3 *nemorosus* Meig. *(C. sylvaticus* Meig. hujus varietas ♂♀?) ♂♀. 4 *ornatus* Meig. ♂♀. 5 *nigripes* Zett. ♂♀. 6 *nigritulus* Zett. n. sp. ♀. 7 *fu-*

sculus Zett. n. sp. (An *Cul. lateralis* Meig. varietas?) ♂♀.

B. Pedes albo-annulati.

*) alis maculatis.

8 *annulatus* Fabr. ♂♀.

**) alis immaculatis.

9 *cantans* Hoffmgg. (Meig. ♀. *C. maculatus* Meig. ♂.) ♂♀. 10 *annulipes* Meig. ♂♀. 11 *vexans* Meig. ♀. 12 *dorsalis* Meig. ♂♀.

Culex.

A. Pedes unicolores (nec albo-annulati).

1. *C. pipiens*: fuscus, thorace rufo aut obscuro, lineis 2 nigricantibus; abdomine albo-fasciato; alis immaculatis, halterum stipite pedibusque pallidis, femorum, tibiarum tarsorumque apice sæpe brunnescente. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Linn. Fn. Sv. p. 464. 1890. ♂♀. Syst. Nat. 1767. 2. p. 1002. 1. ♂♀. Deg. Ins. 6. T. 17. f. 14. 15. Reaumur Ins. 4. T. 43. 44. Schrank Ins. Austr. 481. 980. Fabr. Antl. 33. 1. Meig. Dipt. 1. 7. 10. Macqv. Buff. 1. 34. 4. Dahlb. Scandin. Ins. 1837. p. 328. 224. Zett. Ins. Lapp. 807. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. (in Kröjers Tidskrift 1840) p. 553. 1. ♂♀.

Hab. per totam Scandinaviam vulgatissime, in Lapponia præsertim abundans, in alpes quoque adscendens, a medio Junii ad initium Septembris vigens; *mares* in-

nocui, in foliis, graminosis & floribus sæpe sparse & solitarie deprehenduntur, sed etiam in aëre choreas magnas ducentes: *feminæ* copiosæ susurru alarum continuo pipientes & punctione inflammatione conjuncta vespere imprimis molestissimæ, vix nisi fumo tabaci aut melius liquamine picis & adipis piscatoriæ mixtæ corpori inuncto depelluntur. — In fenestris & domibus Sveciæ meridionalis individua utriusque sexus usque ad finem Octobris haud raro vidi. (Specimina e Melita (Malta) quoque obtinui).

♂♀. Fuscus. Oculi in vivo aureo-virides, unicolores. Thorax obscurus aut rufescens, frequenter detritus, in bene conservato ferrugineo-villosus, nigro-bivittatus. Abdomen in ♂ angustum, pilosum, in ♀ lanceolatum, nudiusculum, in utroque sexu brunneo-fuscum, segmentorum omnium basi fascia albida. Tantum 7 segmenta distincta numero. Alæ impunctatæ. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes testacei, immaculati, aut sæpe femorum, tibiarum tarsorumque apice plus minus brunnescente, interdum tibiis fuscis & tarsis totis nigricantibus.

2. *C. ciliaris:* ferrugineus, abdomine fusco; alis immaculatis; halteribus pedibusque pallidis, illorum clava brunnea. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$–2 lin.).

Linn. Syst. Nat. 2. p. 1002. 2. Zett. Ins. Lapp 807. 5. ♀. Schrank Ins. Austr. 481. 981. An *Culex rufus* Meig. Dipt. 1. 7. 9? ♂♀.

Hab. in graminosis & agris mense Sept. passim; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås parce; in Smolandia raro; in Ostrogothia ad Wadstena frequentius; in Bottnia boreali ad Johannis Ro & Torneå. Femina homines tenaciter persequitur, pungens; mas mihi

ignotus. — Varietatem dilutiorem etiam e Christania Norwegiæ a D. *Siebke* obtinui.

♀. Simillimus priori, sed paullo minor, & abdomine fusco vix maculato, &c. distinctus videtur. Caput fuscum. Antennæ obscuræ, articulo 1:mo flavo. Haustellum nigrum, basi flavicans. Palpi nigri. Thorax rufus l. ferrugineus, aureo-pubescens, dorso (in detrito) vittis saturatioribus. Abdomen angustatum fuscum, incisuris tantum tenuissime cinereis. Alæ cinereo-testaceæ. Halteres flavi, clava saturatiori. Pedes flavi, apice femorum, tibiarum tarsorumque parum brunnescente. — Variat haustello dilutiori, abdomine sordide testaceo, incisuris tenuiter & vitta dorsali fuscis; an juvenilis?

3. *C. nemorosus:* fuscus, abdomine albo-fasciato; alis immaculatis; halterum stipite pallido; femoribus flavis, apice fuscis, geniculis summis puncto niveo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. I. 4. 3. Macqv. Buff. I. 34. 5. Zett. Ins. Lapp. 806. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 553. 2. ♂♀. — *C. sylvaticus* Meig. Dipt. I. 6. 8. ♂♀. hujus varietas obscurior videtur.

Hab. per totam Scandinaviam etiam in Lapponiis (usque ad regionem nivalem adscendens), a primo vere ad serum autumnum, in silvis, nemoribus, hortis, vulgaris, loca umbrosa præsertim eligens; in copula multoties captus; in fenestris mense Octobri haud raro quoque obvius; mas choreas ducit, femina vehementer pungit.

♂♀. Fuscus. Antennarum pluma in ♂ obscure brunnea, apice albido-micans. Haustellum & palpi in utroque sexu normaliter nigra. Thorax fuscus, nigro-subvittatus, in illæsis individuis tomento flavo-griseo, sordide rufo-vittato vestitus. Abdomen nigro-brunneum, segmentis basi distincte albo-annula-

tis; in ♂ griseo-villosum, ano forcipato. Alæ non punctatæ. Halteres flavi, clava obscura. Femora flava, apice fusca, geniculis summis puncto niveo. Tibiæ & tarsi plus minus infuscata.

Obs. Caveas ne hunc cum *Anophele bifurcato* confundas.

4. *C. ornatus:* "thorace albido nigro-bivittato; abdomine fusco albo-annulato; pedibus fuscis, genubus puncto niveo. ♂♀. Long. 3 lin." *Meigen.*

Meig. Dipt. 1. 5. 4. Macqv. Buff. 1. 35. 9. Stæg. Dipt. Dan. 553. 3. ♀.

Hab. in silvis Daniæ Aug. Sept. rarius, teste D. *Stæger;* mihi nec in Svecia, nec in Norwegia obvius.

♂♀. Frons alba. Haustellum nigro-brunneum. Thorax flavido-albus, dorso lineis 2 mediis approximatis & postice striga utrinque nigris. Halteres pallidi. Pedes nigro-brunnei, femoribus pallide flavis, postice nigro-brunneis, geniculis puncto niveo. Antennæ maris obscure brunneo-plumatæ; palpi sat longe pilosi, nigro-brunnei, maculis 3 albo-micantibus.

5. *C. nigripes:* ater, thorace distincte nigro-pubescente; alis cinereo-hyalinis immaculatis; abdomine in ♀ albo-annulato. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 807. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 553. 4. ♀. *(Cul. borealis* Wied. Mus. Westermanni).

Hab. forte in Lapponia; e Grönlandia duos mares & quinque feminas obtinui.

Mas: ater, totus nigro-pubescens. Antennarum palporumque pili nigro-brunnei, apice dilutiores. Abdomen nigrum, ani forcipe concolore. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis non dense fusco-squamosis. Halteres nigri. Pedes (in exsiccato) obscure testacei, pilosuli, coxis nigris, distincte hirsutis.

Fem.: brunneo-nigra. Caput cum antennis, haustello & palpis atrum. Thorax dorso nigro-hirtus, hirsutie cum pilositate ferruginea immixta. Pleuræ cinereo-pubescentes. Abdomen depressum, pubescens, annulis 7 in segmentorum basi albis, integris. Alæ ut in ♂. Halteres fusci. Pedes nigri, pilosuli, interdum nigro-brunnei.

6. *C. nigritulus:* niger, thoracis dorso ferrugineo-villoso; alis subfumato-hyalinis, immaculatis; femoribus basi lividis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi (ad Qvickjock) D. Doct. *Andersson*, qui novem specimina mecum communicavit.

♀. Similis *C. nemoroso*, sed sæpe duplo minor, & abdomine nigro immaculato, ut & pedibus paullo obscurioribus dignoscitur. Caput cum antennis, haustello & palpis nigrum. Frons ferrugineo-villosa. Thorax niger, dorso pube brevi ferruginea nitida vestitus. Abdomen angustatum, subdepressum, brunneo-nigrum, in illæsis individuis incisuris breviter & tenuiter cinereo-ciliatis; sed nullæ fasciæ albæ, quales in *C. nemoroso*, saltem in exemplis, quæ lustravi, adsunt. Alæ & in *C. nemoroso*, sed nonnihil obscuriores seu sordide hyalinæ. Halteres testacei, clava obscuriori. Pedes nigri l. nigricantes, coxis & femoribus a basi & circiter ad medium indeterminate lividis l. sordide testaceis.

7. *C. fusculus:* niger, thoracis dorso-ferrugineo-villoso; alis cinereo-hyalinis, immaculatis; pedibus flavidis, coxis, & femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine nigro, immaculato.

Var. b. ♂♀. abdomine nigro, lateribus sordide albidis, pedibus nonnihil pallidioribus; forte junior.

Culex lateralis Meig. Dipt. 1. 5. 5?

Hab. ambæ varietates promiscue; in Jemtlandia ad alpes Åreskutan & Mulfjellen, 24 Jun. 2 Aug. 1840 a me in 5 maribus & 6 feminis captæ; e varietate b. specimen unicum femineum etiam in Westrogothia ad Sparresäter 10 Jul. a Dom. Phil. Mag. *Kinberg* deprehensum; varietatem a. ♀ in Töien prope Christianiam Norwegiæ legit D. *Siebke*.

♂♀. Priori iterum similis, sed nonnihil major & pedibus flavidis diversus. Caput cum partibus ut in præcedente. Palpi in ♂ haustello vix longiores, & articulis 2 ultimis nonnihil dilatatis, unde *Anophelem* putarem, sed feminæ palpos breves ut in ceteris *Culicibus* habent. Antennarum pluma in ♂ nigro-brunnea, apice paullo dilutior. Thorax in utroque sexu niger, plerumque nudus (detritus), sed in exemplis bene conservatis ferrugineo-villosus. Pleuræ obscure schistaceæ. Abdomen in ♂ thorace fere triplo longius, valde angustum, fusco-pilosum, ano forcipato; in ♀ thorace duplo longius, angustatum, subdepressum, nudiusculum, apice acutum; in varietate a. (♂. ♀) totum nigrum immaculatum, in varietate b. (♂. ♀) nigrum, segmentis quatuor primis lateribus sordide albidis subpellucidis. Pedes plus minus dilute flavis, coxis, femorum, tibiarum tarsorumque apice, anguste brunneis. Tarsi præsertim postici in ♂ distincte elongati & valde tenues, articulis ultimis obscuris leniter dilatatis. Genicula summa in ♀ illæsa puncto albo.

B. Pedes albo-annulati.

*) alis maculatis.

8. *C. annulatus*; fuscus, thorace flavido-tomentoso, obscure subvittato; abdomine, femoribus tarsisque albo-annulatis; halterum stipite pallido; alis punctis 5 obscuris. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fabr. Ent. Syst. 4. 400. 2. — Antl. 35. 4. Gmel. Syst. Nat. 5. 2887. 8. Latr. Gen. 4. 246. Meig. Dipl. I. 4. 2. T. 1. f. 10. ♂. — Macqv. Buff. I. 35. 12. Zett. Ins. Lapp. 806. 1. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 554. 5. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali frequentior, boreali rarior, mens. Aug.—Octob. obvius; feminæ copiosiores, versus serum autumnum domibus sæpe intrantes; in Scania & Blekingia vulgaris; e Christiania Norwegiæ a D. D. *Siebke* & Hortulano *Moë* missus; circa Hafniam Daniæ non parce. (E Gryphia a D. *Dahlbom*, & e Lubeca a D. D. *J. Behrens* & *Milde* 1844 quoque communicatus).

♂♀. Inter nostrates major, alis punctatis & pedibus annulatis facile dignotus. Brunneo-fuscus. Abdominis segmenta fascia basali, primumque linea longitudinali, albis notata. Alæ nervis distincte fusco-pilosis, punctisque 5 obscuris e pilis densioribus formatis pictæ. Horum punctorum 2 in fissura nervorum furcatorum, 2 in petiolo nervi furcati superioris, & 1 in petiolo nervi furcati inferioris, sita. Halteres pallidi, clava nigra. Pedes fusci, femoribus ante apicem annulo unico, tibiarum summo apice, tarsorumque articulis basi late, albis. Coxæ & femorum basis pallidæ l. lutescentes. Tarsorum articulus ultimus basi tantum anguste albus. In mare antennarum pluma & palpi dilute brunnea, horum articulo ultimo dilatato.

**) alis immaculatis.

9. *C. cantans:* obscurus, thoracis dorso ferrugineo-villoso nigroque lineato; abdomine luteo-cingulato; halterum stipite femoribusque flavis, his apice brunneis; tarsis nigris albo-annulatis. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Meig. Dipt. I. 6. 6. ♀. T. I. f. 9. ♀. — Macqv. Buff. I. 36. 13. ♀. Zett. Ins. Lapp. 806. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 554. 6. ♂♀. *Cul. maculatus* Meig. Dipt. I. 6. 7. ♂. (longitudo allata "$5\frac{1}{2}$ lin." sine dubio error typographicus pro $3\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in pratis & graminosis per totam Scandinaviam & Lapponias omnes, a mense Majo ad Octobrem vulgaris; feminæ valde pungentes. (Mas e Finlandia a Prof. *Sahlberg* missus. Mares quoque ad Neuenkirchen prope Gryphiam 20 Maj. a D. *Dahlbom* inventi; feminas (in minoribus exemplis) e Melita a D. *Schembri*, & e Sicilia per D. *Zeller* etiam obtinui).

♂♀. Obscurus. Caput nigrum. Thorax dorso ferrugineo-villosus, in illæsis individuis lineis nigricantibus. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fusco-pilosis. Halteres pallidi, clava nigricante. *Mas:* antennarum palporumque pluma brunnea. Palpi obscure fusci, albo-maculati. Haustellum nigricans. Abdomen angustum, griseo-pilosum, brunneum, segmentorum basi sordide albidum l. lutescens. Coxæ fuscæ. Femora flava, apice brunnea. Tibiæ plus minus dilute fuscæ, apice saturatiori. Tarsi (præsertim postici) elongati, tenues, nigro-brunnei, articulis basi, 1:mo & ultimo anguste, intermediis late, albis. — *Femina:* antennæ fuscæ, saltem articulo 1:mo flavo. Haustellum ferrugineo-flavum, apice plus minus late brunneum. Palpi fusci, basi interdum dilutiores. Abdomen subangustatum, depressum, nigro-brunneum l. fuscum, segmentorum basi albicans aut lutescens. Pedes ut in ♂, sed paullulum breviores & validiores. — Variat uterque sexus pedibus & præcipue femoribus dilutius flavis.

10. *C. annulipes:* obscure ferrugineus (♂), aut lutescens (♀), thoracis dorso ferrugineo-villoso; abdomine fusco, pallido-annulato; halterum stipite pedibusque pal-

lide flavis, femorum tibiarumque apice brunnescente; tarsis nigro-brunneis, albo-annulatis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 241. 15. ♂♀? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 554. 7. ♂♀.

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali versus autumnum passim; scilicet mihi obvius in Scania ad Lund (in fenestris 5 Oct. in copula), Esperöd, Skärali &c.; in Smolandia, *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, & in Ölandia, teste Prof. *Wahlberg*; ♀ e Westrogothia sub nomine: "*Cul. lutescens* Fabr." in 3 individuis a beat. *Gyllenhal* ante plures annos communicata; ♂ sub nomine: "*C. annulipes* Meig." e Dania a D. *Stæger* missus. (E Finlandia feminam quoque accepi).

♂♀. Similis *C. cantanti* & pro mera ejusdem varietate dilutiori a D. *Stæger* non sine ratione putatur. Cum interea magnitudine nonnihil majori, & corpore pedibusque præcipue in ♀ pallidiori differre videtur, pro tempore ut distinctam speciem propono. *Mas:* antennarum palporumque pluma brunnea. Palpi brunnei albido- l. flavido-maculati. Haustellum jam fuscum, jam flavidum apice fuscum. Caput obscurum. Thorax fusco-ferrugineus, dorso griseo-villosus. Abdomen angustum, cinereo-pilosum, fuscum, segmentorum basi albida l. flavida; aut sæpe sordide flavidum, l. lividum, incisuris fuscis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fusco-pilosulis. Halteres parvi, pallidi, clava nigricante. Coxæ fusco-ferrugineæ. Pedes pallide flavi, femorum tibiarumque apice anguste & dilute brunneo Tarsi brunnei, articulis basi, 1:mo & ultimo anguste, reliquis late albis; postici elongati tenues. *Femina* pallidior. Caput cum antennis, palpis & haustello flavo-luteum, hoc apice magis minusve late obscuro. Thorax flavo-luteus, dorso ferrugineo-villosus. Abdomen modice angustum, depressum,

flavidum, segmentorum margine apicali anguste brunneo. Alæ pallide hyalinæ, costa saturatius flava. Nervi fusco- & flavo-pilosuli. Margo interior pallide ciliatus. Halteres flavi, clava fuscescente. Pedes flavi, femoribus apice brunneis l. brunneo-punctulatis. Tibiæ apice anguste brunneæ. Tarsi brunnei, articulis basi late albis.

Obs. 1. Fabricii & Meigeni *Cul. lutescens* ♀: "flavus l. luteus, alarum costa flavescente, tarsis fuscis; 2½ lin. long.", qui a *Fabricio* ut Hafniæ incola describitur, mihi ignotus, nisi feminam supra descriptam *C. annulipedis* provocarem. Pictura vero tarsorum obstare videtur.

Obs. 2. Sub nomine: *Cul. aureus*, femina *C. annulipedis* olim vendita fuit.

11. *C. vexans:* obscure fuscus, thoracis dorso subpallido-villoso; antennis, palpis haustelloque nigricantibus, antennarum articulo 1:mo flavo; femoribus basi pallidis; abdomine tarsisque albo-annulatis. ♀. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 6. 241. 16. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 554. 8. ♂♀.

Hab. in Daniæ sylvis, Majo & Augusto, rarius, D. *Stæger;* mihi in Svecia non obvius.

Femina, qualem a D. *Stæger* obtinui. Caput nigricans, pilosulum. Antennæ obscuræ, articulis 1:mo flavo, 2 & 3 testaceis. Palpi & haustellum nigra. Thorax nigricans, dorso lateribus cinereo-, medio griseo- vel ferrugineo-villoso, lineolis 2 nigris obsoletis. Pleuræ obscure schistaceæ. Abdomen modice angustum, depressum, nigro-brunneum, segmentorum basi (ad tertiam singuli segmenti partem) sat determinate album, unde 7 annuli albi in abdomine formantur. Alæ sordide hyalinæ, nervis obscure pilosulis. Margo interior fusco-ciliatus. Halteres mutilati. Coxæ fusco-testaceæ. Femora flavo-albida, versus apicem indeterminate nigro-brunnea. Tibiæ obscure testaceæ,

apice nigræ. Tarsi nigri, articulis omnibus basi (nec simul apice) distincte albis.

Obs. Mas a D. *Stæger* l. c. sine omni descriptione & nude tantum notatus, a me non cognitus.

12. *C. dorsalis:* obscure fuscus, thoracis dorso subflavido-villoso; antennis, palpis haustelloque fuscescentibus; abdomine cinereo, maculis brunneo-nigris, apicalibus obsoletis; femoribus basi pallidis; tarsorum articulis basi apiceque albis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 242. 18. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 554. 9. (var. a. b. c.) ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali mensib. Jun. & Sept. passim; in Scania ad Lund & Lomma a me parce; in Dania ad Hafniam a D. *Stæger* non raro, deprehensus. Larvæ in lacunis littoralibus in Amager mense Augusto copiosissime a D. *Stæger* inventæ. In Scandinavia media & boreali hæc species nondum observata, quantum novi, nisi in Töien prope Christianiam Norwegiæ specimen unicum femineum d. 16 Jun. 1849 a D. *Siebke* lectum mecumque communicatum.

♂♀. Similis *C. vexanti,* sed ab hoc & ab omnibus aliis nostris, pedibus annulatis instructis, dignoscitur tarsorum articulis non solum basi (ut normaliter), verum etiam apice albis. Caput nigricans, griseo-pilosum. Antennæ in mare brunneo-plumosæ, pluma apice pallescente, in femina obscuræ, basi interdum flavidæ. Palpi in mare nigro-brunnei, medio leniter albo-maculati, pluma apicali brunnea apice dilutiori; in femina toti nigricantes. Haustellum nigrum, in ♀ sæpe medio plus minus late testaceum. Thorax nigricans, dorso griseo-villosus, vittis 3 latiusculis ferrugineo-villosis, in ♀ præsertim conspiciendis. Abdomen angustum, in ♂ lateribus dense cinereo-pilosum, in ♀ cinereo-pubescens; in utroque sexu cinereum, maculis la-

teralibus utrinque subquadratis brunneo-nigris, 5, 6 vel plerumque 4 pares (horum nempe apicalibus deficientibus aut obsoletis) constituentibus. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis dilute fuscis griseo-pilosulis. Margo interior griseo-ciliatus. Halterum clava nigricans. Coxæ fusco-testaceæ. Femora albido-flava, versus apicem indeterminate brunnea, geniculis puncto albo. Tibiæ fusco-testaceæ, apice brunneæ. Tarsi nigro-brunnei, apice anguste & basi paullo latius albi; hinc tarsorum articulatio alba.

---

218. ANOPHELES Meig.

Corpus medium, elongatum, pubescens. Caput parvum. Antennæ longitudine fere thoracis, porrectæ, filiformes, 14-articulatæ, plumosæ (♂), aut breviter verticillato-pilosæ (♀). Os non elongatum. Haustellum porrectum, antennis paullo longius. Palpi porrecti, 5-articulati, (♂), l. 4-articulati (♀), in utroque sexu longitudine haustelli (nota in hac familia priva). Oculi transversim lunati, supra antennas conniventes, in vivo virides. Ocelli nulli. Thorax modice convexus, absque sutura transversa; ante scutellum impressus. Scutellum parvum. Abdomen thorace saltem duplo longius, modice angustum, 8-annulatum, vel 7 distinctis segmentis. Alæ longitudine circiter abdominis, subangustatæ, in quiete incumbentes; multinervosæ, nervis ut in *Culice* directis & squamatis seu pilosulis. Halteres nudi, minusculi. Pedes ut in *Culice* constructi, sed paullo graciliores. *Color* cinerascens, testaceus. *Motu* agilis. *Habitatio* libenter locis umbrosis. Feminæ, testante *Linnæo*, non vulnerant; nec eas pungentes ipse umquam observavi. Larvæ aquaticæ. *Differentia sexus; mas:* palporum articulis 2 ultimis dilatatis ad latera reflexis antennisque plumosis; *femina:* palpis simplicibus rectis subnudis, antennis breviter pilosis. *Typus* generis: *An. maculipennis.*

1 *bifurcatus* Linn. (*Cul. trifurcatus* & *claviger* Fabr.) ♂♀. 2 *nigripes* Stæg. ♀. 3 *maculipennis* Meig. ♂♀.

1. *An. bifurcatus:* cinerascens (♂), aut testaceus (♀); thorace fusco-subvittato; abdomine brunneo-annulato; femoribus pallidis; alis immaculatis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 11. 1. ♂♀. Ejusdem Dipt. 6. p. 242 (ubi larvæ vernales describuntur). — Macqv. Buff. 1. 32. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 807. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 552. 2. ♂♀. Löw, Dipterol. Beitr. 1845. 3. 1. *Culex* idem. Linn. Fn. Sv. p. 465. 1891. Syst. Nat. 1767. 2. p. 1002. 3. Schrank Ins. Austr. 482. 982. *Culex trifurcatus* Fabr. Antl. 35. 5. *Cul. claviger* Fabr. Antl. 35. 6., teste *Meigen.*

Hab. in silvis, locis uliginosis umbrosis, Majo & iterum Aug. Sept., per Scandinaviam meridionalem parce, borealem rarissime. (Ad Neuenkirchen 20 Maj. 1842. ♂, D. *Dahlbom.*)

♂♀. Thorax in ♂ cinereus, lineis subbinis obscuris; in ♀ rufo-testaceus, lineis 3 brunneis. Alæ in utroque sexu immaculatæ. Abdominis incisuræ fusco-brunneæ. Femora pallescentia. Tibiæ fuscæ. Tarsi obscuri.

2. *An. nigripes:* niger, thorace cinereo, nigro-lineato; alis immaculatis, nervis obscure pilosulis. ♀. (Long. 2 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. (in Kröjers Tidsskr. 1840) p. 552. 3. ♀. Löw, Dipterol. Beitr. 1845. 4. 2. ♀.

Hab. in Dania rarissime; in Charlottenlund ad Hafniam loco umbroso die 1 Aug. detectus a D. *Stæger*, cujus benignitati specimem meum donatum debeo.

♀. Magnitudine minore, colore obscuriore &c. a priore facile distingvitur. Caput nigrum, fronte albido-pilosa. Antennæ obscuræ. Haustellum & palpi atra, horum articulis penultimo & antepenultimo æque longis. Thorax cinereus, dorso lineis laterali latiuscula, & medio tribus angustissimis, obscure brunneis. Abdomen subangustatum, nigro-brunneum, pallide hirsutum. Alæ hyalinæ, nervis nigro-pilosulis. Margo interior obscure ciliatus. Halteres nigri, petiolo pallido. Pedes valde graciles, elongati (imprimis postici), coxis trochanteribusque (in specimine exsiccato) albido-flavis.

3. *An. maculipennis:* brunnescenti- l. cinerascenti-testaceus, thorace fusco-subvittato; abdomine obscure annulato; femoribus pallidis, tarsis obscuris; alis punctis 5 fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Meig. Dipl. 1 11. 2. ♂♀. T. 1. f. 17. ♀. — Macqv. Buff. 1. 32. 2. Zett. Ins. Lapp. 808. 2. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 552. 1. ♂♀. Löw, Dipterol. Beitr. 1845. 4. 2.

Hab. in umbrosis, per totam Scandinaviam, in meridionali vulgaris, in boreali & Lapponiis passim; a primo vere usque ad autumnum vigens, in fenestris quoque sæpe deprehensus, in copula multoties captus.

♂♀. Alis maculatis a prioribus nostris statim dignotus. Caput brunneum, fronte pallide pilosa. Antennæ testaceæ, in ♂ pluma brunnea. Palpi testacei l. ferruginei, in ♂ pluma articulorum dilutiori. Haustellum ferrugineum, interdum obscurum. Thorax ferrugineus l. cinerascens, dorso pallide villosus, lineis 2 fuscis obsoletis. Abdomen angustum, pallide pilosum, lividum l. sordide testaceum, segmentis margine apicali brunneis & sæpe strigulis longitudinalibus tenuibus fuscis notatis; appendicibus analibus in ♂ modice brevibus, in ♀ brevissimis, hamis inflexis ferrugineis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fusco-pilosulis, & punctis 5 obscuris omnino ut in *Culice an-*

nulato locatis. Halteres testacei, clava saturatiori. Pedes tenues, elongati, simplices (nec femoribus anticis incrassatis ut in *Anoph. picto* Löw), nudi, flavi, tarsis plerumque brunneis l. obscuris.

---

219. AËDES Hffmgg. Meig.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, pubescens. Caput parvum. Antennæ longitudine thoracis, porrectæ, filiformes, 14-articulatæ, verticillato-plumosæ (♂), aut breviter verticillato-pilosæ (♀). Os non elongatum. Haustellum longitudine antennarum, porrectum. Palpi in utroque sexu brevissimi. Oculi transversim lunati, supra antennas conniventes. Thorax modice convexus, absque sutura transversa; postice ante scutellum parvum depressus. Abdomen angustum, pilosulum. Alæ longitudine abdominis, angustatæ, in quite incumbentes, multinervosæ, nervis ut in *Culice* directis & squamatis. Halteres nudi minusculi. Pedes ut in *Culice* constructi. *Color* obscurus. *Motu* agilis? *Habitatio* in paludosis. *Discrimen sexus; mas:* antennis plumosis, forcipe anali modice longa; *femina:* antennis breviter pilosis, forcipe anali brevi. Valde similis *Anopheli* & *Culici* palporum brevitate præcipue distinctus.

1. *Aë. cinereus:* fusco-cinereus, thoracis dorso ferrugineo-villoso; pedibus pallescentibus, tarsis brunneis; alis cinereis, immaculatis. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 13. 1. — 6. p. 243. Tab. 65. fig. 1. ♂. f. 3. ♀ (caput). — 7. p. 2. — Macqv. Buff. 1. 37. 1. Stæg. Dipl. Dan. (in Kröjers Tidsskr. 1840) p. 555. 1. ♂.

Hab. in graminosis paludosis mense Junio rarius; in Uplandia ad Nacka prope Holmiam, teste Prof. *Wahl-*

berg; e Dania in utroque sexu a D. *Stæger* mecum communicatus.

♂♀. Parvus, gracilis. Caput nigrum. Palpi capite fere breviores, obscure fusci. Thorax brunneo-niger, dorso aureo-ferrugineo-villosus. Pleuræ schistaceæ. Abdomen fuscum, griseo-pilosum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis tenuiter pilosulis. Halteres obscuri, petiolo flavido. Pedes tenues. Femora flava. Tibiæ testaceæ, posticæ subtiliter spinulosæ. Tarsi brunnescentes. *Mas:* antennis ample plumatis, pluma brunnea. Haustellum longitudine antennarum, brunneum. *Femina:* antennis pallidis, breviter pilosulis, articulorum nodis nigris. Haustellum ut in ♂.

Fam. 45. CHIRONOMII Zett.

220. CORETHRA Meig.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis, elongatum, pubescens. Caput parvum, sessile. Antennæ longitudine thoracis, porrectæ, filiformes, 14-articulatæ (radicula non computata); maris verticillato-plumosæ, verticillis longitudine versus apicem sensim decrescentibus; feminæ brevius verticillato-pilosæ. Os parvum elongatum. Haustellum antennis multo brevius, subtus corpusculis 2 brevibus clavatis appendiculatum. Palpi antennis breviores, exserti, incurvi, cylindrici, pubescentes, 4-articulati, articulo basali breviori. Oculi transversim lunati, in fronte utriusque sexus paullo remoti; in viva virides, in mortua nigri. Ocelli nulli. Thorax ovalis, absque sutura transversa. Scutellum mediocre. Abdomen elongatum, angustum, hirsutum, 8-annulatum (segmenta tantum 7 distincta numero). Alæ abdomine nonnihil breviores, angustæ, in quiete incumbentes; multinervosæ, nervis fere ut in *Culice* directis & pi-

losulis, ramis vero nervorum 2 furcatorum paullo longioribus. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem ciliatum attingunt. Halteres mediocres, nudi. Pedes fere æqualiter remoti, graciles, modice longi, inermes, pilosi. Coxæ mediocres. Ungves exigui. Pulvilli vix ulli. *Color* pallescens l. fuscus. *Motu* haud agilis. *Habitatio* larvarum in aqua, imaginum in floribus & foliis plantarum. Non sangvisuga. Pupæ nudæ. *Differentia sexus; mas:* antennis plumatis, ano appendicibus 2 longitudine fere unius segmenti, foliaceis, subincurvis instructo; *femina:* antennis pilosis, ano hamulis 2 brevibus circiter tantum qvartam unius segmenti partem longitudine æquantibus, incurvis appendiculato. *Typus* generis: *Cor. plumicornis.*

1 *plumicornis* Fabr. (*Tipul. cristallina* Deg. ♂♀. *Tip. hafniensis* Gmel. *Corethra lateralis* Latr. Panz.) ♂♀. 2 *rufa* (*Cor. flavicans* Meig. ♂?) ♀. 3 *pallida* Fabr. ♂♀. 4 *fusca* Stæg. (*Cor. culiciformis* Meig.?) ♂♀.

1. *C. plumicornis:* fuscescens, thorace vitta laterali, abdomineque segmentorum basi, albis; alis flavidis; pedibus pallide flavis immaculatis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 15. 1. T. 1. f. 22. ♂. — Macqv. Buff. 1. 47. 1. T. 1. f. 3. ♂ (male color.) — Zett. Ins. Lapp. 808. 1. ♂♀. Stæg. Ins. Dan. (in Kröjers Tidsskr. 1840) p. 555. 1. ♂♀. *Tipula plumicornis* Fabr. Ent. Syst. 4. 246. 58. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 42. 22. — Reaum. Ins. 5. p. 40—43. Tab. 6. f. 4—15. — *Tipula cristallina* Deg. Ins. 6. p. 386. 20. ♂♀. *Tipula hafniensis* Gmel. Syst. Nat. 5. 2826. 108. *Corethra lateralis* Latr. Gen. 4. 247. Panz. Fn. Germ. 109. 16. ♂. (nimis fusca).

Hab. imagines innocuæ in vicinitate aquarum, per totam Scandinaviam & Lapponiam (in alpibus tantum non

observatæ), a mense Majo usque ad Septembr. vulgares (etiam ad Neuenkirchen prope Gryphiam 20 Maj. in utroque sexu a D. *Dahlbom* deprehensæ); larvæ aquaticæ, pure hyalinæ, crystallinæ (unde nomen Degeerii), elongatæ, cylindricæ, antice crassiores, capite bihamato, a *Reaumur*, *Degeer* & *Meigen* l. l. c. c. describuntur. Hæ larvæ, observante *Brightwell*, vescuntur *Daphnia pulice*, quam avide devorant In statu pupæ 10 – 12 dieb. manent.

♂♀. Caput cum palpis pilosis fuscum. Antennæ pallescentes, nodis nigro-punctatis, in ♂ pluma dilute brunnea, in ♀ pilositate flavida. (Oculi maris in vivo secundum annotata mea atropurpurei). Thorax dorso plaga lata postice dilatata, e vittis 3 confluentibus posticis abbreviatis, formata, in ♂ plerumque obscure brunnea, in ♀ dilutius brunnea l. ferruginea; lateribus vitta alba. Pleuræ albo- & brunneo-variegatæ. Scutellum pallidum. Abdomen in ♂ valde angustum, lineare, subcylindricum, griseo-pilosum, fuscum, segmentorum margine basali (ad 4:tam segmenti partem) determinate album; in ♀ anguste lanceolatum, subdepressum, griseo-pilosum, sordide testaceum, vix albo-annulatum. sed lateribus sæpe fusco-irroratum. Alæ subflavidæ, immaculatæ. Halteres albidi. Pedes toti pallide flavi & pallide pilosi, immaculati. — Variat junior toto corpore pallido, tantum vestigio plagæ dilute ferrugineæ in thoracis dorso.

2. *C. rufa:* rufa, thorace dilute brunneo-vittato; abdominis dorso fusco; alis flavidis; pedibus pallide flavis subimmaculatis. ♀. (Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 808. 2. ♀. (An *Cor. flavicans* Meig. Dipt. 6. 243. 4. est hujus ♂?).

Hab. in Lapponiis rarius; scilicet in Pino ad Lycksele Lapponiæ Umensis 14 Aug. 1832, & in paludosis ad

Muonioniska Lappon. Tornensis 17 Aug. 1821, parcius a me lecta.

♂♀. Priori similis, sed magnitudine paullo minori & colore alio diversa videtur. Testaceo-rufa. Antennæ pallescentes, distincte pilosæ. Palpi testacei, interdum fuscescentes. Haustellum fuscum. Thorax antice distincte protuberans, dorso vitta media subgeminata & postice utrinque macula ovata læte brunneis. Pleuræ ferrugineæ l. cinerascenti-rufæ. Abdomen anguste lanceolatum, griseo-pilosum, supra fuscum, basi strigula longitudinali media, interdum ultra medium abdominis extensa, testacea. Venter pallescens. Alæ flavidæ, nervis distincte pilosis. Halteres pallidi. Pedes flavi, aut subimmaculati, aut sæpius femorum, tibiarum tarsorumque articulorum apice dilute brunneo.

3. *C. pallida:* albida, thorace dilute brunneo-trivittato; abdominis incisuris tenuiter fuscis; alis albo-hyalinis, ad medium costæ macula transversa dilute fuscana; femoribus tibiisque nigro-punctulatis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ fere 2 lin.).

Panz. Fn. Germ. 109. 17. ♂. (fig. sat. bona). — Meig. Dipt. 1. 16. 2. ♂♀. Tab. 1. f. 23. ♀. — Macqv. Buff. 1. 47. 3. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 555. 2. — *Tipula pallida* Fabr. Ent. Syst. 4. 245. 56. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 42. 19.

Hab. in vicinitate aquæ, per Scandinaviam meridionalem mens. Majo, Jun., passim copiose; in Scania rarius; e Dania multa specimina utriusque sexus obtinui. Mares ad & supra aquam choreas ducunt, dum feminæ tranqvillæ in plantis juxta sedent; paucis diebus tantum vigent. Nec in Svecia superiori, nec in Lapponia, nec in Norwegia mihi obvia.

♂♀. Per colorem corporis partiumque albidum & pedum puncturam nigram a conspeciebus mox dignota. — Parva, gracilis, albida. Antennarum nodi nigro-punctulati, pluma dilute subbrunnea. Palpi dilute fusci. Oculi in mortua nigri. Thorax vittis 3 liberis, dilute fuscanis (in ♀ paullo perspicuioribus), harum media geminata antice ad caput extensa, lateralibus posticis minoribus antice abbreviatis. Abdomen maris valde gracile, cylindricum, distincte pilosum, albo-pellucidum, incisuris anguste fuscis, foliolis analibus dilute brunneis; feminæ anguste lanceolatum, subdepressum, pilosulum, flavidum, incisuris anguste fuscis. Alæ albo-hyalinæ, nervorum pilis & marginis interioris ciliis albis. In medio costæ incipit striga angusta læte brunnea obsoleta, quæ oblique descendit & nervulos transversos transit, in ♂ parum conspicienda. Halteres albi. Pedes pilosuli, albi, femoribus & tibiis punctis numerosis parvis nigro-brunneis, illis æquali spatio remotis. Tarsi vestigio annulorum dilute brunneorum.

4. *C. fusca:* obscure fusca, thoracis linea laterali, scutello, abdominisque incisuris, albidis; alis cinereo-hyalinis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{4}$ lin.).

Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 556. 3. (ubi etiam larva describitur), ♂♀. typica. — *Cor. culiciformis* Meig. Dipt. 1. 16. 3? (exclus. syn. Degeer.) & 6. p. 243? ♂♀. Macqv. Buff. 1. 47. 2?

Hab. ad aqvas mense Majo in Scandinavia rarius, mihi non obvia, sed e Dania in utroque sexu a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Color obscurus præsertim in ♂ speciem designat. Caput cum palpis & antennarum pluma in ♂ nigricans, in ♀ fuscum. Thorax in ♂ nigro-fuscus, linea laterali angusta pallida; in ♀ fusco-testaceus, dorso vittis 3 obscuris, media latiori postice abbreviata, lateralibus posterioribus antice minoribus abbrevitis; lateribus vitta pallida. Scutellum pallidum. Abdomen in ♂ an-

gustum, cylindricum, fusco-pilosum, nigro-brunneum, segmentorum margine basali anguste albido; in ♀ anguste lanceolatum, depressum, fusco-pilosum, dilute fuscum l. sordide flavidum, segmentorum margine basali anguste pallido. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ. Halteres in nostris 4 exemplis mutilati, relicto tantum petiolo albo. Pedes pilosi, flavi, immaculati.

Obs. 1. *Tipula culiciformis* Degeer Ins. 6. p. 372. 16. Tab. 23. f. 3—12, ob larvam tamquam larvæ *Culicis* similem ibidem descriptam, nec "flavicantem, hyalinam, pellucidam" (qualis larva *Cor. fuscæ* deprehensa), a D. *Stæger* ut a *Cor. fusca* diversa species habetur.

Obs. 2. In annotationibus mecum communicatis dixit Cel. Prof. *Wahlberg*, se ad Gusum Ostrogothiæ & ad Holmiam *Corethram culiciformem* invenisse. Si vero eadem ut nostra *C. fusca* aut Degeerii *C. culiciformis* sit habenda, dijudicare non possum, cum specimina Wahlbergiana cum nostris comparare non potui.

---

221. CHIRONOMUS Fabr.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, interdum exiguum; elongatum, sæpe puberulum. Caput parvum, sessile. Antennæ in emarginatura oculorum insertæ, porrectæ, filiformes; maris 13-articulatæ (radicula non computata), dense & longe conice plumosæ, pluma versus apicem sensim breviori; feminæ 6-articulatæ (radicula non computata), parce & brevius verticillato-pilosæ. Os haud productum. Palpi exserti, incurvi, subcylindrici, puberuli, 4-articulati, articulo 1:mo brevissimo, 2 & 3 æqualibus modice longis, 4:to paullo longiori & angustiori. Oculi reniformes, inferne latiores, in fronte utriusque sexus nonnihil remoti, in vivo plerumque obscure virescentes. Ocelli nulli. Thorax ovatus, capite altior, antice plus minus protuberans, sutura transversa nulla. Pectus sub-

elevatum. Scutellum mediocre. Metathorax gibbus, medio linea longitudinali impressa. Abdomen thorace plus duplo longius, angustatum, 8-annulatum. Alæ lanceolatæ, deflexæ, margine interiori breviter ciliatæ; glabræ, rarius microscopice hirtulæ. Area basalis media ad medium alæ extensa simplex, angusta. Nervi: saltem 3 longitudinales ad marginem interiorem descendunt; duo illi furcati in medio aut paullo pone medium alæ originem ducunt, quorum inferior totus valde obsoletus, at superior ramo supero conspicuo, infero obsoleto instructus; nervi ad costam distinctiores. Halteres parvi, nudi. Pedes simplices, inermes, hirsutuli; antici a reliqvis remoti, porrecti, sæpe vibrantes, tarsis elongatis. Coxæ mediocres. Ungves & pulvilli exigui. *Color* cinereus, niger, viridis aut pallescens; pictura: in dorso thoracis plerumque vittis 3 elevatioribus maculiformibus colore saturatiore. *Motu* haud agilis; ted tempore sereno & calido præsertimque vespertino choreas in aëre sæpe instituunt mares. *Habitatio* imaginum innocentium in foliis & floribus plantarum; sæpe in vicinitate aqvæ deprehenduntur. *Larvæ* vermiformes, plerumque rufescentes plurium specierum in aqua, aliæ in terra, quædam etiam in stercore vivunt. Multæ quoque in foliis cuniculos agere dicuntur. *Differentia sexus; mas:* antennæ longitudine thoracis, usque ad apicem dense plumosæ, pluma versus apicem longitudine sensim decrescente; 13-articulatæ, articulo 1:mo brevi, cylindrico, 2—12 brevissimis subglobosis l. lenticularibus, ob plumitatem ægre distingvendis, ultimo longissimo seu longitudine antecedentium simul sumtorum & ultra (excepto in *Chir. leucopogine*), filiformi; alæ abdomine paullo breviores; abdomen angustum, lineare, segmentis penultimo deplanato, posterius nonnihil dilatato, apice emarginato, ultimo minori, ovato, depresso, ano appendiculis 4, quorum 2 exterioribus paullo longioribus (longitudine circiter segmenti ultimi), subfiliformibus aut falcatis, incurvis, hirtulis; tarsi antici sæpe barbati; *femina:* antennæ thorace subduplo breviores, breviter verticillatim pauci-pilosæ, verticillis 4; 6-articulatæ, articulo 1:mo brevi cylindrico nudo, 2—5 bre-

vibus oblongis vel anguste pyriformibus, ultimo longitudine 2 antecedentium simul sumtorum, filiformi, microscopice puberulo; alæ longitudine abdominis; abdomen crassiusculum, subcylindricum seu sublanceolatum. — *Typus* generis: *Chiron. plumosus.*

Sect. 1. Alæ oculo etiam armato nudæ (præter marginem interiorem normaliter ciliatum).

A. Halteres albidi aut pallidi.

a) Pedes unicolores (non annulati); genibus & tibiarum tarsorumque articulorum apice interdum nigris (*Chir. Histrio* & *pictulus* femoribus posterioribus pallide annulatis sub n:ris 72 & 73 quærendi).

†. Alæ punctatæ (non fasciatæ, nec vittatæ).

*. alis puncto unico medio nigro.

1 *plumosus* Linn. ♂♀. 2 *tentans* Fabr. (*Chir. abdominalis* Meig. ♀) ♂♀. 3 *intermedius* Stæg. (*Ch. prasinus* Meig.?) ♂♀. 4 *annularius* Meig. (*Tip. annularis* Deg. ♂♀. *Chir. pallens* Meig. var.?) ♂♀. 5 *barbipes* Stæg. var. a. b. c. ♂♀. 6 *hyperboreus* Stæg. (ex parte. *Chir. annularis* Zett. Ins. Lapp. ex parte) ♂♀. 7 *riparius* Meig. var. a. b. c. (var. c. est *Chir. zonulus* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 8 *lugubris* Zett. n. sp. ♂♀. 9 *Rosenschöldi* Zett. ♂♀. 10 *ferrugineo-vittatus* Zett. n. sp. ♂♀. 11 *flaveolus* Meig. (*Ch. flavicollis* Meig. var.) ♂♀. 12 *aprilinus* Meig. (*Ch. tarsatus* Fries) ♂♀. 13 *venustus* Fries (non Wiedemann.) ♂♀. 14 *cingulatus* Meig. ♂♀. 15 *nemoralis* Zett. n. sp. ♂♀. 16 *capucinus* Zett. n. sp. ♂. 17 *Alpicola* Zett. n. sp. ♂♀.

**. alis punctis pluribus.

18 *scalænus* Schrank ♂♀.

††. Alæ vittatæ aut fasciatæ (*Chir. nubeculosus* alis nebulosis, halteribus fuscis sub n:o 94 quærendus).

19 *rufipes* Linn. (*Ch. pulcher* Zett. Ins. Lapp. est hujus varietas) ♂♀. 20 *gibbus* Fabr. (*Tip. flexilis* Linn.?) ♂♀. 21 *fascipennis* Zett. ♂.

†††. Alæ immaculatæ (punctis, vittis l. fasciis nullis notatæ).

22 *dispar* Meig. (vix Stæg. — *Ch. flavipes* Fries. *Ch. straminipes* Zett. Ins. Lapp. ex parte) ♂♀. 23 *straminipes* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 24 *coracinus* Zett. n. sp.. ♂. 25 *lucidus* Zett. ♂♀. 26 *olivaceus* Meig. ♂♀. 27 *Chloris* Meig. ♂♀. 28 *productus* Fries ♂♀. 29 *niveipes* Zett. n. sp. ♂♀. 30 *pubitarsis* Zett. ♂♀. 31 *pullus* Zett. ♂. 32 *sociellus* Zett. ♂♀. 33 *frigidus* Zett. ♂♀. 34 *tenellus* Zett. ♂♀. 35 *brunnipes* Zett. n. sp. ♂♀. 36 *variabilis* Stæg. (*C. sulphuricollis* Meig.? & *geniculatus* Meig.?) ♂♀. 37 *leucopogon* Meig. ♂♀. 38 *sordidellus* Zett. ♂. 39 minutus Zett. n. sp. ♂♀. 40 *atomarius* Zett. n. sp. ♂ (an etiam ♀?). 41 *albo-lineatus* Meig. ♂♀. 42 *glabricollis* Meig. ♂♀. 43 *perniger* Zett. n. sp. ♂. 44 *vagans* Meig. ♂. 45 *tendens* Fabr. ♂♀. 46 *albipennis* Meig. ♂♀. 47 *psittacinus* Meig. ♂. 48 *nigrò-viridis* Macqv. ♂. 49 *dorsalis* Meig. ♂. 50 *venosus* Meig. ♂♀. 51 *notatus* Meig. ♀. 52 *littorellus* Meig. ♂♀. 53 *viridis* Fries (an *Tip. virens* Linn.? *Chir. vulneratus* Zett. Ins. Lapp. var.) ♂♀. 54 *nigrimanus* Stæg. ♂♀. 55 *nervosus* Stæg. ♂.

56 *prasinatus* Stæg. ♂. 57 *pedellus* Deg. *(Ch. cantans* Fabr. ♂) ♂♀. 58 *pedestris* Meig. ♂. 59 *brevitibialis* Zett. n. sp. ♂♀. 60 *virescens* Meig. ♂♀. 61 *viridulus* Linn. *(Ch. viridanus* Macqv.?) ♂♀. 62 *pusillus* Linn. ♂♀. 63 *ictericus* Meig. ♀. 64 *longipes* Stæg. ♀. 65 *rufo-vittatus* Stæg. ♀. 66 *testaceus* Stæg. ♂♀. 67 *fraterculus* Zett. *(confinis* Stæg.) ♀. 68 *femoratus* Stæg. ♀. 69 *bicolor* Zett. (non Meig.) ♀. 70 *bipunctellus* Zett. n. sp. ♂♀. 71 *varians* Stæg. ♂♀.

b). Pedes albo-annulati.

Phal. 1. Alæ maculatæ.

72 *Histrio* Fabr. *(Tip. stricta* Fabr. *Tip. stictica* Fabr.) ♂. 73 *pictulus* Meig. *(Chir. sticticus* Meig.) ♂♀.

Phal. 2. Alæ immaculatæ l. subimmaculatæ (interdum puncto medio fusco obsoleto).

74 *armillatus* Stæg. ♂♀. 75 *albo-fasciatus* Stæg. ♀. (♂?). 76 *biannulatus* Stæg. ♂♀. 77 *albimanus* Meig. *(Ch. annularis* Panz.?) ♂♀. 78 *plebejus* Meig. ♂. 79 *incisuratus* Zett. *(intersectus* Stæg.) ♂♀. 80 *tibialis* Meig. ♂. 81 *bicinctus* Meig. *(Ch. dizonias* Meig.) ♂♀. 82 *tricinctus* Meig. ♂♀. 83 *trifasciatus* Panz. ♀. 84 *Motitator* Meig. *(Tip. motitatrix* Linn.) ♂♀. 85 *sylvestris* Fabr. *(Ch. triannulatus & marginatus* Macqv. var.) ♂♀. 86 *ornatus* Meig. ♀. 87 *annulipes* Meig. ♂♀. 88 *tremulus* Linn. ♂♀. 89 *Ephippium* Zett. ♂♀. 90 *obscurimanus* Zett. n. sp. (an *intersectus* Stæg.?) ♂. 91 *pilitarsis* Zett. n. sp. ♂♀.

B. Halteres nigri aut fusci.

*) alis albis l. hyalinis.

92 *niveipennis* Fabr. Stæg. (*Ch. rudis* Fries. — *Ch. pilicornis* Meig.) ♂♀. 93 *obscurus* Fabr (*Tip. barbifrons* Fabr.) ♂ (♀?). 94 *nubeculosus* Meig. ♂♀. 95 *pictipes* Zett. n. sp. ♀. 96 *assimilis* Zett. ♂♀. 97 *stercorarius* Deg. ♂♀. 98 *byssinus* Schrank ♂♀. 99 *aterrimus* Meig. ♂♀. 100 *minimus* Meig. ♂♀. 101 *flavo-nervosus* Stæg. ♀. 102 *lucens* Zett. (*lucidus* Stæg.) ♂.

**) alis nigricantibus.

103 *occultans* Meig. (*Hydrobœnus lugubris* Fries) ♂♀.

Sect. 2. Alæ hirsutæ.

a). Halteres albidi.

104 *elegans* Meig. (*Ch. crassipes* Panz. ♂) ♂♀. 105 *punctipes* Wiedem. ♂. 106 *flavipes* Meig. ♀. 107 *fuscipes* Meig.? ♂♀. 108 *vernus* Meig.? Stæg. ♂♀. 109 *modestus* Meig. (non Wiedem.) ♀. 110 *latus* Stæg. ♀. 111 *affinis* Wiedem. ♂. 112 *dubius* Zett. ♂♀. 113 *tenuis* Meig. (non Macqv.) ♂♀. 114 *longitarsis* Zett. ♀. 115 *Pusio* Meig.? Zett. Ins. Lapp. ♂. 116 *hilarellus* Zett. ♂. 117 *flavellus* Zett. ♀. 118 *pallidicollis* Stæg. ♀. 119 *flabellatus* Meig. ♂. 120 *hirticollis* Stæg. ♀. 121 *incomptus* Zett. ♀. 122 *abdominalis* Stæg. (non Meig.) ♀. 123 *lætipes* Zett. n. sp. ♂. 124 *altipes* Zett. n. sp. ♂♀. (*)

---

*) *Obs. Chironom. hirtulus* Zett. Ins. Lapp. excludatur, nam identicus est cum *Ceratopogone bipunctato* n:o 36.

b). Halteres nigri aut fusci.

125 *picipes* Meig. ♂♀. 126 *fuscus* Meig. ♂♀. 127 *immundus* Zett. ♀. 128 *atratulus* Zett. n. sp. ♂.

Chironomus.

Sect. 1. Alæ oculo etiam armato nudæ (præter marginem interiorem normaliter ciliatum).

A. Halteres albidi aut pallidi.

a). Pedes unicolores (non annulati); genibus & tibiarum tarsorumque articulorum apice, interdum nigris. (*Ch. Histrio* & *pictulus* femoribus posterioribus pallide annulatis sub n:ris 72 & 73 quærendi).

†. Alæ punctatæ (non fasciatæ, nec vittatæ).

*. alis puncto unico medio nigro.

1. *Chir. plumosus:* virescenti-pallidus, thoracis vittis dorsalibus 3, pectoris macula sternoque cinereis; abdominis annulis fuscis; alis albis, puncto medio nigro; pedibus flavis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigricante; maris tarsis anticis barbatis, cauda tenui. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 4 lin.).

Fabr. Antl. 37. 1. (excl. syn. Reaum.) — Meig. Dipt. 1. 20. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 48. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 809. 1. ♂♀. Stæg. Ins Dan. (in Kröjers Tidsskrift 1840) p. 557. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 1. — *Tipula plumosa* Linn. Fn. Sv. p. 434. 1758. (excl. syn. Frisch.) Syst. Nat. 2. 974. 26. Schrank Ins. Austr. 428. 866. Fabr. Ent. Syst. 4. 242. 43. (excl. syn. Deg.)

Hab. in hortis & pratis, ad litora maris & ripas lacuum, per Scandinaviam meridionalem & mediam vulgaris, borealem parce; præsertim tempore vernali vigens; sed etiam mense Julio visus. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam mense Majo, D. *Dahlbom).*

♂♀. Inter maximos nostratum. Glabriculus. Caput flavum. Antennæ maris obscure brunneo-plumosæ, feminæ brunneæ basi pallidiores. Palpi testacei l. fusco-testacei. Oculi in vivo ænei. Thorax pallidus, in vivo dilute virescenti-micans, in mortuo flavus; dorso vittis 3 liberis brunnescenti-cinereis, media postice, lateralibus antice abbreviatis; per vittam mediam lineola tenuissima impressa obscura usque ad scutellum ducitur. Pleuræ saturate flavæ, cicatrice l. lamella centrali subelevata brunneo-cinerea. Sternum cinereum. Scutellum flavum, in vivo pallide virescens. Metathorax cinereus. Abdomen pilosum, in ♂ pallidum, segmentis dorsalibus basi macula magna, versus latera paullo angustata, obscure brunnea, hinc abdomen supra annulis latis fuscis pictum, forcipe anali tenui; in ♀ fuscum, lateribus tenuiter & incisuris anguste pallidis. Alæ albæ, macula punctiformi distincta nigro-brunnea in anastomosi nervorum juxta costam in medio. Nervi costales fusco-flavidi. Halteres pallidi. Pedes flavi, tibiarum articulorumque tarsorum summo apice nigricante, articulo ultimo plerumque toto nigro-brunneo; in ♂ distincte, in ♀ breviter hirti. Tarsi antici in ♂ articulo 1:mo a medio ad apicem, 2:do a basi & ad apicem & 3:tio basi uno latere sat longe pallide barbati. — Color corporis in exsiccato pallide flavus, in vivo læte virescenti-flavus & sæpe rubens.

Var. b. ♂♀. Simillimus var. a. & differt tantum thoracis abdominisque colore pallido in læte cinereum abiente. Hab. cum var. a. non raro. Etiam circa Torneå & Haparanda captus. Meig. Dipt. 6. p. 243. Stæg. Ins. Dan. l. c. var. b. *Chir. grandis* Meig. Dipt. 1. 21. 2. ♂♀.

2. *Chir. tentans:* virescenti-flavus, thoracis vittis

dorsalibus 3 nigris albomicantibus; pectoris macula sternoque cinereis; abdomine nigricante, incisuris glaucis; alis albis, puncto medio nigro; pedibus viridi-flavis, femorum tibiarum tarsorumque apice nigro; maris tarsis anticis nudis, cauda validiuscula. ♂♀. (Long. ♂ 4½, ♀ 3¾ lin.).

Fabr. Antl. 38. 3. Meig. Dipt. 1. 24. 8. ♂♀. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 558. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Autr. 1848. 2. 5. *Chir. abdominalis* Meig. Dipt. 1. 32. 25. ♀.

Hab. ad aqvas, in Scandinavia meridionali & media Maj.—Jul. rarius; scilicet in Scania ad Räften (16 Jun.) parce; in Ostrogothia ad Wadstena ♂ semel; in Gottlandia ad Wamlingbo 5 Jul. 1841. ♂; in Dania Hafniæ Mus. Lundii, & ad Skovsborg, D. *Drewsen*, teste D. *Stæger*, a quo specimen masculum obtinui. Larva in aqua stagnante. (D. *Dahlbom* etiam marem ad Eldena prope Gryphiam Sept. 1842 captum, & utrumque sexum in hortis Gryphicis mense Majo lectum communicavit).

♂♀. Priori subsimilis, sed magnitudine paullo minore, abdomine nigro, annulis glaucis, nec flavidis, femoribus apice nigricantibus, tarsis apice latius obscuris, alarum puncto nigro minori, & denique in ♂ tarsis anticis nudis, nec barbatis, & cauda majori, aperte diversus. Caput flavidum, palpis brunneis. Antennæ ut in *C. plumoso*. Thorax etiam ut in illo, sed vittæ dorsales intensius nigræ, in bene conservato albo-micantes. Pleuræ, sternum, scutellum & metathorax ut in præcedente. Abdomen nigricans, incisuris anticis anguste, posticis latius glaucescentibus l. canis; forcipe anali in ♂ magna, valida (nec tenui), nigricante, pubescente. Alæ albæ, puncto medio minore, brunneo. Nervus longitudinalis 3:tius ad apicem leniter flexus, non exacte rectus. Halteres pallidi. Pedes viridi-flavi, genibus tibiarumque apice nigricantibus. Tarsi obscu-

re brunnei, articulo 1:mo basi late, 2:doque basi anguste indeterminate, sordide testaceis l. lividis. Pedes anteriores nudi, postici tibiis pallide pubescentibus.

Obs. In exemplis non detritis sæpe observantur pili aliquot in tarsis anticis maris subtus ad apicem articuli 1:mi & basin articuli 2:di. Pictura vero pedum abdominisque ut & in ♂ forfices caudæ latiores speciem a proxime affinibus distingvunt.

3. *Chir. intermedius:* viridis l. flavo-viridis, thoracis vittis dorsalibus 3, pectoris macula sternoque cinereis; abdominis supra maculis brunneis; alis albis, puncto medio nigro; pedibus (in vivo) flavo-viridibus, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigricante, horum articulis ultimis totis fuscis; maris tarsis anticis barbatis, cauda tenui. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 3¾ lin.).

Stæg. Ins. Dan. (in Kröjers Tidsskrift 1840) p. 559. 3. ♂♀. Var. a. — f. (An *Chir. prasinus* Meig. Dipt. 1. 22. 4? ♂♀. & Macqv. Buff. 1. 48. 3? qui tamen ab his Auctoribus ut 6—7 lineas longus & singulo segmentorum anteriorum punctis 3 ornato instructus describitur).

Hab. in hortorum fruticibus & graminosis umbrosis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, Maj. Jun. passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa &c. certis annis copiose, mares choreas ducentes; in Ölandia ad Gärdlösa; in Dania frequens; e Christiania a D. *Siebke* missus. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*, & e Neuenkirchen & Gryphia in utroque sexu a Doct. *Dahlbom* exempla accepi).

♂♀. Duobus præcedentibus valde similis, sed a *Ch. plumoso* colore magis virescente, a *tentante* tarsis anticis maris barbatis, nec nudis, caudaque tenui, & ab ambobus magnitudine paullo minori, diversus videtur. Omnes partes, quæ in inse-

cto vivo plus minus virides sunt, in exsiccato flavescunt. Caput ut in *C. plumoso*. Thorax pallidus, vittis dorsalibus, pleurarum lamella centrali & sterno cinereis. Scutellum pallidum. Metathorax cinereus. Abdomen in ♂ pallidum, segmentis normaliter macula majuscula subquadrata brunnea; in ♀ fuscum, segmentorum margine apicali plus minus late pallido l. albido; sed variat maris abdomen (ut in Stægeri variet a. & b.) rarius segmentis 2:do, 3:tio & 4:to macula gemina fusca, tribusque ultimis fusco-striatis, albo-micantibus. Anus in ♂ semper forcipe tenui, incurva, pilosa. Alæ albæ, puncto nigro parvo. Halteres pallidi. Pedes pilosuli pallidi, geniculis sæpe anguste dilute brunneis. Tibiæ summo apice nigricante. Tarsi testacei, articulis summo apice fusco, apicalibus 2 l. 3 plerumque obscure brunneis. Sed variat etiam, præsertim ♀, tarsis fere totis fuscis, metatarso basi testaceo.

4. *Chir. annularius:* canus, thoracis vittis dorsalibus 3 cinereis; abdomine nigro-brunneo, incisuris glaucis; alis albis, puncto medio parvo nigro; pedibus testaceis, tibiarum tarsorumque articulorum apice nigricante, horum articulis ultimis totis fuscis, 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis tenuioribus modice barbatis, cauda tenui. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 3½ lin.).

Meig. Dipt. I. 21. 3. ♂♀. Macqv. Buff. I. 48. 2. Zett. Ins. Lapp. 809. 2. ♂♀. *Tipula annularis* Degeer Ins. 6. p. 379. 18. Tab. 19. f. 15 ♂. f. 14 ♀. — *Chir. pallens* Meig. Dipt. I. 22. 5. var.? ♂♀. Macqv. Buff. 1. 49. 4? Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 561. 4. ♂♀.

Hab. in paludosis & ad aqvas, per Scandinaviam Maj. Jun. Jul. Sept. vulgaris, in copula etiam aliquoties deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Esperöd &c. freqvens; in Ostrogothia ad Löfsta, *Degeer*, ad

Wadstena, ipse; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Åsele; in Dania non parce. (Ad Gryphiam Jun. a D. *Dahlbom* deprehensus).

♂♀. Colore corporis cano ab antecedentibus mox dignotus. Caput cinereum. Antennæ brunneæ, in ♀ basi flavidæ. Palpi brunnei. Thorax totus canus, vittis dorsalibus 3 cinereis, aut in detrito nigricantibus; puncto minuto ante vittas laterales & lineola ante scutellum nigris. Scutellum & metathorax ana. Abdomen, aut in ♂ lineare, pilosum, brunneo-nigrum, segmentorum margine apicali glaucum, unde annuli angusti albidi exstant, postice supra totum cinereum, forcipe tenui; aut in ♀ modice angustum, pubescens, nigro-brunneum, ut in ♂ albido-annulatum. Alæ albæ, puncto nigro parvo, nervis longitudinalibus subcostalibus præcipue in ♀ dilute brunneis l. testaceis. Halteres albidi l. sordide albidi. Pedes pilosi aut toti brunnei, tarsis saturatioribus, aut brunnei, femoribus anticis basi late flavidis, aut denique flavescentes l. testacei, femorum, tibiarum tarsorumque articulorum apice brunneo. Tarsorum anticorum articulus 2:dus singulo articulorum 3:tii & 4:ti æque longorum, in utroque sexu fere longior. Coxæ in ♂ & ♀ plerumque brunneæ l. cinereæ. Tarsi maris antici graciles, in medio modice barbati.

Obs. *Chir. obscuripes* Meig. Dipt. 6. 224. 76, "tarsis anticis maris imberbibus" huc pertinere non potest; nec *Chir. annularis* Panz. Fn. 109. 19. ♂., qui potius nostro *Chir. albimano* (n:o 77) associandus.

5. *Chir. barbipes:* canus, thoracis vittis dorsalibus 3 cinereis; abdomine nigro-brunneo, incisuris albidis; alis albis, puncto medio parvo nigro; pedibus flavescentibus, tibiarum summo apice nigricante, tarsis brunnescentibus, horum anticorum articulo 2:do in utroque sexu 3:tio nonnihil breviore; maris tarsis anticis subincrassatis, crebre barbatis, cauda tenui. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ $3\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 561. 5. ♂♀. var. a. b. c.

Hab. in Amager prope Hafniam Daniæ, ubi ad lacunas juxta litus maris, Majo, Junio & Julio haud parce occurrit, D. *Stæger;* mihi in Svecia non obvius, nisi in litore marino ad Lomma Scaniæ ♀ semel. (Ad Gryphiam, Neuenkirchen & Eldenam mares plures & feminæ aliquot Majo, Jul. & Sept. a D. *Dahlbom* capti & mecum communicati).

♂♀. Magnitudo, statura & color omnino ut in *Ch. annulario*, a quo vero maris tarsis anticis paullo validioribus & densius atque distinctius barbatis, ut & utriusque sexus tarsorum anticorum articulo 2:do 3:tio fere paullo breviore, sine dubio diversus. Caput cum antennis & palpis ut in priore. Thorax læte cinereus, vittis 3 dorsalibus nigris cinereo-micantibus, puncto humerali parvo ante vittas laterales & linea ante scutellum nigris. Pleuræ cinereæ. Scutellum & metathorax cinerea. Abdomen nigricans, segmentorum margine apicali albido, unde in abdominis dorso antico annuli 4 albidi non lati formantur, per lineolam tenuissimam nigram in medio subinterrupti, segmentis 3 ultimis totis cinereis; cauda ♂ parva, forcipe tenui, nigra. Alæ ut in præcedente. Halteres albi. Pedes in juvenilibus flavidi, per ætatem posteriores plus minus brunnescunt. Hinc exstant Stægeri varietates b. & c. Tarsi antici brunnei, in ♂ saturatiores, at paullo crassiores, articulis 1:mo a medio, 2, 3 & 4 totis crebre fusco-barbatis, barba latere altero duplo longiore; in ♀ tenuiores, nudi. Horum tarsorum articulus 2:dus in utroque sexu singulo duorum sequentium, qui inter se æqualem habent longitudinem, subæqualis l. fere brevior. Pedes posteriores pallide pilosuli.

6. *Chir. hyperboreus:* thorace cano, vittis dorsalibus 3 latis maculaque subhumerali atris; antennis nigri-

cantibus; abdomine nigro, incisuris albidis; alis albidis, puncto nigro; pedibus obscure brunneis, femoribus saltem anticis flavicantibus; tarsorum anticorum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis imberbibus, cauda tenui. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 3½ lin.).

Stæg. Grönlands Antliater in Kröjers Tidsskrift 1845. p. 349. 2. ex parte, nempe varietas individuorum masculorum in descriptione: "tarsis anticis nudis". — *Chir. annularis* Zett. Ins. Lapp. 809. 2. ex parte, scilicet specimina Grönlandica.

Hab. in Scandinavia boreali mense Julio passim; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan; in Norwegia non parce, nempe in alpe Kålahög (in jugo alpino sita), ubi feminæ usque in regionem nivalem (circiter 3600 ped. supra mare) adscendunt; ad diversoria Suul & Oeste-Näs Værdaliæ non raro — 10 mares & 13 feminas collegi; tandem in Norwegia quoque ad Askim (29 Maj 1849) & ad Aamodt (7 Jul. 1848) mares, atque in Dowre ad Drivstuen (20 Jul. 1843) 2 feminas legit mihique communicavit D. *Siebke.*

♂♀. Duobus proxime præcedentibus similis, sed colore obscuriore in utroque sexu, & tarsis anticis in ♂ nudiusculis, certe distinctus. — Caput obscurum. Antennæ nigræ, pluma in ♂ nigro-brunnea. Palpi nigri. Thorax cinereus, argenteo-micans, dorso vittis 3 latis, & in foveola ante vittas laterales macula, atris. Pleuræ nigro-maculatæ. Lineola ante scutellum nigra. Scutellum & metathorax nigricantia. Abdomen pilosum, nigrum, segmentorum margine apicali in ♂ anguste, in ♀ paullo latius albicante, segmentis 3 ultimis in utroque sexu supra canescentibus. Anus maris parvus, niger. Alæ albidæ, puncto medio indeterminato, nigro-brunneo subobsoleto. Nervi costales præsertim in ♀ brunnescentes. Halteres

albi, clava apice punctulo obscuro. Pedes normaliter obscure brunnei, femorum tibiarumque præcipue anteriorum basi late flavida l. ferrugineo-testacea; sed variant etiam sæpe toti obscure brunnei, femorum basi paullo dilutiori. Tarsi antici in utroque sexu modice tenues, articulis longitudine sensim decrescentibus; sic 1:mus 2:do fere duplo longior, 2:dus 3:tio fere $\frac{1}{3}$, 3:tius 4:to circiter $\frac{1}{4}$, & hic ultimo circiter $\frac{1}{3}$ longior. Tarsi antici in ♂ breviter tantum puberuli, nec pilosi. — Variat detritus totus niger, subnitidus.

Obs. Stægeri varietas a. seu species genuina: "pedibus in mare nigris, tarsis anticis dense barbatis", mihi neque in Lapponia, neque in reliqua Scandinavia boreali obvia.

7. *Chir. riparius*: canescens, thoracis vittis dorsalibus 3 nigris; antennis obscure brunneis; abdomine nigro, incisuris albis; alis albis, punctulo nigro; pedibus hirtulis, ferrugineo-brunneis, lividis l. flavidis, geniculis, & tibiarum tarsorumque apice fuscis, horum anticorum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis gracillimis imberbibus, cauda parva. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$, ♀ $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus ferrugineis, brunneo-articulatis.

Meig. Dipt. I. 23. 6. ♂♀. Macqv. Buff. I. 49. 5. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 562. 7. ♂♀. Rossi, Diptera Austr. 1848. p. 2. 3.

Var. b. ♂♀. pedibus fuscis l. brunneis.

Stæg. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. pedibus flavis l. lividis, genubus, & tibiarum tarsorumque articulorum apice anguste, fuscis, tarsorum articulis ultimis plerumque totis brunneis; forte juvenilis.

Chir. zonulus Zett. Ins. Lapp. 810. 7. ♂♀.

Hab. in graminosis, fruticibus ut & in pratis ad littora maris & ripas lacuum mensibus Majo - Julio, & iterum Septembri, vulgaris, in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Kjeflinge, Lomma, Skanör &c., sat copiose; in Ostrogothia ad Wadstena prope lacum Wettern; in Gottlandia ad Stenkyrka & Fårön; in Dalecarlia ad Rörsbyttan passim; in Jemtlandia ad diversorium Upland, rarius; in Töien prope Christianiam D. *Siebke;* in Dania frequens; var. c. cum var. a. & b. promiscue habitat, sed etiam ad Torneå, Lycksele Lapponiæ Umensis & Næs Værdaliæ Norwegicæ deprehensa. (Mares var. c. quoque ad Neuenkirchen prope Gryphiam 15—20 Maj. 1842 copiose legit D. *Dahlbom).*

♂♀. Magnitudine minore, statura gracili & in ♂ tarsis anticis valde tenuibus, nudis, ab affinibus facile dignotus. Antennæ obscure brunneæ, pluma maris concolore. Oculi in vivo ænei. Palpi obscuri. Thorax canus, vittis 3 nigris, media per lineolam tenuissimam cineream divisa & aliam tenuem nigram ad scutellum emittente. In junioribus humeri sæpe pallescunt. Scutellum cinereum l. flavidum. Metathorax cinereus. Abdomen gracile, 8-annulatum, nigrum, segmentorum margine apicali plus minus anguste albido. Segmenta ultima supra cinerascentia. Appendices anales in ♂ parvæ. Alæ albæ, puncto nigro parvo. Halteres albidi, in vivo pallide virescentes. Pedes secundum ætatem colore variant, ut in a. b. & c. dictum; sed horum color in speciminibus exsiccatis pallidus l. flavus, in vivis pallide virescens. Tarsi antici in utroque sexu semper pergraciles, articulis 1:mo 2:do fere duplo, 2:do 3:tio $\frac{1}{4}$, 3:tio 4:to fere $\frac{1}{2}$, & 4:to ultimo iterum fere duplo longioribus; in ♂ toti nudi. — Caveas ne hunc cum *Ch. Histrione* n:o 72 confundas.

8. *Chir. lugubris:* nigro-cinerascens, thoracis vittis

dorsalibus 3 atris; antennis obscure brunneis; abdomine nigro; alis albis, punctulo nigro; pedibus nigro-brunneis, tarsorum anticorum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis gracilibus imberbibus, cauda parva, appendiculis filiformibus. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Hab. in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mulfjellen minus frequens; scilicet in frondibus Aspidii prope regionem nivalem circiter 3000 ped. supra mare 24—30 Jul. 2 Aug. 1840 utriusque sexus specimina inveni; ♂ ad Skalstugan 16 Jul. etiam parce visus; quoque e Lapponia Lulensi in unico exemplo masculo missus; denique marem in litore maris ad Christianiam 31 Maj 1848 legit D. *Siebke.*

♂♀. A priori, cui proximus, magnitudine nonnihil minore, colore obscuriore, abdomine nigro, & denique pedibus intensius brunneis, sine dubio distinctus. Statura tenera. Antennæ & palpi ut in antecedente. Thorax cinerascens, vittis atris. Scutellum cinerascens. Metathorax niger. Abdomen nigrum, segmentorum summo margine vix albo-micantibus; in ♂ prægracile, fusco-pilosulum, appendicibus analibus parvis, filiformibus; in ♀ anguste lanceolatum, pubescens. Alæ albæ, puncto medio ordinario nigricante parvo. Halteres albi. Pedes ut in *Chir. ripario* constructi, normaliter obscure brunnei, sed variant etiam præsertim in ♀ femoribus basi plus minus late flavidis; posteriores in ♂ hirtuli, in ♀ pubescentes. antici in utroque sexu nudi. Maris tarsi antici valde tenues, omnino imberbes. — Variat femina junior thorace flavicante, vittis atris, scutello pallido, pedibus lividis.

9. *Chir. Rosenschöldi:* niger, opacus, thorace cinerascente, vittis dorsalibus 3 atris; abdomine nigro; alis albis, puncto medio nigro distincto; pedibus brunneis l. flavidis, articulatione anguste nigricante; tarsorum anti-

corum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis gracilibus, imberbibus, cauda parva, appendiculis subfoliaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 811. 10. ♂♀.

Hab. ad ripas fluviorum Lapponicorum Jun. Jul. passim, feminæ maribus rariores; scilicet in Lapponiis Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Wittangi; in Nordlandia Norwegica ad Björkvik rarius.

♂♀. *C. lugubri* similis, sed semper saltem duplo minor, maris appendicibus caudalibus subovatis planis, nec filiformibus, & puncto alarum medio nigro in utroque sexu paullo distinctiori, differt. Caput nigrum. Antennæ & palpi nigricantia. Thorax cinereus, vittis 3 nigris. Abdomen totum nigrum. Alæ albæ, puncto medio & strigula basali abbreviata nigris. Pedes brunneo-testacei aut pallidiores, geniculis tibiarumque summo apice obscuris; postici pubescentes, antici nudi. Tarsorum articulus 1:mus tibia paullo l. parum, sed articulo 2:do dimidio longior, reliqvi longitudine sensim decrescentes. — Alæ feminæ albo-cinereæ, nervis ad costam fusco-testaceis.

10. *Chir. ferrugineo-vittatus:* pallide flavus, thoracis vittis dorsalibus 3 latiusculis, pallide ferrugineis; antennis fuscescentibus; metathorace brunneo; abdomine fusco-submaculato; alis albis, puncto nigro distincto; pedibus pallide flavis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigro-brunneo; tarsorum anticorum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis crebre barbatis. ♂♀. (Long. ♂ 4—$4\frac{1}{2}$, ♀ $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Hab. in Sveciæ meridionalis & mediæ pratis, lucis & silvis, Jul. Aug. passim, in copula quoque deprehensus; scilicet in Scania ad Esperöd & Krageholm; in Ostrogothia in pratis ad Klosterorlunda prope Wadstena

&c. (In Germania circa Gryphiam & Hamburgum non parce lectus).

♂♀. Similis *Ch plumoso* & *flaveolo*, ab illo vero thoracis vittis rufis, nec cinereis, & ab hoc magnitudine duplo majore dignoscitur. Pallide flavus, in vivo leniter subvirescens. Antennæ in ♂ brunnescentes, pluma dilutiori, in ♀ flavæ, apice brunneæ. Oculi in exsiccato nigri. Thoracis vittæ 3 latæ, pallide rufæ l. læte ferrugineæ. Pectus ferrugineo-maculatum. Metathorax obscure l. cinereo-brunneus, basi flavus. Abdomen in ♂ lineare, pallide pilosum & pallide flavum, segmentis 1:mo plerumque immaculato, 2, 3, 4 & 5 aut macula fusca aut cingulo brunneo ornatis, 6, 7 & 8 subdepressis, stria laterali fusca notatis & supra colore albido leniter micantibus, appendicibus ani non magnis, subfiliformibus, pallidis; in ♀ lanceolatum, pallide pubescens, fuscum, lateribus anguste & segmentorum margine apicali pallidis l. albidis. Alæ albæ, puncto medio brunneo-nigro præsertim in ♀ distincto. Halteres albidi. Pedes ut in priori constructi, pallide flavi, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigro, tarsorum articulo ultimo plerumque toto nigricante; posteriores in ♂ hirtuli, in ♀ pubescentes, antici in utroque sexu nudi, modice graciles, sed tarsis maris sat distincte pallide barbatis.

11. *Chir. flaveolus:* pallide flavus, thoracis vittis dorsalibus 3 modice latis, ferrugineis; antennis fuscescentibus; metathorace brunneo; abdomine fusco-cingulato; alis albis, puncto nigro minusculo; pedibus pallide flavis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigro-brunneo; tarsorum articulis ultimis plerumque totis obscuris, horum anticorum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis parce barbatis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 23. 27. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 49. 6.

♂♀. Stæg Ins. Dan. 1840. p. 562. 6. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 4. *Chir. flavicollis* Meig. Dipt. I. 24. 9. ♀. — & 6. p. 243. est hujus varietas.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis fruticibus mense Julio passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. sat frequens; ex Hafnia a D. *Stæger* obtinui. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*, & e Trawemündia & Neuenkirchen a D. *Dahlbom* missus).

♂♀. Præcedenti affinis & valde similis, sed magnitudine constanter duplo minore, thoracis vittis liberis, nec subconfluentibus, abdominis pictura fusca fascias (etiam in ♂), nec maculas, formante, maris tarsis anticis parcius barbatis &c., differt. Caput flavum. Antennæ in ♂ brunneæ, pluma griseo-micante, in ♀ pallidæ apice brunneæ. Palpi flavi, interdum fusci. Thorax pallide flavus, vittis dorsalibus 3 ferrugineis discretis, media gemina. Lineola longitudinalis ante scutellum & maculæ pectoris ferrugineæ. Scutellum pallide flavum. Metathorax brunneus, basi flavus. Abdomen in ♂ gracile, pilosulo, flavo, segmentis basi cingulo sat late brunneo, tribus ultimis subdepressis, fere totis obscuris, albo-micantibus, appendiculis analibus parvis fuscis; in ♀ anguste lanceolatum, pubescens, obscurum, segmentorum margine apicali albido l. pallido. Alæ albæ, punctulo nigricante parvo. Halteres albidi. Pedes ut in *C. ferrugineo-vittato* constructi, colorati & vestiti, sed tarsi antici in ♂ valde graciles, subtus tantum parce pallide barbati. Tarsorum omnium articuli 2 ultimi in utroque sexu sæpe obscure brunnei. Thorax halterumque clava in ♂ vivo virescenti-flava.

12. *Chir. aprilinus:* thoracis dorso flavo, vittis 3 nigris; antennis brunneis; pectore, metathorace abdomineque nigris, hujus incisuris albidis; alis albis, puncto nigro; pedibus flavis articulatione nigra; tarsorum anti-

corum articulo 2:do 3:tio nonnihil longiore; maris tarsis anticis barbatis. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 2½ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 245. ♂♀. Macqv. Buff. 1. p. 50. 9. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 563. 10. ♂♀. — *Chir. tarsatus* Fries Tipular. Svec. 1826. Manuscr.

Hab. in graminosis & pratis mari alluentibus, per Scandinaviam meridionalem & Sveciæ mediæ partem insularem, a medio mensis Maji, sub tota æstate usque ad finem Septembris, vulgaris, in copula quoque deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Björnstorp, Kjeflinge, Lomma, Malmö, Limhamn, Skanör, Östratorp, Esperöd, Kivik, &c., sat copiose; in Ostrogothia ad Wadstena prope lacum Wettern non raro; in Gottlandia ad Öja, Nähr, Kyllej, Östergarn, Furillen, Malms, &c. ubique frequens; in Dania circa Hafniam non parce, D. *Stæger*, qui etiam specimina utriusque sexus mecum communicavit. (In hortis Gryphicis & ad Elisenheyne prope Gryphiam mares mense Sept. non raro legit D. *Dahlbom*).

♂♀. A *Ch. ripario* thorace flavo, nec cano, a *ferrugineo-vittato* & *flaveolo* colore obscuriore, & ab his omnibus tarsis anticis maris barbatis, nec nudis, aperte differt; a *Ch. annulario* (n:o 4), cui etiam accedit, magnitudine minore & thoracis colore alio recedit. Caput cum palpis fuscum l. fusco-testaceum. Antennæ brunneæ, basi in ♀ sæpe pallescentes, pluma in ♂ brunnea. Oculi in vivo ænescentes. Thorax dorso flavus, vittis 3 majusculis, media (præcipue in ♀) geminata, lineolaque tenuissima ante scutellum, nigris. Scutellum flavum. Pectus & sternum nigro-cinerea. Pleuræ in ♀ plerumque ferrugineæ. Metathorax niger. Abdomen in ♂ elongatum, gracile, cinereo-pilosulum, nigrum, segmentorum mar-

gine apicali non late albido l. glauco, segmentis 3 ultimis subdepressis, supra cinereo-micantibus, appendicibus analibus parvis, fuscis; in ♀ anguste lanceolatum, pallide pubescens, nigro-brunneum, segmentorum anticorum margine apicali latius, posticorum anguste, albido l. flavido. Alæ albidæ, puncto medio nigricante, nervis subcostalibus subfuscis. Halteres albi, in vivo subvirescentes. Pedes flavi, femorum, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice brunneo, articulis tarsorum 1 vel 2 ultimis, imprimis in ♀, sæpe obscuris; posteriores in ♂ pilosuli, in ♀ pubescentes, antici in utroque sexu subnudi, tarsis in ♂ pallide barbatis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo (fere dimidio) longior, reliqui sensim longitudine descrescentes.

Obs. Thorax maris postice sæpe canescens, quem Dominus *Stæger* l. c. varietatem *Chir tentantis* esse autumat.

13. *Chir. venustus:* flavo-viridis (in vivo), thoracis vittis dorsalibus 3 nigro-castaneis; antennis brunneis; sterno metathoraceque cinerascenti-nigris: abdominis dorso maculis majusculis fuscis (♂), aut fusco, segmentorum margine apicali virescente; alis albis, nervis pallidis, puncto medio fusco obsoleto; pedibus pallide virescentibus, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigricante; maris tarsis anticis imberbibus. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 2½ lin.).

Fries, Tipular. Svec. manuscr. Lund. 1826. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 562. 8. ♂♀.

Hab. in primis ad litora marina a mense Majo usque ad Septembrem, per Scandinaviam meridionalem & mediam, sat vulgaris, in copula etiam observatus; scilicet in Scania ad Lund, Lomma &c. non raro; in Ostrogothia ad lacum Wettern; in Gottlandia ad Hoburg, Öja &c. frequens; in insula Klasen (Babusiæ?) in paludosis 9 Jul.

in copula copiose, *Fries*; in Jemtlandia boreali ad Skalstugan feminæ plures lectæ; in Norwegia ad Östre-Näs parce; in Dania & ad aqvas & in domibus sat frequens, D. *Stæger*, qui specimina ex utroque sexu misit. (E Finlandia a D. *Sahlberg* obtinui. Ad Neuenkirchen & Gryphiam, nec non ad Rixdorff & Moabite prope Berolinum, Maj.—Jul. 1842, D. *Dahlbom*. E Melita ♂♀ a Doct. *Delicata* 1846 communicati).

♂♀. Similis priori, sed colore paullo lætiori, alarum nervis etiam subcostalibus nonnihil pallidioribus, puncto medio fusco obsoletiori, ut & tarsis anticis in mare nudis, statim dignoscitur. A *Ch. ferrugineo-vittato* & *flaveolo* tarsis anticis in ♂ nudis, & thoracis vittis dorsalibus in utroque sexu obscurioribus differt. Caput cum palpis fuscum. Antennæ maris brunneæ, pluma dilutiori, feminæ flavæ, apice brunneo. Thorax in vivo flavo-viridis, in exsiccato flavus, vittis 3 liberis, modice magnis, nigricantibus l. obscure castaneis, media gemina. Striola ante scutellum obscura. Scutellum etiam in mortuo plerumque virescens. Pleuræ ferrugineæ, sterno nigricante. Abdomen ut in priori constructum & vestitum, in ♂ pallidum, segmentis 1:mo subimmaculato, 2, 3, 4 & 5 supra macula basali magna fusca, reliqvis 3 apicalibus obscuris dorso albomicantibus; in ♀ sæpissime totum fuscum, segmentorum margine apicali viridi l. flavo. Alæ albæ, nervis concoloribus, costalibus flavidis, puncto medio fusco obsoleto. Halteres pallide l. in vivo virescentes. Pedes flavi, femoribus in vivo pallide virescentes. Tibiarum tarsorumque articulorum summus apex brunneus. Pedes posteriores in ♂ pallide pilosuli, in ♀ pubescentes, antici in utroque sexu toti nudi, tarsis gracilibus. — Variat genubus anticis brunnescentibus. — Cfr. *Chir. nigroviridis* n:o 48.

Obs. *Chiron. venustus* Wiedm. Aussereurop. Zweifl. Ins. Hammonæ 1828. 1. p. 547. 8. ♂, est alia species in China habitans.

14. *Chir. cingulatus:* thorace sulphureo, vittis dorsalibus 3 fuscis; antennis flavidis; sterno metathoraceque cinerascenti-nigris; abdomine nigro, segmentorum margine apicali pallido; alis albidis, nervis pallidis, puncto medio fusco obsoleto; pedibus flavis, geniculis, tibiarum apice tarsorumque articulatione nigricantibus; maris tarsis anticis imberbibus. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 245. 77. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 49. 8. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 563. 9. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media passim, mihi Julio & Augusto, *Stægero* vero tempore vernali & autumnali obvius; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby frequenter; in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Dania non raro, D. *Stæger.*

♂♀. Præcedenti valde affinis & similis, sed colore pallido magis in sulphureum quam in virescentem vergente, antennis flavidis, abdominis pictura obscura (in ♂) cingulos, nec maculas dorsales, formante, differre videtur. Reliqua ut in *Chir. venusto.*

15. *Chir. nemoralis:* cinereus, thoracis vittis dorsalibus 3 nigris; antennis brunnescentibus; abdomine nigro, incisuris glaucis; alis albis, nervis subcostalibus fuscis, puncto medio nigro; pedibus piceis l. flavidis, articulatione obscuriore; maris tarsis anticis modice barbatis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in silvis & nemoribus Scandinaviæ minus frequens; scilicet in Scania ad Lindholmen 10 Jul. 1838 ♀ semel; sed in Norwegia magis boreali ut ad Alstahaug prope Levanger in paroecia Skogn d. 8—10 Jul. 1840 copiose vidi, & 16 paria in copula juncta depre-

bendi. (Ad Trawemünde & Neuenkirchen prope Gryphiam 15—20 Maj. 1842 utrumque sexum invenit D. *Dahlbom).*

♂♀. *Ch. annulario* n:o 4 accedit, sed magnitudine plus duplo minori & alarum puncto nigro distinctiori differt; similis etiam *Ch. ripario* (7) & *lugubri* (8), magnitudine vero nonnihil minori, alarum litura nigra paullo perspicuiori ut & tarsis maris anticis barbatis, nec nudis, &c., abunde distinctus. Caput obscurum. Palpi fusci. Antennæ maris brunneæ, pluma concolore, articulo 1:mo pallido; feminæ pallidæ, articulatione brunnea, apice brunnescentes. Thorax cinereus l. canescens, vittis 3 & linea ante scutellum obscuris. Scutellum & metathorax cinerea. Abdomen nigrum, segmentorum margine apicali anguste albido l. glauco; in ♂ valde angustum, pilosum, segmentis 3 ultimis depressiusculis, supra (in illæso) cinerascenti-micantibus, appendicibus caudalibus parvis fuscis; in ♀ lanceolatum, pubescens. Alæ albæ, puncto medio (flexura nervi longitudinalis) nigricante. Halteres albi. Pedes in ♂ plerumque brunnei l. picei, articulatione obscuriore, posteriores pilosi, antici nudiusculi tarsis tenuibus, ut in *C aprilino* constructis, non longe neque dense barbatis; in ♀ sæpissime flavescentes l. testacei, genibus, & tibiarum tarsorumque articulorum apice anguste brunneis, posteriores pubescentes, antici subnudi.

16. *Chir. capucinus:* niger, antennis pedibusque concoloribus; thorace argenteo-micante, disco dorsali atro; alis albis, puncto medio nigro; maris tarsis anticis imberbibus. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi, D. Doct. *Andersson*, qui tria specimina mascula 1843 mecum communicavit.

♂. Magnitudine parva, thorace argenteo dorso atro, pedibus nigris, &c., ab antecedentibus dignotus. Antennæ breviusculæ

cum pluma, & palpi, nigra. Thoracis humeri & posticum argenteo-micantia, vittis dorsalibus 3 subconfluentibus (an detritis) plagam majusculam atram formantibus. Pleuræ argenteo-micantes. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen atrum, nigro-pilosum, ano crassiusculo, appendiculis ovalibus. Alæ albæ, nervis subcostalibus fuscis & puncto medio parvo nigro, lineola basali abbreviata obscura. Halteres albidi. Pedes toti nigri, posteriores breviter nigro-pubescentes, antici subnudi. Tarsi antici proportione modice graciles, imberbes, articulis 1:mo tibia longiuscula fere dimidio vel $\frac{1}{3}$ breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus. Variat junior: thorace fusco, pedibus pallidis, alarum puncto medio parum conspicuo.

17. *Chir. Alpicola:* nigra, antennis femoribusque concoloribus; tibiis tarsisque piceis; alis albis, puncto medio nigro; maris tarsis anticis subimberbibus. ♂♀ (Long. ♂ $1\frac{1}{3}-1\frac{1}{2}$, ♀ $1-1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali, ubi ad radicem alpis Åreskutan 6 mares & 4 feminas 24 Jun. 2 Aug. 1840 inveni; feminam etiam ad regionem nivalem in cacumine alpis ejusdem (circit. 3500 ped. supra mare elavato) inveni.

♂♀. Magnitudine parva & colore corporis partiumque nigro, a prioribus distinctus. Caput cum antennis & palpis nigrum. Thorax niger, subnitens, antice margine laterali anguste albido (♂), aut pallido (♀). Pleuræ obscure schistaceæ. Scutellum & metathorax nigricantia. Abdomen nigrum, immaculatum, opacum, nigro-pubescens, in ♂ tenue, cauda parva, in ♀ paullo crassius & brevius. Alæ albæ, puncto medio (flexura nervi longitudinalis) obscuro, nervis costalibus præcipue in ♀ fuscis. Halteres albi. Pedes subnudi, femoribus nigris l. nigro-piceis, tibiis tarsisque piceis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo brevior, reliqui longitudine sensim decrescentes. Tarsi antici graciles, nudi, aut in ♂ tan-

tum breviter puberuli. — Variat ♀ thorace flavicante; vittis dorsalibus 3 nigris; forte junior.

Obs. 1. *Chir. glabricollis* & *perennis* Meig. Dipt. 6. p. 248—249. n:o 89. ♂♀ & 92 ♂. a nostro *Ch. Alpicola* non multum abludere videntur.

Obs. 2. *Chir. Histrio* (seu *stictieus*) & *pictulus*, alis albis, puncto unico nigro, sed pedum posteriorum femoribus ante apicem annulo unico, tibiisque annulis duobus albis instructi, sub n:ris 72 & 73 inveniendi.

**. alis punctis pluribus.

18. *Chir. scalænus:* nigricans; antennis brunneis; alis albis, maculis tribus dilute fuscis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Schrank Fn. Boica. 3. 2324. Meig. Dipt. 1. p. 54. g). — & 6. p. 254. 107. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 55. 37. ♂♀. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 571. 42.

Hab. in Scand. rarius; in Ostrogothia ad Wadstena utrumque sexum d. 4 Aug. 1827 inveni; in Seelandia Daniæ 1838, D. *Schiödte*, teste D. *Stæger*.

♂♀. Alarum pictura speciem exiguam mox designat. Antennæ brunneæ. Thorax brunnescens. Abdomen in ♂ nigricans, basi fuscum, totum tenue, griseo-hirtum; in ♀ nigrum, lanceolatum, pubescens. Alæ lacteæ, nervis albis. Punctum solitum centrale nigricans deest, sed alæ punctis tribus aliis brunneis (in nostris speciminibus flavidis) ornantur, quorum 1:mum prope basin alæ ad marginem interiorem, parvum, rotundatum, 2:dum in medio alæ etiam ad marginem interiorem, modice magnum, perpendiculariter ovatum, & 3:tium ad marginem costalem præcise supra 2:dum positum, majusculum, rotundum. Hæ maculæ in ♂ magis obsoletæ, in ♀ perspicuiores. Halteres albi. Pedes toti pallide flavi, posteriores præsertim in ♂ pubescentes, maris tarsis anticis in nostro exemplo abscissis.

Obs. *Chir. lætus* Meig. Dipt. 1. 38. 39. ♀. huic similis videtur, sed magnitudine paullo majore, alarum punctis pluribus & obscurioribus &c., sine dubio distinctus, in Scandinavia hactenus non observatus.

††. Alæ vittatæ aut fasciatæ. (*Chir. nubeculosus* alis nebulosis, halteribus fuscis sub n:o 94 quærendus).

19. *Chir. rufipes:* niger nitidus; antennis dilute fuscis; alis albo hyalinis, basi flavidis, vitta costali media brunnea; pedibus fulvo-flavis, tarsis apice fuscis; *mas:* abdominis cingulis 3 flavis, tarsis anticis barbatis. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Fabr. Antl. 41. 15. Meig. Dipt. 1. 54. k). — & 6. p. 243. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 564. 11. ♂♀. *Tipula rufipes* Linn. Fn. Sv. p. 439. 1778. (in descriptione exstat: magnitudo Pulicis, pro: magnitudo Culicis). System. Nat. 2. 978. 56. *Chir. bifasciatus* Meig. Dipt. 1. 29. 19. ♂. Macqv. Buff. 1. 50. 30. (ubi ♂: "abdomine toto nigro", & ♀: "abdominis segmentis 1, 3 & 4 flavis", dicuntur, sed vice versa erit).

Hab. in graminosis, foliis Salicum &c., per Scandinaviam passim; mihi a medio Junii, sub Julio & Augusto usque ad medium Septembris obvius; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Fogelsång, Sjörup (*Möller*), Ausås &c., haud raro; in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Dalecarlia Australi ad diversorium Körsbyttan, non parce; in Bottnia boreali, 1843, D. *Andersson*; in Dania ad aqvas mense Aug. rarius, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam, Trawemündiam, Hamburgum & Stetinum Majo & Junio

1838 & 1842 in utroque sexu a D. *Dahlbom* deprehensus).

♂♀. Per picturam alarum ab aliis fascile dignotus. *Chir. annulario* n:o 4 parum minor. Antennæ maris brunneæ, pluma dilutiori, feminæ flavæ, apice brunneæ. Palpi fusci. Thorax, scutellum & metathorax nigra, nitida, regione humerali sæpe piceo-flava, & interdum etiam linea laterali ad radicem alarum extensa ejusdem coloris. Abdomen nigrum, opacum, pallide pubescens, in ♂ modice angustum, segmentis 1:mo toto, 3 & 4 margine apicali latissime (saltem $\frac{3}{4}$), & 5:to apice angustius, flavis, reliquis subdepressis, appendicibus ani parvis, fuscis; in ♀ paullo robustius, segmento 1:mo sordide flavo. Alæ albo-hyalinæ, basi circiter ad tertiam partem pallide flavæ; deinde incipit fascia sat lata, a costa & fere ad marginem interiorem dilatata, supra medium subinterrupta, parte ejus superiori seu costali saturate brunnea, inferiori dilutiori & versus marginem interiorem fere evanescente; pars illa superior fasciæ elongatur versus apicem alæ, ad apicem nervi longitud. 2:di desinens & tota inde vittam obscuram apice acutam ad costam format. Halteres albi. Pedes fulvescentes, flavo-puberuli, coxis brunneo-flavis, tibiarum apice summo, & tarsorum anticorum articulis 4 ultimis, posteriorumque articulis 2 apicalibus, fuscis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo, at articulo 2:do duplo longior, 2 & 3 subæque longi, 4 & 5 sensim breviores. Tarsi antici maris distincte fusco-barbati.

Var. b. ♂♀. Simillimus var. a. & differt tantum segmentis abdominis 1:mo toto, 3, 4 & 5 margine apicali ad dimidium segmenti in ♂ flavis, ut & in utroque sexu geniculis summis brunneis, & pictura alarum multo obsoletiori, vitta nempe costali dilute fusca & tantum vestigio fasciæ transversæ.

Chir. pulcher Zett. Ins. Lapp. 810. 6. ♂♀.

In Lapponiis Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Karesuando Aug. 1821 rarissime captus.

20. *Chir. gibbus:* flavo-viridis, thoracis vittis dorsalibus 3 flavo-ferrugineis; alis albis, fascia media fusca; pedibus pallide flavis, femoribus apice nigricantibus; maris tarsis anticis gracilibus, imberbibus. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Fabr. Antl. 41. 17. Panz, Fn. Germ. 109. 20 ♂. 21 ♀. Meig. Dipt. 1. 30. 20. ♂♀. Tab. 2. f. 6. ♂. Macqv. Buff. 1. 52. 20. ♂♀. *Tipula gibba* Fabr. Ent. Syst. 245. 4. 54. *Corethra* eadem Latr. Gen. 4. 247. *Tipula flexilis* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 2.? ♂. hujus varietas putatur (at corpus "nigricans" a *Linnæo* describitur). Geoffr. Ins. 2. 564. 22. ♀. videtur. Fabr. Ent. Syst. 4. 244.? *Chironomus* idem Fabr. Antl. 40. 10? Meig. Dipt. 1. 30. 21? ♀. — & 6. p. 243?

Hab. in foliis fruticum Salicis, Coryli. Betulæ &c., per hortos & nemora Sveciæ, Majo, Junio, Julio & ineunte Augusto, passim; scilicet in Scania ad Fogelsång, Esperöd (in paroecia Tranås), &c.; in Smolandia ad diversorium Traheryd *(Dahlbom)*; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Helsingia rarius; in Jemtlandia ad radicem Mulfjellet parce; in Dania forte etiam occurrit, licet ab Entomologis hactenus haud observatus. (Ex Hamburgo a beat. *von Winthem* in utroque sexu, & e Glogavia in speciminibus feminis a D. *Zeller*, mecum etiam communicatus).

♂♀. Colore corporis pallido & alarum fascia fusca ab aliis nostris diversus. Caput pallidum, sub thoracis antico valde protuberante fere occultatum. Oculi in exsiccato nigri. Antennæ maris brunneæ, pluma dilutiori, feminæ flavæ, apice brunneæ. Palpi fusci. Thorax opacus, supra pilosulus, totus flavo-virescens (in mortuo albo-flavus), dorso vittis 3 liberis ful-

vo-flavis, media postice abbreviata. Scutellum flavo-virescens l. flavum. Metathorax pallidus. macula gemina ferruginea l. brunnea. Abdomen flavo-virescens (in vivo) l. flavum (in mortuo); in ♂ angustum, pilosum, segmentis 3 ultimis paullulum latioribus, nigro-maculatis l. potius indeterminate nigro-striolatis, cauda parva fusca; in ♀ nonnihil crassius, pubescens, segmentis ultimis plerumque maculis l. punctis nigris notatis. Alæ albæ, nervis costalibus fuscis; in medio fascia latiuscula integra fusca, ad marginem interiorem versus radicem alæ paullo dilatata. nervos furcatos basi transiens, eosque infuscans. Halteres albi. Pedes pallide flavi, apice femorum anticorum late, posteriorumque angustius obscure brunneo, tibiis posticis sæpe totis etiam obscure brunneis; posteriores pilosi, antici subnudi. Tarsi omnes in utroque sexu albi; antici elongati valde graciles, articulo 1:mo tibia paullo longiori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus, in ♂ nudi. — Variat rarius pedibus fere totis pallidis, femorum apice parum infuscato.

21. *Chir. fascipennis:* pallide flavus, thoracis vittis dorsalibus 3 saturate flavis; antennis flavidis; alis albidis, fasciis duabus fuscis obsoletis; pedibus albo-flavis, tibiarum summo apice nigro; maris tarsis anticis nudis. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 813. 21. ♂.

Hab. in Svecia boreali rarissime; in Bottnia boreali ad villam Johannis Ro prope Torneå 2 Sept. 1821 inventus.

♂. Priori simillimus. & differt tantum magnitudine nonnihil minore, pedibus immaculatis, & fasciis alarum duabus oblitteratis, nec unica distincta. Totus pallide flavus, haud nitidus. Antennarum rachis testacea, pluma sordide flavida. Palpi fusci. Oculi nigri. Thorax dorso vittis 3 flavis. Alæ albidæ, vittis 2 modice latis, una in medio, basin nervorum furcatorum transeunte eosque nonnihil infuscante, altera ad apicem; ambabus valde obsoletis. Ad basin alæ striga fusca. Pedes

ut in præcedente constructi & pilosi, albidi, femorum apice flavo. Tibiæ posteriores summo apice nigro. Tarsi antici elongati, valde graciles, nudi.

†††. Alæ immaculatæ (punctis, vittis l. fasciis nullis notatæ).

22. *Chir. dispar:* niger, nitidus; antennis nigricantibus (♂), aut flavis apice brunneis (♀); alis in utroque sexu cinereis; pedibus flavis, tarsis anticis fuscis; *mas:* abdomine maculis lateralibus rufis, tarsis anticis modice fusco-barbatis. ♂♀. (Long. ♂ saltem $3\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 247. 85. ♂♀. certe. — (*Chir. dispar.* Stæg. Dipt. Dan. p. 569. 36. forte huc non pertinet). *Chir. flavipes* Fries Manuscr. 1826. ♂. *Chir. straminipes* Zett. Ins. Lapp. 810. 4. ex parte, nempe specimina Scanica & Gottlandica.

Hab. in pratis humidis & paludosis Jun. Jul. & Aug. minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd in paroecia Tranås, ad Ausås, &c.; in Gottlandia ad Martebo (in Martebo-Myr), *Fries* & ipse; in Uplandia ad Holmiam? (sub nomine *C. straminipes*), Prof. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam, D. *Dahlbom;* in Norwegia ad Smölen 9 Aug. ♀, D. *Siebke.* (Ex Hamburgo exempla typica in utroque sexu a beat. *v. Winthem;* e Neuenkirchen prope Gryphiam 20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom*, & e Finlandia a Prof. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Color corporis niger nitidus, & maris abdominis pictura, & tarsi antici mediocriter barbati speciem ab affinibus distingvunt. Caput nigrum. Palpi fusci. Thorax nudus, niger, nitidus, antice productus, linea laterali interdum picea. Metathorax niger nitidus. Abdomen nitens. Alæ albido-hyalinæ,

immaculatæ. Halteres albidi, petiolo parum infuscato. Pedes flavi, coxis plus minus piceis. Tibiæ antice apice distincte fuscæ l. nigricantes. Tarsi omnes articulis apice anguste brunnescentibus, 1 vel 2 ultimis sæpe totis brunneis; antici interdum etiam toti fusci. Horum articuli 1:mus tibia paullulum, at 2:do fere duplo longior, 2:dus 3:tio paullo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Mas: Antennæ cum pluma nigricantes. Abdomen elongatum, angustum, pilosum, nigrum, maculis lateralibus utrinque 8 flavo-rufis, quæ interdum cum opposita cingulos totidem flavo-rufos formant, dorso per lineam nigram tantum anguste interruptos. Segmenta 3 ultima nonnihil latiora & subdepressa. Appendices caudales 4, exteriores 2 longiores (longitudine segmenti ultimi), cylindricæ, incurvæ, interiores 2 breves, filiformes, omnes obscuræ l. nigricantes, pilosulæ. Pedes posteriores pallide pilosi, antici subnudi, horum tarsis tantum modice longe & modice dense griseo-barbatis.

Fem.: Antennæ flavæ, apice brunneæ. Abdomen crassiusculum, distincte fusco- vel griseo-pubescens, nigro-brunneum, immaculatum. Pedes posteriores pallide pubescentes, antici subnudi.

Obs. Cum Cel. *Stæger* suo *Ch. dispari* neque diagnosin. neque descriptionem allegavit, sed tantum nudum synonymon Meig. attulit, dubium de identitate Meigeni & Stægeri speciei tanto majus exstat, quanto individua mascula, quæ D. *Stæger* sub nomine "*dispar* Meig." mecum communicavit, paullo minora sunt & abdomen nigrum fere immaculatum atque tarsos anticos subnudos l. tantum pubescentes habent, ideoque ab exemplis meis & Winthemianis typicis mihi missis graviter discrepant. Specimina Stægeriana communicata potius ad *Chir. lucidum* nob. (n:o 25) referenda possent.

23. *Chir. straminipes:* niger, subopacus, thorace cinerascente atro-vittato (♂), aut pallescente nigro-vittato (♀); antennis obscure brunneis (♂), aut testaceis (♀); alis in utroque sexu albis; pedibus flavis, articulatione

nigra; maris tarsis anticis sat longe & dense pallide barbatis. ♂♀. (Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 810. 4. ♂♀, ex parte, nempe specimina Lapponica; exclusis synonymis.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ripa lacus insignis Torneåträsk d. 10 Jul. 1821 in copula inveni, & ad Wittangi unicum marem d. 12 Jun. deprehendi.

♂♀. A priori, cui similis, differt maris thorace opaco e cano micante, atro-vittato, abdomine toto opaco nigro immaculato, tarsis anticis longius densiusque barbatis, feminæ thorace carneo nigro-vittato & utriusque sexus alis albidioribus; sæpissime etiam paullo minor. *Mas:* caput nigrum. Antennæ cum pluma nigro-brunneæ. Thorax opacus, cinereus; vittis dorsalibus 3 majusculis, nigris. Pleuræ schistaceæ. Scutellum carneum. Metathorax niger, opacus. Abdomen lineare, atrum, griseo-pilosum, segmentis ultimis subdepressis. Appendices caudales nigræ. Alæ lacteæ, immaculatæ, nervis albis. Halterum clava albida, petiolus nigricans. Pedes pallide flavi, coxis nigris, geniculis summis, tibiarum tarsorumque articulorum apice summo etiam brunneo-nigris; tarsorum articulo ultimo fere toto fusco. Tarsi antici distincte barbati, ut in priori constructi.

Fem.: antennæ testaceæ, apice brunneæ. Thorax ferrugineo-testaceus l. carneus, nitens, dorso vittis 3 nigris. Sternum nigricans. Alæ ut in ♂. Pedes etiam ut in illo colorati, sed coxis brunneis; posteriores parum pubescentes, antici toti nudi. Reliqua ut in ♂.

24. *Chir. coracinus:* niger, subopacus, thorace nigro-cinerascente, atro-vittato; antennis nigro-brunneis; alis albis; pedibus obscure brunneis; maris tarsis anticis distincte fusco-barbatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime, ad diversorium Skalstugan Jul. 1840 semel captus.

♂. Similis *Ch. lugubri* (n:o 8), sed alis impunctatis, tarsis anticis barbatis, &c., diversus. Caput cum palpis nigrum. Antennæ cum pluma nigricantes. Thorax obscure schistaceus, parum nitens, dorso vittis 3 nigris. Scutellum & metathorax nigricantia. Abdomen gracile, atrum, immaculatum, griseo-pilosum, segmentis 3 ultimis leniter latioribus. Appendices ani parvæ, obscuræ. Alæ albæ, strigula baseos nigra. Halteres albi. Pedes toti obscure brunnei vel obscure picei, posteriores pilosi, antici femoribus tibiisque nudi. Tarsi antici modice (non valde) angusti & modice longi, horum articulus 1:mus tibiæ subæqvalis l. fere brevior, at 2:do fere duplo longior; reliqui longitudine sensim decrescentes; articuli 1:mus fere totus (basi tantum nudus), 2 & 3 toti sat dense & distincte fusco-barbati.

25. *Chir. lucidus:* niger, nitidus; antennis obscure brunneis (♂), aut flavidis apice brunneis (♀); alis albis; pedibus fuscis, aut flavidis; maris tarsis anticis subpubescentibus. ♂♀. (Long. ♂ 2—2⅓, ♀ 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 1837. 810. 5. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, boreali minus frequenter, mihi Jun. Jul. obvius, in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund & Kjellby ♂ ter captus; in Jemtlandia ad Åreskutan parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Stensele rarius.

♂♀. Colore nigro, lucido, & maris tarsis anticis subnudis l. breviter tantum puberulis, ab affinibus dignoscitur. *Mas:* caput nigrum. Antennæ nigræ, apice obscure brunneæ. Palpi obscuri. Thorax niger, valde nitidus. Scutellum nigricans. Metathorax niger. Abdomen angustum, atrum, nitens, griseo-pilosum, segmentis ultimis leniter latioribus, appendicibus ani minusculis nigris. Alæ albæ, omnino immaculatæ, ne quidem vestigio puncti medii, sed strigula baseos fusca. Halteres albi. Pedes plerumque brunnei, interdum lividi l. testacei, & tunc

articulatione anguste fusca. Coxæ fere semper nigricantes; posteriores pilosuli, antici femoribus tibiisque nudis. Tarsi antici subimberbes vel tantum tenuiter & breviter pubescentes (in individuis Scanicis nudi); horum articulus 1:mus tibia paullo, & articulo 2:do saltem dimidio (fere duplo) longior, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

Fem. mari similis, differt: antennis testaceis apice brunneis, thorace lateribus carneo l. brunneo, unde vittæ dorsales magis perspicuæ, abdomine crassiore, brunnescente, puberulo, pedibus paullo pallidioribus, & denique tarsis anticis nudis.

Obs. 1. Specimina mascula e Dania a D. *Stæger* sub nomine "*Chir. dispar* Meig." missa a *nostro lucido* non differunt, nisi abdomine nonnihil longiore, lateribus in medio punctis minutis rufis ornato, & tarsis anticis forte minus puberulis. Vix diversi habendi.

Obs. 2. *Chir. lucidus* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 579. 66. femoribus nigris, halteribus brunneis &c. alia omnino est species, *Chir. lucens* (n:o 102) in nostro libro appellata.

26. *Chir. olivaceus:* nigro-viridis, nitidus, thoracis dorso nigro-vittato; antennis brunneis; abdomine olivaceo, rufo-villoso; alis grisescentibus; pedibus rufis, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 29. 18. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 51. 17. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 564. 14. ♂♀.

Hab. in Dania raro, teste D. *Stæger* (l. c.); mihi in Scandinavia non obvius, atque etiam ignotus, nisi nostrum *C. productum* provocare vellem.

♂♀. Similis sequenti (affirmante *Macquart*). Palpi brunnei. Thorax antice productus, caput tegens; nitidus, obscure viridis, vittis dorsalibus nigris. Pectus nigrum, cinereo-micans. Abdomen olivaceum. Alæ grisescentes, nervis costalibus & lineola media brunneis. Pedes ferruginei, coxis dilutioribus, tarsis nigro-brunneis. Tibiæ, imprimis anticæ sæpe etiam brun-

nescentes. — Feminæ thorax sæpe magis flavescens, hinc vittæ dorsales nigræ magis conspicuæ. Pedes in ♀ quoque dilutius flavi.

Obs. *Meigen* de tarsorum anticorum in ♂ vestitu omnino silet, & Cel. *Stæger* neque diagnosin, neque descriptionem pro sua specie attulit, unde pro certo dijudicare non possum, an noster *C. productus* (n:o 28) sub *C. olivaceo* militet, aut distinctam speciem efficere debeat.

27. *Chir. Chloris:* thorace nigricante (♂), aut flavicante (♀), vittis dorsalibus 3 in utroqe sexu nigris; antennis sub-brunneis; abdomine olivaceo, apice nigricante (♂), aut obscure olivaceo, incisuris tenuiter pallescentibus (♀); pedibus rufescentibus (♂), aut flavescentibus (♀); maris tarsis anticis subnudis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 28. 17. ♂♀. Macqv. Buff. I. 51. 15. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840 p. 564. 13. ♂♀.

Hab. in Scandinavia Majo Augusto passim, in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund (15 Maj. in copula captus); in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan (24 Jun. 1840 ♀); in Lapponia Umensi ad Stensele 5 Jul. 1832. ♂; e Dania in utroque sexu ad D. *Stæger* communicatus.

♂♀. Tarsi antici nudiusculi in ♂, & abdomen olivaceum apice nigricans in utroque sexu, speciem ab affinibus præprimis designant. *Mas:* caput nigricans. Antennæ brunneæ, pluma apice dilutiori. Palpi fusci. Thorax nigricans, subnitidus, dorso vittis 3 nigris. Pectus obscure schistaceum. Scutellum & metathorax nigricantia. Abdomen tenue, subfiliforme, griseohirtum, segmentis 5 (nec tantum 4) primis obscure l. fuscoolivaceis (in exsiccato sæpe virescenti-lividis), tribus ultimis

leniter dilatatis, subdepressis, nigris, appendicibus caudalibus parvis filiformibus nigris. Alæ albæ, impunctatæ, nervis ad costam dilute subtestaceis. Halteres albi. Pedes ferrugineo-flavidi, anticorum femoribus extus & sæpe etiam tibiis brunnescentibus, omnium coxis, tibiarum summo apice, tarsorumque articulo ultimo fuscis; posteriores 4 griseo-pilosi, antici nudi, horum tarsis parce subpilosulis (nes distincte barbatis), articulis 1:mo tibia nonnihil longiori, at quam 2:do duplo longiori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

Femina: antennæ flavæ, articulo ultimo brunneo. Palpi fusci. Thorax dorso pallescens, vittis 3 nigris. Pectus schistaceum. Scutellum pallescens. Metathorax niger. Abdomen paullo crassius, griseo-pubescens, segmentis 2 l. 3 basalibus fusco-olivaceis vel fusco-lividis, reliqvis nigris, incisuris plerumque anguste flavidis. Pedes flavi, coxis, geniculis, & tibiarum tarsorumque articolorum summo apice, brunneis; posteriores breviter puberuli, antici nudi. Cetera ut in ♂.

28. *Chir. productus:* nigro-fuscus, subnitidus, thorace fusco (♂), aut flavicante (♀), dorso in utroque sexu nigro-trivittato; antennis brunneis; abdominis incisuris tenuissime cinereis; alis albis; pedibus subflavidis, geniculis tibiarumque summo apice nigris; maris tarsis anticis modice barbatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Fries, Tipular. Svec. manuscr. 1826. Zett. Ins. Lapp. 811. 9. (Vix *C. olivaceus* Meig. 1. 29. 18).

Hab. in Svecia passim, in Lapponia rarius; scilicet in Scania ad Lund &c. verno tempore frequenter, etiam in copula observatus; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Jemtlandia ad Åreskutan 24 Jun. 1840 parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; ♀ in Norwegia ad Smölen 9 Aug. capta, a D. *Siebke* communicata.

♂♀. Similis priori, sed paullo minor. & maris tarsis anticis paullo magis pilosis distinctus. Thorax antice productus. Abdomen fuscum aut nigro-fuscum, incisuris anguste, plus minus conspicue, cinereis. Alæ albæ, impunctatæ, nervis ad costam parum testaceis. Halteres albi. Pedes aut flavi (♀), aut fusco-testacei (♂). Genicula & tibiarum summus apex obscura. Tarsi apice sæpe fusci.

Mas: caput obscurum, antennarum pluma brunnea, apice dilutiori. Thorax fuscus l. fusco-testaceus, vittis 3 dorsalibus, pectore, scutello, metathoraceque nigris. Abdomen ut in priori, sed nonnihil obscurius. Pedes etiam ut in præcedente, sed tarsi antici paullo magis pilosi.

Fem.: antennæ flavidæ. Thorax flavicans, vittis dorsalibus 3, pectore, metathoraceque nigris. Scutellum flavidum. Abdomen paullo crassius, nigrum (in exsiccata), pubescens. Pedes flavi, articulatione nigra. Tarsi antici nudi. Reliqua ut in ♂.

Obs. A *Ch. olivaceo* Meig. coxis piceis, nec dilute rufis, nervis costalibus flavidis, nec brunneis, & puncti medii vix vestigio, nec strigula media brunnea, differre videtur.

29. *Chir. niveipes:* niger, opacus, thorace cinereo, vittis dorsalibus 3 nigricantibus; antennis obscuris; abdominis incisuris tenuissime cinereis; alis, scutello pedibusque albis, horum articulatione anguste nigra; maris tarsis anticis pilosulis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Norwegia boreali & litorali rarius; ad Alstahaug & Levanger in paroecia Skogn 6—8 Jul. 1840 specimina aliquot mascula inveni; feminam ad diversorium Rörsbyttan Dalecarliæ 31 Aug. 1840 legi.

♂♀. Per thoracem cinereum nigro-vittatum, scutellum pedesque alba, &c., ab affinibus dignotus, at vix ad *Chir. leucopum* Meig. Dipt. 6. 249. 93 referendus. *Mas:* caput nigricans. Antennæ cum pluma obscure brunneæ. Palpi obscuri. Thorax opacus, nudus, cinereus, dorso vittis 3 nigris. Pleuræ & pectus

schistacea. Scutellum albidum. Metathorax niger. Abdomen lineare, angustum, griseo-hirtum, nigrum, opacum, segmentorum margine apicali tenuissime albido. Segmenta tria ultima nonnihil latiora, subdepressa. Appendices caudales breves, filiformes, fuscæ. Alæ albæ, puncto medio fusco nullo. Halteres albi. Pedes albi, coxis posterioribus obscuris. Genicula summa nigra. Tibiarum tarsorumque summus apex etiam niger. Pedes 4 posteriores pallide hirti; antici nudi; horum tarsi parce & tenuiter pilosi; articulus tarsorum 1:mus tibia paullo (circiter $\frac{1}{4}$), at articulo 2:do duplo longior; 2:dus & 3:tius æque longi, reliqui longitudine sensim decrescentes. — *Femina* mari similis, abdomine crassiore.

30. *Chir. pubitarsis:* nigricans, subopacus, thoracis vittis dorsalibus 3 nigris; antennis obscuris: alis albis; pedibus fusco-testaceis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia fere breviore; maris tarsis anticis distincte barbatis & cauda parva, appendiculis subfoliaceis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{3}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 811. 11. ♂♀. (specim. masculum paullo detritum)

Hab. in Svecia boreali & Lapponia rarius; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan d. 24 Jun. 1840 quatuor mares deprehendi; in Lapponia Tornensi 1821: unicam feminam in Salice ad Junosuando 9 Jun., unicumque marem in ripa fluminis Tornensis ad Wittangi (in societate cum *Ch. Rosenschöldi* n:o 9) die 14 Jun. inveni.

♂♀. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia fere brevior in utroque sexu, ♂ caudæ appendices subovatæ, atque tarsi antici dense & distincte barbati in mare, speciem denotant. Caput cum antennarum pluma in ♂, & palpis, nigricans. Thorax nigricans l. obscure cinereus, subopacus, vittis nigris.

Scutellum & metathorax nigricantia. Abdomen maris valde angustum, lineare, subopacum, nigrum, fusco-pilosum, incisuris tenuiter lividis, subnitidis, appendiculis analibus brevibus subovatis nigris; feminæ crassiusculum, nigricans, pubescens. Pedes in ♂ fusco-testacei, posteriores pilosuli; antici: femoribus tibiisque nudis, tarsis sat distincte & dense fusco-barbatis; in ♀ pallidiores, articulatione anguste nigricante. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibiæ subæque longus, at 2:do fere dimidio longior, reliqui longitudine sensim breviores.

31. *Chir. pullus:* nigricans, parum nitidus, thorace subcinerascente, vittis dorsalibus 3 nigris; antennis fuscis, apice dilutioribus; alis albis; pedibus pallide flavis, articulatione anguste nigra, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia longiore; maris tarsis anticis nudis, cauda parva, appendiculis brevibus filiformibus. ♂. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 811. 12. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina 21 Jul. 1832 detectus.

♂. Parvus. Nigricans. Antennæ brunneæ, pluma apice flavida, nitida. Abdomen tenue. Alæ albæ, puncto medio nullo, at strigula basali fusca. Halteres albi. Pedes læte flavi, coxis fuscis. In geniculis, & tibiarum tarsorumque articulorum apice punctum nigrum. Pedes posteriores pallide pubescentes, antici nudi. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes, omnes valde graciles. — Variat ♂, forte juvenilis, scutello & abdominis maculis pallescentibus; ad Lycksele 4 Aug. semel.

Obs. In Töien prope Christianiam Norwegiæ mense Majo plura specimina mascula descripto similia, sed duplo majora, forte ad hunc referenda.

32. *Chir. sociellus:* niger, subnitidus, thorace concolore (♂), aut testaceo nigro-trivittato (♀); antennis fuscis; abdominis medio viridi-fusco; alis albis; pedibus flavo-albidis immaculatis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia longiore; maris tarsis anticis barbatis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 811. 13. ♂♀.

Hab. in Lapponia Majo, Jun. Jul. passim, etiam in copula deprehensus; scilicet in foliis Nymphææ &c. ad lacum Nordsjön in Lapponia Åselensi Jul. 1832 copiose, præsertim masculi; ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis unicum par 25 Jun. 1821 detegi, & in paludosis ad Karungi prope Torneå marem 27 Maj. ejusdem anni inveni.

♂♀. Caput obscurum. Antennæ brunneæ. Abdomen fusco-viride, basi apiceque nigricans. Alæ lacteæ, puncto medio fusco nullo. Halteres albi. Pedes flavi, subimmaculati, posteriores pallide hirsuti, antici nudi. Coxæ piceæ. Tarsorum anticorum articulus 1:mus, tibia circiter $\frac{1}{3}$, & articulo 2:do fere duplo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes. *Mas:* tarsis anticis modice pallide barbatis.

Obs. Descriptio hujus speciei, qualis supra sit data, confecta fuit secundum specimina nuper exclusa. In individuis adultioribus abdomen nigrum & pedes testacei l. fusci forsan evadunt. Thorax in ♂ interdum supra fusco-lividus, vittis 3 ordinariis nigris valde dilatatis dorsum fere totum occupantibus, qualis in exemplis Juckasjervensibus.

33. *Chir. frigidus:* niger, subopacus, thorace dorso, in ♂ nigro limbo testaceo vittis 3 discretis atris; antennis obscuris; alis albo-hyalinis; pedibus fuscis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia paullulum breviore; maris tarsis anticis nudiusculis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 812. 14. ♂♀. Stæg. Grönlands Antliater, in Kröjers Tidsskr. 1845. p. 351. 4? ♂.

Hab. in septentrione; typicus in Grönlandia observatus; varietatem masculam typico nonnihil minorem & appendicibus caudalibus parvis brevibus anguste ovalibus (non filiformibus) ad Mulfjellet Jemtlandiæ & Suul Norwegiæ 11—28 Jul. 1840 inveni.

♂♀. A *C. pubitarsi* (30), cui tarsorum anticorum constructione accedit, eorum nuditate recedit. Niger, glabriculus, parum nitidus. Antennæ brunneæ. Metathorax niger. Abdomen fusco-nigrum, subpubescens, segmentis 3 ultimis margine apicali pallidis. Alæ albidæ, puncto medio nigro nullo, at loco ejus nervulo obliquo leniter subfusco, nervis ad costam dilute fusco-testaceis. Halteres albi. Pedes pubescentes, coxis & femoribus brunneis l. piceis, tibiis tarsisque dilutioribus. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia fere $\frac{1}{4}$ brevior, at articulo 2:do fere duplo saltem dimidio longior, reliqui longitudine sensim decrescentes. *Mas:* thorax niger, limbo testaceo. Abdomen angustum. Tarsi antici nudi, vix visibiliter puberuli, saltem haud barbati. *Femina:* thorax flavidus, vittis dorsalibus 3 nigris. Pectus nigricans. Scutellum flavidum. Abdomen crassiusculum. Tarsi antici nudi.

Obs. Cel. *Stæger*, qui etiam e Grönlandia duos mares obtinuit, hos l. c. descripsit "tarsis anticis barba brevi, tenui", quod non obtinet in nostris individuis masculis sat bene conservatis & vix detritis, ubi tarsi nudiusculi sunt. Inde de identitate dubium.

34. *Chir. tenellus:* niger, nitidus, thorace concolore (♂), aut pallescente vittis 3 brunneis (♀); antennis flavescentibus; abdomine basi livido; alis albis; pedibus pallide flavis; maris tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia fere dimidio longiore, cauda parva, appendiculis brevibus subfiliformibus. ♂♀. (Longit. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 812. 15. ♂.

Hab. in Bottnia boreali rarissime, ad Kengis & Johannis Ro prope Torneå 22 Aug. & 2 Sept. 1821 bis deprehensus; in Jemtlandia ad radicem Mulfjellet 24—30 Jul. 1840 uterque sexus non parce; in Ostrogothia ad Wadstena unicum par quoque inventum.

♂♀. Niger, nitidus. Antennæ flavidæ, pluma maris concolore. Palpi flavescentes. Pectus schistaceum. Abdomen in ♂ subfiliforme, pilosum, nigrum, segmentis 1 & 2 fere totis, 3, 4 & 5 margine apicali fuscis, ultimis tribus nonnihil latioribus, subdilatatis, appendiculis caudalibus brevibus filiformibus pallidis; in ♀ crassiusculum, nigrum, pubescens, basi lividum. Alæ albæ, nervis concoloribus; totæ immaculatæ. Halteres albi. Pedes cum coxis pallide flavi, I. albidi, immaculati, posteriores pallide hirti, antici nudi; horum tarsorum articulus 1:mus tibia circiter dimidio, at articulo 2:do fere duplo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes. Variat ♂ abdomine basi indeterminate fusco. Thorax in ♀ interdum totus brunneus.

35. *Chir. brunnipes:* niger, subnitidus, thorace concolore (♂), aut flavo vittis 3 nigricantibus (♀); antennis pedibusque brunneis; alis albis; maris tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo longiore, cauda parva, appendiculis brevibus subfiliformibus. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime, scilicet ad radicem Åreskutan 24 Jun. 1840 ♂ in unico individuo, & uterque sexus in copula ad diversorium Faxelfven 23 Jun. ejusdem anni captus.

♂♀. Similis *Chir. pullo* (31), sed pedibus magis brunneis distinctus. *Mas:* subbrunnescenti-niger. Antennæ cum pluma obscure brunneæ. Abdomen valde angustum, lineare, hirtum.

Appendices caudales breves, subfiliformes, obscuræ. Alæ albæ, puncto medio omnino nullo. Halteres albi. Pedes brunnei, tarsis dilutioribus. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia circiter dimidio, sed articulo 2:do duplo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes; omnes graciles, nudi. *Femina:* thoracis dorsum flavum lineis 3 nigris. Abdomen crassiusculum, pubescens, absque appendiculis caudalibus. Cetera ut in ♂.

36. *Chir. variabilis:* nigricans (aut flavicans), thorace supra flavo, vittis 3 nigris l. fuscis l. castaneis; antennis obscuris; scutello pallido; ventre flavicante; alis albis; pedibus nudis testaceis l. fuscis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo breviore, cauda parva, appendiculis subovalibus. ♂♀. (Long. ♂ $1-1\frac{1}{4}$, raro $1\frac{1}{2}$, ♀ $1-1\frac{1}{3}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 571. 44. ♂♀. Var. a—g. Ejusdem Grönlands Antliater 1845. p. 351. 5. ♂♀. — Forte etiam Meigeni *C. sulphuricollis* 6. 246. 79. ♂♀, & *C. geniculatus* 6. 250. 95. ♀ sub hoc latent.

Hab. in Scandinavia meridionali & media passim copiose, in copula etiam pluries captus; scilicet in Scania ad Lund (in Salice Maj. Jun. & iterum ineunte Septembri) frequens; ad Scanör medio Augusti; ad Esperöd; in fenestris tempore verno sæpe obvius; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandiæ pratis & litoribus ex. gr. ad Kyllej, Hoburg, Stora & Lilla Carlsön, Fårön, & Öja, mense Julio abundans, præsertim mas; in Dania vulgaris; ex Hafnia sub nomine: "*C. geniculatus* Meig.? vel n. sp." specimina utriusque sexus olim communicata; in Töien Norwegiæ, D. *Siebke*, & ad Næs, ipse. (In

Rugia ad Stubbenkammer, & in Helgolandia a D. *Dahlbom* frequenter lectus).

♂♀. *Mas:* Antennæ cum pluma obscuræ. Caput nigricans. Palpi fusci. Thorax subopacus, flavus l. testaceus, vittis dorsalibus 3 nigris l. brunneis, plerumque discretis, interdum latioribus subconfluentibus, dorsum fere totum occupantibus, relicto limbo præsertim humerali pallescente. Pectus (sternum) semper nigricans l. schistaceum. Scutellum plus minusve flavidum. Metathorax niger. Abdomen augustum, hirtum, nigrum, ventre flvicante l. testaceo, post mortem sæpe nigricante. Cauda parva, nigra, appendiculis subfoliaceis l. anguste ovatis. Alæ albo- l. cinereo-hyalinæ, immaculatæ. Halteres pallide flavi. Pedes subnudi, brunnei, fusci aut testacei, femoribus versus apicem sæpe saturatioribus, coxis anticis flavis, tarsis præsertim anticis sæpe fuscis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{4}$ brevior, at articulo 2:do circiter $\frac{1}{3}$ longior, reliqui longitudine sensim decrescentes; omnes nudi. Variat magnitudine.

Femina mari similis, differt: antennarum radicula sæpe flava, thoracis vittis semper discretis, in dorso flavo sæpe magis perspicuis, abdomine crassiusculo, tantum puberulo, absque appendiculis caudalibus, ventre sæpissime magis conspicue flavo, alis cinereis, nervis ad costam subtestaceis, & tandem corpore plerumque nonnihil breviore.

Obs. Caveas ne hanc speciem cum *Ch. virescente* (60), *viridulo* (61) & *pusillo* (62), tarsorum anticorum structura distinctis, confundas.

37. *Chir. leucopogon:* ater, opacus, thorace concolore (♂), aut flavo vittis dorsalibus 3 atris (♀); antennis albo-plumatis (♂), aut flavis apice nigris (♀); alis lacteis; pedibus dilute fuscis, femoribus obscuris; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo breviore. ♂♀. (Long. circit. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipl. 1. 39. 42. ♂. Macqv. Buff. 1. 55. 38. ♂ (♀)?). Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 570. 36 ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 17.

Hab. in graminosis & libenter in sæpibus vivis Salicum, præsertim mense Majo, passim copiose; scilicet in Scania vulgaris, imprimis ♂ frequens; in Svecia superiore passim; in Norwegia ad Christianiam ♂ Jul. 1844, D. *Dahlbom*; e Dania, ubi in magna copia occurrat, a *Stæger* etiam missus.

♂♀. Corpus in ♂ aterrimum, in utroque sexu exiguum, & alæ lacteæ, speciem ab affinibus designant. *Mas:* aterrimus. Antennæ brunneæ, pluma præsertim apice albo-micante; articulo ultimo solito breviore. Alæ lacteæ, nervis albis. Halteres albi. Pedes nigricantes l. obscure brunnei, tibiis & tarsis pallidioribus, articulatione brunnea. *Femina* differt: antennis flavis apice nigris, thorace flavo nigro-vittato.

38. *Chir. sordidellus:* fuscus, thorace flavo, vittis dorsalibus 3 & sterno nigro-brunneis; antennis dilute fuscis; metathorace nigro; alis albo-hyalinis; scutello pedibusque nudis pallide flavis, tibiarum summo apice nigro; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo breviore. ♂. (Long. vix 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 814. 26. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, scilicet ad pagum Wilbelmina d. 15 Jul. 1832 in unico exemplo captus.

♂. Similis *Chir. viridi* & *viridulo*, colore dominante fuscescenti-flavo, nec viridi, distinctus. *Ch. variabili* (36) etiam valde affinis & similis, sed vix ejus varietas pallidior, nam magnitudine nonnihil majore, antennis dilutioribus &c. differt. Antennæ pluma pallide brunneo-micante. Oculi nigri. Palpi fu-

sco-testacei. Thorax flavus, villis 3 obscure brunneis. Sternum & metathorax nigra. Scutellum pallide flavum. Abdomen fuscum, pilosulum. Alæ albido-hyalinæ, omnino immaculatæ. Halteres flavi. Pedes pallide flavi, tibiarum summo apice nigro; nudi, posticorum tibiis tarsisque breviter pallide pilosulis.

39. *Chir. minutus:* nigricans; antennis fuscis; alis albo-hyalinis; pedibus dilute brunneis, tibiis tarsisque posterioribus pilosis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo breviore. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. longit. fere $\frac{1}{2}$ lin., alis albo-hyalinis, pedibus flavo-brunneis.

Var. b. ♂♀. longit. circit. $\frac{1}{3}$ lin., alis sublacteis, pedibus pallidis.

Hab. prope lacum Wettern ad Wadstena Ostrogothiæ 23 Aug. — 12 Sept. non parce, nec alibi a me observatus; var. a. & b. promiscue occurrunt.

♂♀. Corporis exilitas & color obscure brunneus, ut & pedum posteriorum pilositas speciem designant. *Chir. minutissimo* Meig. Dipt. 7. 8. 137: "atro; humeris basique abdominis flavis, pedibus albis; ♂, fere $\frac{1}{2}$ lin. longo"; accedere videtur, sed forte distinctus. Obscure brunneus, subnitens. Antennæ brunneæ, pluma maris concolore. Thorax in ♀ puncto humerali piceo. Alæ præsertim in ♀ albæ, omnino immaculatæ, nervis concoloribus. Halteres pallidi. Pedes flavescentes, femoribus brunneis; aut in var. b. toti pallidi. Tibiæ & tarsi posteriora præcipue in ♂ distincte pallide pilosa.

40. *Chir. atomarius:* fuscus, antennis brunneis; alis albis; pedibus flavescentibus, nudis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia fere duplo breviore. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali ad alpem Åreskutan, ubi 1—4 Aug. 1840 septem individua inveni.

♂. Similis *C. sordidello* (n:o 38), sed constanter saltem quadruplo minor, & tarsis anticis paullo aliter constructis diversus. Caput obscurum. Antennæ cum pluma brunneæ. Thorax fuscus, subnitens, dorso plerumque flavido l. testaceo, vittis 3 obscuris, sæpe subconfluentibus. Metathorax niger. Abdomen angustum, lineare, pubescens, fuscum, ventre plerumque dilutiore. Cauda minuta, appendiculis parum distinctis. Alæ cum nervis albæ, omnino immaculatæ. Halteres albi. Pedes flavescentes l. sordide albidi, nudi, tibiis tarsisque posterioribus brevissime tantum puberulis. Tibiæ tarsique antica valde gracilia, hi imberbes. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia elongata duplo brevior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Obs. Feminam mari descripto similem, sed antennis nigris, pedibus obscure brunneis, tarsis dilutioribus, abdomine crassiori, in Norwegia ad Christianiam D. *Siebke* legit, an hujus?

41. *Chir. albo-lineatus:* "ater, thorace lineis 2 albo-micantibus; antennis brunneis; alis albis; pedibus fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.)" Meig.

Meig. Dipt. 1. 39. 40. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 55. 36. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 35. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 16.

Hab. in Dania mense Junio rarius, teste D. *Stæger;* a me non visus. (In Germaniæ Salicetis verno tempore valde frequenter, *Meigen).*

"Antennæ maris brunneo-plumatæ. Ater. Abdomen atro-holosericeum. Alæ albæ, nervis ad costam brunnescentibus. Pedes obscure brunnei. Halteres palide flavi, clava brunnea". Meig. l. c.

42. *Chir. glabricollis:* "ater, nitidus; antennis brun-

neis; alis lacteis; pedibus fuscanis. ♂♀. (Long. 1 lin.)" Meig.

Meig. Dipt. 6. 248. 89. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 570. 37. ♂.

Hab. in Dania, ubi, affirmante D. *Stæger* l. c., semel inventus fuerit; mihi ignotus. (Secundum *Meigen* uterque sexus in Germania vere & autumno non rarus).

♂♀. "Antennæ nigræ, pluma in ♂ brunnea. Alæ & halteres lactea". Meig. l. c.

43. *Chir. perniger:* ater, nitidus; antennis nigris, pluma maris brunnea; alis cinereo-hyalinis; pedibus nudis, flavescentibus, geniculis summis tibiarumque summo apice nigris; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia duplo breviore, cauda parva, appendiculis brevibus subovalibus. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime, scilicet ad diversorium Skalstugan prope jugum alpinum 16 Jul. 1840 in unico exemplo a me detectus.

♂. Proxime antecedenti & sequenti sat affinis videtur, sed a *C. glabricolli* alis cinerascentibus, nec lacteis, a *C. vagante* magnitudine saltem duplo minore, & ab ambobus antennarum pluma nigra, nec brunnea, atque tandem loco natali alio, differt. Totus ater, nitidus. Antennarum pluma nigra, summo apice certo situ ex pallido micans. Palpi nigri. Thorax antice protuberans, caput subtegens. Abdomen angustum, puberulum. Appendices caudales parvæ, anguste ovales, obscuræ. Alæ cinereo-hyalinæ, parum albescentes. Halteres albi, petiolo fusco. Pedes nudi, sordide albido-testacei, femoribus pallide brunneo-testaceis, geniculis summis, tibiarum summo apice tarsorumque articulo ultimo nigro-brunneis. Metatarsus intermedius certo situ albo-micat. Tarsi antici omnino imber-

bes, horum articulus 1:mus tibia duplo brevior, reliqvi longitudine sensim decrescentes.

44. *Chir. vagans:* "ater, nitidus; antennis fuscis, pluma (♂) brunnea; alis hyalinis; pedibus lutescentibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)." Meig.

Meig. Dipt. 6. 249. 91. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 571. 41. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 26.

Hab. in Danorum Seelandia, D. *Schiödte* (1838), affirmante D. *Stæger* l. c.; a me neque captus neque visus. (In amentis Salicis jam mense Martio in Austria a D. *Scheffer* observatus).

♂. "Ater, thorace nitido. Antennarum pluma in mare brunnea. Alæ hyalinæ (glashelle). Pedes lutescentes, tarsis albidis". Meig. l. c.

45. *Chir. tendens:* ferrugineus, nitidus; antennis brunneis (♂), aut flavis (♀); alis albidis; pedibus pallide flavis, posterioribus pilosulis, anticis nudis; *maris* tarsis anticis parce pilosulis, horum articulo 1:mo tibia paullo longiore, cauda brevi, appendiculis subfiliformibus. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Fabr. Antl. 39. 7. Meig. Dipt. 1. 34. 30. ♀. — & 6. p. 244. ♂. Macqv. Buff. 1. 53. 26? ♂♀. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 31. ♀. *Tipula tendens* Fabr. Ent. Syst. 4. 243. 47.

Hab. in pratis & hortis a medio Junii, sub Jul. & Augusto usque ad ineuntem Septembrem, per Scandinaviam meridionalem & mediam passim; scilicet mas tantum ad Allerum Scaniæ 25 Jul. 1839 in unico specimine inventus; feminæ vero deprehensæ: in Scania ad Lund (in horto proprio), Esperöd &c.; in Westrogothia ad Spar-

resäter non raro, D. *Kinberg;* in Gottlandia ad Lummelund, Martebo &c.; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. Prof. *Wahlberg;* in Daniæ paludosis, *Fabricius*, & in silvis valde raro, D. *Stæger*. (E Neuenkirchen prope Gryphiam jam 20 Maj., ♀ a D. *Dahlbom* captam, & aliam e Finlandia a D. *Sahlberg* obtinui).

♂♀. Per corporis magnitudinem mediocrem, colorem pallidum l. ferrugineum, nitidum, & maris tarsos anticos minus barbatos, ab aliis hujus subdivisionis facile dignotus. *Femina:* Caput cum antennis flavum, oculis nigris, palpis fuscis. Thorax flavus, nitidus, vittis 3 dorsalibus ferrugineis. Scutellum flavum. Sternum & metathorax ferruginea. Abdomen subcylindricum, flavum, pallide hirtum, segmentorum margine basali ferrugineo. Anus fuscus. Alæ albo-cinereæ, immaculatæ, nervis ad costam flavidis. Halteres albi. Pedes pallide flavi, tibiis tarsisque flavo-albis; subnudi, tibiis tarsisque posterioribus, breviter pubescentibus; articulatione summa vix brunnea. Tarsi antici elongati, horum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{4}$ longior, reliqui longitudine sensim decrescentes. *Mas:* similis feminæ, sed differt: antennæ brunneæ, radicula flava, pluma dilute brunnea, summo apice albo-nitente. Abdomen paullo angustius, pallide pilosum, flavo-virescens, segmentis 3 ultimis paullo latioribus, subdilatatis, flavis, supra fusco-bilineatis. Cauda breviter appendiculata. Alæ albidæ. Pedes posteriores pallide pilosi, antici nudi, horum tarsis parce & breviter barbatulis.

46. *Chir. albipennis:* ferrugineus, nitidus, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno metathoraceque castaneis; antennis brunneis; abdomine (in vivo) virescente; alis albis; pedibus pallidis, tarsis apice brunneis; *maris* tarsis anticis barbatis, articulo 1:mo longitudine tibiæ, appen-

diculis caudalibus breviusculis, sublanceolatis. ♂♀. (Long. ♂ fere 3, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 248. 87. ♀. — & 1. p. 34. ♂ in observatione sub n:o 30 *Chir. tendens.* — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 30. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 25.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis Salicibus, a vere ad Autumnum passim; scilicet in Scania ad Abusa &c.; in Gottlandia ad Öja 8 Jul. 1841 ♂ semel; in Dania passim frequens, D. *Stæger*, a quo etiam exempla utriusque sexus obtinui; Illo observante, mares mense Majo copiose obveniunt, feminæ 14 diebus serius, & hæ feminæ tantum 2 l. 3 hebdomadibus vigent. (In Finlandia, *Sahlberg*).

♂♀. Antennæ cum radicula brunneæ, pluma maris apice dilutiore. Palpi fusci. Thorax nitidus, ferrugineus l. flavus, vittis dorsalibus, sterno, pleurarum puncto postico, & metathorace plus minusve saturate brunneis l. castaneis. Scutellum flavum. Abdomen in ♂ lineare, pallide hirtum, in vivo virescens, in mortuo supra brunneum margine laterali pallido, segmentis 3 ultimis sublatioribus, subdepressis, appendiculis caudalibus breviusculis subincurvis pilosulis fuscis; in ♀ crassiusculum pubescens, basi (in mortua) pallidum, versus apicem brunnescens. Alæ albæ, immaculatæ, nervis costalibus in ♀ testaceis. Halteres albi. Pedes albidi l. pallide flavi, tarsorum articulis ultimis plerumque dilute brunneis. Tibiarum summus apex in ♂ etiam sæpe brunneus. Pedes posteriores præsertim in ♂ pallide pubescentes, antici in utroque sexu nudiusculi, horum tarsis in ♂ modice pallide barbatis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibiæ subæqualis l. tantum $\frac{1}{8}$ longior, at articulo 2:do circiter $\frac{1}{2}$ longior, reliqui sensim decrescentes.

Obs Sub indicio: "*Chiron. viridulus* Fabr." specimen mascu-

lum *Ch. albipennis* e Kilia a beat. *Wiedemann* olim obtinui.

47. *Chir. psittacinus:* pallide virescens, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno & metathorace obscuris; antennis brunneis; abdomine (in vivo) obscure viridi; alis albidis; pedibus pallidis; *maris* tarsis anticis eximie barbatis, articulo 1:mo tibia paullo longiore, appendiculis caudalibus brevibus, subfiliformibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.)

Meig. Dipt. 6. 247. 84. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 29. ♂.

Hab. in Salicetis Scandinaviæ meridionalis a mense Majo ad Septembrem passim, libenter in vicinitate aqvæ; scilicet in Scania rarius; in Dania interdum copiose, D. *Stæger*, qui etiam specimina sub nomine allato communicavit.

♂. Abdomine toto obscure viridi (in vivo, seu obscuro in mortuo), antennis brunneis, pedibus, pallidis, ut & tarsis anticis distincte barbatis, ab aliis subsimilibus diversus. Caput fuscescens. Antennæ brunneæ, pluma apice dilutiori. Thorax subopacus, in vivo prasinus, in exsiccato flavo-virens, vittis dorsalibus 3 sternoque nigro-cinereis. Metathorax niger. Abdomen in vivente obscure viride, unicolor, in mortuo obscurum; totum pallide pilosum, subcylindricum, segmentis 3 ultimis paullo latioribus, subdepressis, sæpe livido-limbatis. Appendices caudales breves, lanceolatæ, obscuræ. Alæ albidæ, immaculatæ. Halteres albi. Pedes 1. flavo-virescentes (in vivo), 1. pallidi (in mortuo), tarsis dilute brunneis. Tarsi antici sat dense, uno latere longe, altero brevius barbati; horum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{4}$ longior, at articulo 2:do duplo longior, reliqui sensim decrescentes. Tibiæ tarsique posteriora pallide pilosa. — Femina hactenus non observata.

48. *Chir. nigro-viridis:* "prasinus, thorace vittis 3 metathoraceque nigris: antennis brunnescentibus; abdomine fasciis latis nigris; alis subhyalinis; pedibus flavoviridibus; *maris* tarsis anticis nudis. ♂. (Long. 3 lin.)." *Macqv.*

Macqv. Buff. I. 51. 18. ♂. Meig. Dipt. 7. 5. 125. ♂. (ex descript. Macqv. transscriptus). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 565. 19. ♂♀.

Hab. in Dania Majo & Jun. sat raro, teste D. *Stæger;* mihi numquam obvius.

♂. "Prasinus. Antennarum pluma brunnescens. Pleuræ nigricantes. Metathorax niger. Abdominis segmenta basi fascia lata nigra. Pedes pallide flavo-virides, articulatione brunnea. Tarsi antici imberbes. Alæ fere hyalinæ, nervulo transverso 1:mo obscuro". Macqv. & Meig. l. c.

Obs. An varietas pallida *Ch. venusti* n:o 13?

49. *Chir. dorsalis:* "flavescens, thoracis vittis pectoreque ferrugineis: antennis brunneis; abdomine fusco-annulato; alis albis; pedibus flavis, geniculis nigris. ♂. (Long. 3 lin.)". *Meig.*

Meig. Dipt. 1. 25. 10. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 564. 15. ♂.

Hab. in Dania mense Augusto rarius, D. *Stæger;* a me non deprehensus.

♂. Similis *C. tentanti* (2) & *flaveolo* (11). Palpi brunnei. Antennæ ferrugineæ, articulo ultimo brunneo; pluma brunnea. Thorax pallide flavus in colorem canum migrans, vittis dorsalibus & pectore ferrugineis. Metathorax antice flavus, postice niger. Abdomen pallide flavum, segmentorum medio annulo dilute brunneo. Alæ albæ, puncto medio nullo aut minutissimo. Pedes flavi, geniculis nigris." Meig. l. c.

Obs. De hujus tarsorum anticorum vestitu, nota magni momenti pro *Chironomi* speciebus sæpe sat affinibus discernendis, omnino silet *Meigen*. Tarsi forte imberbes.

50. *Chir. venosus:* "thorace cinerascente flavo, fusco-vittato; abdomine distincte hirsuto, fusco, cingulis interruptis albo-micantibus; antennis pedibusque flavo-testaceis: alis albo-hyalinis, nervis distinctis, obscuris; *maris* tarsis anticis barbatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ & $2\frac{1}{2}$ lin.)". *Stæg.*

Meig. Dipt. 6. 253. 105. ♀: thorace ferrugineo, vittis 3 abdomineque nigris; antennis pedibusque ferrugineis, tibiarum apice nigro; nervis alarum crassis obscuris; long. $1\frac{1}{2}$ lin. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 564. 16. ♂♀.

Hab. in Amager Daniæ, in litore, mense Junio; a me haud visus.

51. *Chir. notatus:* "thorace nitido, flavo, vittis 3 atris, intermedia gemina; pectore ferrugineo; abdomine antice brunneo-flavo, postice brunneo, incisuris pallidis: alis subcinereis, impunctatis; pedibus flavis, geniculis tibiisque anticis nigris. ♀. (Long. 2 lin.)". *Meig.*

Meig. Dipt. 1. 25. 11. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 565. 17. ♀.

Hab. in Dania, Majo, Junio raro, *Stæger.*

♀. "Palpi brunnei. Antennæ flavæ, articulis 3, 4, 5 apice, & 6 toto, nigro-brunneis. Caput & thorax nitida, rufo-flava, vittis 3 nitidis atris, media gemina; lineola nigra ante scutellum nulla. Metathorax antice flavus, postice niger lineola media flava. Alæ cinerascentes, nervis brunneis, absque puncto nigro. Pedes flavi, geniculis nigris; tarsorum apice tibiisque anticis nigris". Meig. l. c.

52. *Chir. littorellus:* thorace ferrugineo-flavo, nitido, vittis dorsalibus 3 latiusculis, sterno & metathorace nigris; antennis brunneis (♂), aut flavis apice brunneo (♀); abdomine obscuro, incisuris tenuissime albis; alis albo-cinereis; pedibus stramineis, genibus tibiarumque summo apice nigro-brunneis. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Meig. Dipt. I. 26. 12. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 565. 18. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali verno imprimis tempore raro; in Scania parce; in Gottlandia ad Öja, Wamlingbo 5 Jul. & ad Sauda 7 Jul. 1841, raro; e Dania sub nomine allato ♀ etiam a D. *Stæger* communicata; specimen femineum in Töien prope Christianiam mense Junio captum quoque missit D. *Siebke*.

♀. Antennæ flavescentes, articulo ultimo brunneo. Palpi obscuri. Thorax ferrugineo-flavus, nitidus, dorso vittis 3 latiusculis nigris, media gemina. Sternum & metathorax nigra. Scutellum flavum. Abdomen crassiusculum, pubescens, obscure brunneum, incisuris omnium tenuissime albidis. Alæ albo-cinereæ, nervis ad costam testaceis, puncto medio nullo. Halteres albi. Pedes subnudi, testacei, femoribus imprimis anticis ad apicem brunnescentibus. Tibiæ anticæ basi, omnesque apice anguste, nigro-brunneæ. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia $\frac{1}{4}$ longior, at articulo 2:do fere duplo longior, reliqui sensim decrescentes.

♂ antennarum pluma obscure brunnea a *Meigen* l. c. describitur, a me frustra quæsitus.

53. *Chir. viridis:* viridis l. flavo-viridis, thoracis vittis 3 dorsalibus, sterno & metathorace carneis; antennis aut brunneis pluma dilutiori (♂), aut flavis apice nigro (♀); alis albidis; pedibus pallidis, articulatione anguste

brunnea, tarsis subinfuscatis; *maris* tarsis anticis parce pilosulis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{3}$ longiori, caudæ forcipe breviuscula, angustata. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.) (*)

Fries, Tipular. Svec. 1826. Manuscr. — Macqv. Buff. 1. 52. 21. ♂. Zett. Ins. Lapp. 813. 20. ♂♀. (ex parte). Meig. Dipt. 7. 6. 127. (secundum Macqv. transscriptus). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 565. 20. ♂♀. Forte *Tipula virens* Linn. System. Nat. 2. 975. 34. (viridis, alis immaculatis, plantis fuscis; hab. in Svecia; *T. plumosa* minor).

Hab. in graminosis & fruticibus in vicinitate aqvæ, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, ab ineunte Junio ad initium Septembris passim, per borealem rarius, in copula etiam aliquoties deprehensus; scilicet in Scania ad Lund *(Fries)*, Kjellby, Lomma, Östra Torp *(Dahlbom)*, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Wadstena & lacum Wettern frequens; in Ölandia parce; in Gottlandia ad Öja, Furillen & Thorsborg; in Jemtlandia ad Faxelfven & in alpibus Mulfjellet & Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Wilhelmina rarius; in Norwegia ad Näs parce; ad Christianiam, D. *Siebke*; in Dania ad aqvas per totam æstatem vulgaris, D. *Stæger*, qui etiam mihi specimina utriusque sexus communicavit. (Ad Neustadt Eberswalde & Neuenkirchen, D. *Dahlbom).*

---

*) *Chironomi* species virescentes inter se sat affines & similes difficile sæpe distingvuntur, nisi vestitum tarsorum anticorum in ♂, & horum articuli 1:mi ad tibiam proportionem in utroque sexu probe observes. Ad magnitudinem & crassitiem l. gracilitatem forcipis caudalis in ♂ quoque attendendum. Color corporis pedumque, in vivo plus minuve viridis, interdum insigniter pallescit & post mortem plerumque flavescit. Inte-

♂♀. Inter majores virescentium. *Mas:* antennæ brunneæ, radicula flava, pluma pallescente. Oculi ænescentes, in mortuo nigri. Palpi fusci. Stethidium viride l. viridi-flavum, thoracis dorso vittis 3, sterno seu pectore, pleurarum puncto postico (juxta alas), & metathorace carneis l. pallide ferrugineis. Abdomen angustum, pallide hirtum, plerumque etiam post mortem pulchre læte viride, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, caudæ forcipe mediocri (nec filiformi, nec lata). Alæ albidæ, nervis pallidis, ad costam parum saturatioribus, sed nervulo transverso medio leniter subinfuscato. Halteres albi l. in vivo virescentes. Pedes posteriores pallide hirti, antici subnudi, horum tarsis uno latere parce & tenuiter pilosis, non distincte barbatis. Pedum anticorum femora & tibiæ modice & fere æque longa (vel illa his paullulum tantum longiora); ejusdem paris tarsorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{3}$, at articulo 2:do fere duplo, longior, reliqui sensim decrescentes. Pedes omnes pallide flavi, tibiarum summo apice nigricante, tarsis plus minusve fuscis, metatarsis saltem posticis flavis. *Femina* mari similis, differt: antennis flavis, apice obscuris, abdomine crassiusculo, pubescente, pedibus subnudis.

Var. b. ♂♀ paullo major (circit. 3 lin. longus), tibiis tarsisque anticis sordide testaceis vel dilute fuscis.

Chir. vulneratus Zett. Ins. Lapp. 814. 28. ♂. — *C. nigrimano* Stæg. proximus, sed tibiis tarsisque tantum pallide fuscis, nec "nigro-fuscis" differre videtur. Ad pagum Stensele Lapponiæ Umensi d. 3 Jul. 1832 in unico specimine masculo, & ad diversorium Grimnäs Jemtlandiæ d. 19 Jun. 1840 in unico individuo femineo inventus. Ad Stenum Westrogothiæ 31 Jul. 1849 feminam pulchre viridem legit D. *Dahlbom.*

Var. c. ♂. similis var. a. sed tarsis anticis paullo distinctius pilosis, subbarbatis. In Scania ad Lund (in Paradislyckan) & Lomma, in Ostrogothia ad Wadstena, in Gottlandia ad Kyl-

---

rea hæc affinitas pro accuratiori specierum distinctione verbosiorem reqvirit diagnosin.

lej & Öja, Maj., Jun. Jul. Aug. non raro. (Ad Eldena prope Gryphiam Septemb. 1842, D. *Dahlbom*).

54. *Chir. nigrimanus:* "viridis vel flavo-viridis; vittis thoracis, pectore, metathoraceque carneis; tibiis tarsisque anticis nigro-fuscis; *maris* tarsis anticis tenuiter pilosis. ♂♀. (Long. 3 & 2½ lin.)". *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 566. 21. ♂♀.

Hab. in Dania, Majo & Junio rarius, D. *Stæger.*

♂♀. Species mihi ignota, nisi *Chir. viridis* varietatatem h. provocarem. — A D. *Stæger* hoc modo breviter adumbratur: "similis priori (*Ch. viridi*), sed insigniter major. Tibiæ & tarsi antica nigricantia; tarsi posteriores obscuri, articulatione nigra. Alæ albæ. Tarsi antici in ♂ pilis tenuibus, horum articulis in utroque sexu longitudine decrescentibus".

Obs. Species tres, nempe *C. armillatum, albofasciatum & biannulatum,* qui a D. *Stæger* immediate pone *Ch. nigrimanum* describuntur, propter pedes annulatos ad subdivisionem sequentem transfero.

55. *Chir nervosus:* "viridis; vittis thoracis, pectore metathoraceque carneis; alis hyalinis, nervis distinctis. ♂. (Long. 2 lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 567. 25. ♂.

Hab. in Dania, ubi plures mares mense Junio collecti, teste D *Stæger;* a me non visus.

♂. "Similis *C. viridi*, sed alis hyalinis, nervis omnibus manifeste conspicuis distinctus". Stæg. l. c.

56. *Chir. prasinatus:* "prasinus, nitidus; vittis thoracis, pectore metathoracisque margine postico nigris; alis albis; pedibus pallide viridibus, tarsis fuscis. ♂. (Long. 2 lin.)". *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 568. 26. ♂.

Hab. in Dania raro, D. *Stæger;* mihi non rite cognitus.

♂. "Palpi & antennæ pallide brunnea, hæ pluma flavescente. Thorax prasinus, nitidus, vittis (quarum media terminatur, ubi laterales incipiunt), pectore metathoracisque margine postico, nigris nitidis. Abdomen (post mortem) flavo-viride. Alæ albæ. Pedes pallide virides, tarsis obscuris". Stæg. l. c.

Obs. 1. Indicium pilositatis l. nuditatis tarsorum anticorum, aut comparatio cum alia quadam specie desunt apud *Stæger* pro hac rite dignoscenda.

Obs. 2. Specimen masculum cum descriptione *Ch. prasinati* in plurimis conveniens, & tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibiæ subæquali vel illa parum longiori instructum, ad Hamburgum a D. *Dahlbom* 1838 lectum, huc forsan pertinet.

57. *Chir. pedellus:* viridis, nitidus, stethidio abdominisque apice nigris; thoracis dorso vittis 3 nigris, aut confluentibus (♂), aut latis subdiscretis (♀); antennis dilute brunneis (♂), aut flavis apice nigris (♀); alis halteribusque albidis; pedibus pallidis, geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigris; *maris* tarsis anticis subnudis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{4}$ longiori, caudæ forcipe breviuscula, angustata. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{2}$, ♀ 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 28 16. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 51. 14. Zett. Ins. Lapp. 814. 29. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 564. 12. ♂♀. Wiegm. & Ruthe, Zool. 1843. p. 463. 2. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 2. 6. *Tipula pedella* Deg. Ins. 6. p. 378. 17. Tab. 19. f. 12 & 13. certe. ♂. — *Tipula litoralis* var. *β.* Linn. Fn. Sv. p. 435. n:o 1759. ♂♀. — *Chi-*

ronomus cantans Fabr. Ent. Syst. 4. 247. 67. & Antl. 45. 34. ♂.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per hortos, prata & nemora totius Scandinaviæ, a mense Majo usque ad finem Augusti, vulgaris, etiam in copula sæpe observatus, in fenestris interdum repertus; scilicet in Scania ubique copiose; in Ostro- & Westrogothia non raro; in Gottlandia frequentissimus; in Jemtlandia ad Mulfjellet &c. passim; in Lapponia ad Lycksele, Stensele & Wilhelmina; in Norwegia ad Christianiam & Smölen, D. *Siebke*; in Dania frequens. (E Kilia a *Wiedemann*, & e Neuenkirchen prope Gryphiam atque e Moabite prope Berolinum a *Dahlbom*, tandemque e Finlandia a *Sahlberg*, in pluribus speciminibus communicatus).

♂♀. *Nitidus. Mas:* antennæ brunneæ, pluma dilutiori, radicula flava. Caput cum palpis obscurum. Stethidium nigrum, thoracis dorso antice distincte protuberante, humeris indeterminate flavo-maculatis, maculis vittas inchoantibus. Abdomen angustum, cylindricum, pallide hirsutum, in vivo læte viride, in mortuo flavum, segmentis 3 ultimis paullo latioribus, depressis, semper nigris. Appendices caudales parvæ subfiliformes nigræ. Alæ albo-hyalinæ, nervis albis, strigula tantum baseos obscura. Halteres albi. Pedes albo-flavi (in vivo flavo-virescentes), genibus anticis late, posterioribus anguste, tibiarum summo apice tarsorumque articulis 1 vel 2 ultimis sæpe, nigris; posteriores flavo-pilosi, antici subnudi, horum tarsis subnudis seu parce & tenuissime tantum pallide pilosulis l. puberulis. Pedum anticorum femur & tibia fere æque longa, tarsorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{4}$ longior, at 2:do vix duplo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes. *Femina:* similis mari, sed differt: antennis flavis, apice nigris, thoracis dorso flavo, vittis nigris discretis, plus minus latis,

abdomine paullo crassiori, puberulo, ano simplici, & denique pedibus omnibus subnudis.

Var. b. ♂♀. tibiis anticis fere totis nigricantibus; raro in Scania & Gottlandia.

58. *Chir. pedestris:* viridis, nitidus, stethidio abdominisque apice nigris; thoracis dorso vittis 3 latis confluentibus nigris (♂); antennis dilute brunneis (♂); alis albidis, halterum clava apice nigricante; pedibus pallidis, tibiarum summo apice nigro, femoribus anticis nigris basi flavis; *maris* tarsis anticis subnudis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{4}$ longiori, caudæ forcipe breviuscula, angustata. ♂. (Long. circiter $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 246. 81. ♂. Zett. Ins. Lapp. 814. 30. ♂.

Hab. in Scandinavia, mihi rarissime obvius, ad Lycksele Lapponiæ Umensis d. 2 Aug. 1832 in unico exemplo inventus; in Norwegia ad Christianiam, teste D. *Siebke;* in Scania ad Lund etiam semel lectus.

♂. Valde similis & affinis *C. pedello*, a quo tantum tibiarum summo apice nigro, femoribus anticis nigricantibus basi flavis, & halterum clava apice obscura, distinctus. Pedes & abdominis segmenta 5 prima in mortuo pallide flava. De cetero ut in priori.

59. *Chir. brevitibialis:* viridis, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno metathoraceque carneis l. ferrugineis; antennis dilute brunneis; alis albidis; pedibus pallidis, tibiarum summo apice tarsorumque articulo ultimo fuscis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia breviuscula fere duplo, saltem $\frac{1}{3}$, longiori, appendiculis caudalibus subfiliformibus. ♂♀. (Long. ♂ $2-2\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali & media Jul. Aug. passim, in copula (9 Jul. 16 Aug.) etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Skarhult & Östra-Torp (ad litus maris); in Gottlandia ad Öja, Kyllej, Hoburg & in paludosis insulæ Klasen sat copiose; femina rarius mihi obvia. (Ad Gryphiam, D. *Dahlbom).*

♂♀. A *Ch. viridi* (53), cui similis, differt: tarsis anticis in ♂ nudis, & tibiis anticis in utroque sexu brevioribus. Subopacus. *Mas:* oculi nigri. Antennæ brunneæ, articulo 1:mo magno fulvo, pluma flavo-brunnea. Thorax in vivo virescens, in mortuo pallide flavus, vittis dorsi 3 in vivo carneis, post mortem fulvescentibus. Sternum, punctum pleurarum juxta alas & metathorax, ferruginea l. fulva. Abdomen etiam plerumque in exsiccato viride, subfiliforme, pallide hirtum, segmentis 3 apicalibus nonnihil latioribus, appendicula caudali subfiliformi concolore. Alæ albidæ, nervis albis, nervulo medio obliquo lenissime fusco. Halteres pallidi. Pedes virescentes l. in mortuo pallide flavi, tibiarum summo apice nigricante. Tarsi præsertim antici articulis 1 vel 2 ultimis fuscis. Pedes posteriores pallide pilosuli, antici toti nudi. Pedum anticorum tibia femore fere $\frac{1}{3}$ saltem $\frac{1}{4}$ longior; tarsorum articulus 1:mus tibia saltem $\frac{1}{3}$ longior, at articulo 2:do duplo longior; reliqvi longitudine sensim decrescentes. *Femina:* mari similis, sed paullo brevior, antennis flavis, articulo ultimo obscuro, abdomine paullo crassiori, puberulo, ano simplici, pedibus posterioribus parum pubescentibus.

60. *Chir. virescens:* flavo-viridis, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno metathoraceque carneis; antennis flavicantibus; alis albis; pedibus pallidis, tibiarum summo apice nigricante, metatarsis albis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia breviuscula fere duplo, saltem $\frac{1}{3}$, longiori, appendiculis caudalibus filiformibus. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.).

Meig. Dipl. I. 31. 23. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 9.

Hab. in Scandinavia meridionali & media mense Augusto passim; scilicet in Scania ad Silfåkra; in Ostrogotbia ad Wadstena in umbrosis uterque sexus non parce; sub nomine: "*Chir. virescens* Meig." mas e Dania 27 Nov. 1837 a D. *Stæger* communicatus; in Norwegia in Töien prope Christianiam mense Majo uterque sexus a D. *Siebke* captus.

♂♀. Similis priori, sed pallidior, gracilior, & magnitudine duplo minori & metatarsis albis diversus. Antennæ maris dilute brunneæ, pluma flavicante, feminæ flavæ, apice brunneo. Oculi nigri. Thorax subnitidus, flavo-viridis (in vivo), l. pallide flavus (in mortuo), vittis ordinariis, sterno & metathorace carneis l. pallide flavis. Abdomen in ♂ subfiliforme, pallide hirtum, forcipe caudali parva filiformi; in ♀ paullo crassius, pubescens; in utroque sexu flavo-viride l. post mortem plerumque ferrugineo-flavum. Alæ albæ. Halteres pallidi. Pedes omnino ut in *C. brevitibiali* constructi, & ut in diagnosi colorati.

Obs. In Austria specimina hujus speciei jam mensib. Aprili & Majo in pratis sylvaticis obvia, teste *Rossi* l. c.

61. *Chir. viridulus:* viridis, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno metathoraceque saturate brunneis (♂), aut ferrugineis (♀); antennis pallide fuscis (♂), aut flavis apice obscuro (♀); alis albis; pedibus pallidis, tibiarum summo apice nigricante; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia breviuscula fere duplo, saltem $\frac{1}{3}$, longiori, appendiculis caudalibus filiformibus. ♂♀. (Long. ♂ fere $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.).

Fabr. Antl. 44. 33. ♂. Meig. Dipt. I. 31. 22? ♂♀.

— Zett. Ins. Lapp. 813. 25 (ex parva parte) ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 8. — *Tipula viridula* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 35. ♂. Fabr. Ent. Syst. 4. 247. 66. An *Chir. viridanus* Macqv. Buff. 1. 52. 22? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 568. 27? ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim, in copula quoque observatus; scilicet in Scania ad Lund (in Paradislyckan); in Ostrogothia ad Wadstena toto mense Aug. in utroque sexu frequens; in Jemtlandia ad Stalltjernstugan ♀ parce, & ad Faxelfven ♂; in graminosis Lapponiæ Tornensis rarius. Masculi mihi frequentius obvii.

♂♀. Similis & affinis duobus proxime antecedentibus, sed a *C. brevitibiali* magnitudine duplo minore, a *virescente* metatarsis flavidis, nec albis, & ab ambobus thoracis pictura saltem in ♂ obscuriore, differt: *Mas:* antennæ brunneæ, pluma dilutiori vel pallescente. Thorax virescens (in mortuo pallidus), vittis ordinariis plerumque castaneis l. brunneis, interdum ferrugineis, media gemina. Sternum & matathorax brunnea. Abdomen viride (plerumque etiam post mortem), subfiliforme, pallide hirtum. Alæ albidæ, immaculatæ. Halteres pallidi. Pedes ut in *C. brevitibiali* constructi, pallidi, tibiarum summo apice nigricante. Tarsi præsertim antici sæpius dilute brunnei. *Femina:* mari similis, thoracis signaturis pallidioribus vel ferrugineis, antennis flavis, articulo ultimo obscuro, ut & abdomine paullo crassiori differt.

Obs. 1. Linnei *Tipula viridula* "magnitudine pulicis", & Meigeni atque Macqvarti *Chir. viridulus* "longitudine 2½ lin., alis hyalinis puncto nigro" diversæ videntur species.

Obs. 2. *Mas* nomine: *Ch. amoeno*, & *femina: Ch. ornato* a beat. *Fries* designati, in collectione mea etiam asservantur.

62. *Chir. pusillus:* læte viridis, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno metathoraceque nigricantibus (♂), aut

fuscescentibus (♀); antennis flavidis; alis albis; pedibus totis pallide flavis, tibiarum summo apice nigricante; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia duplo longiori, appendiculis caudalibus filiformibus. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ ¾ lin.).

Fabr. Antl. 45. 38. ♂. Meig. Dipt. 1. 33. 27. Macqv. Buff. 1. 53. 24? ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 813. 24. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 28? ♂. *Tipula pusilla* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 37. ♂. Fabr. Ent. Syst. 4. 248. 70. ♂.

Hab. in Scandinavia passim; scilicet in Scania ad Lund *(Fries)*, Kjellby 17 Maj, Esperöd, Östra Torp (16 Aug.), &c.; in Jemtlandia ad Östersund (♂ 20 Jun.); in Lapponia Umensi ad Lycksele semel; in ripa fluvii Tornensis ad Juckasjervi ♀; in Dania rarius, D. *Stæger*.

♂. Priori similis, & forte ejus varietas; sed magnitudine nonnihil minore, thoracis pictura intensiori, pedibus, excepto summo tibiarum apice nigricante, totis pallidis, & tarsis anticis proportione nonnihil longioribus, differre videtur. Antennæ dilute brunneæ. Thoracis vitta media subgemina. Abdomen filiforme, viride l. fusco-viride, appendiculis analibus parvis flavis. Alæ cum nervis albæ, immaculatæ. Halteres albi. Pedes pallidi, posteriores hirtuli, antici nudi. Tibia antica femore fere duplo brevior. Totus color, qui in vivo virescit, in mortuo pallescit.

♀. Individua, quæ in societate cum ♂, eique similia, sed in vivis virescentia in mortuis flava, pictura thoracis, sterni & metathoracis ferruginea, antennis flavis, apice brunneo, & abdomine crassiori absque appendiculis, diversa, ut feminas hujus numero.

Obs. 1. In Scania ad Kjellby 17 Maj. specimen masculum tarsis anticis tenuiter pilosulis, alias var. a. simillimum inveni; vix diversum.

Obs. 2. Hæ tres proxime præcedentes species magnitudine &

colore (saltem in mortuis) *Chir. variabili* n:o 36 quodammodo similis, vix tamen cum illo confundi possunt, si tibiarum tarsorumque proportionem in pedibus anticis diversam attente observes.

63. *Chir. ictericus:* "flavus, halteribus albis. ♀. (Long. 1 lin.)". *Meig*.

Meig. Dipt. 6. 253. 103. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 32 ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 29.

Hab. in Dania, ubi, affirmante *Stæger*, mense Septemb. semel tantum inventus; mihi non obvius.

♀. "Totus flavus, etiam pedibus, tantum halteres albi & alæ albo-hyalinæ sunt. Thoracis vittæ dorsales vix paullo obscuriores". Meig. l. c.

Obs. In Austria mensibus Aprili & Majo occurrit, *Rossi*.

64. *Chir. longipes:* thorace pallido, rufo-striato, hirto; abdomine nigro; pedibus albidis, tarsis anticis tibiis plus quintuplo longioribus. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)". *Stæg*.

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 570. 38. ♀.

Hab. in Dania, in unico exemplo captus; *Stæger*. Mihi ignotus.

♀. "Antennæ flavæ, apice nigræ. Thorax & scutellum virescenti-alba, hirta; vittis dorsalibus & pectore rufo-flavis. Metathorax brunnescens. Abdomen nigrum flavescenti-pilosum. Pedes albidi, articulatione nigra. Tarsi antici valde elongati, articulis 1:mo tibia duplo, & singulo trium sequentium (2, 3 & 4) huic æque longis, 5:to brevi. Alæ hyalinæ, nervis flavicantibus." Stæg. l. c.

Obs. Exempla 2 feminea descriptæ similia, sed abdomine nigro, incisuris albis distincta, in Töien ad Christianiam 5 & 14 Jun. 1849 legit mihique misit D. *Siebke;* an hujus?

65. *Chir. rufo-vittatus:* "thorace albido, rufo-vittato, hirto; abdomine pedibusque flavo-viridibus; tarsis albis. ♀. (Long. 1 lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 570. 39. ♀.

Hab. in Dania, tantum in unico individuo inventus. *Stæger.* A me non visus.

♀. "Caput obscure rufum. Antennæ pallide flavæ. Thorax rufescenti-albus, vittis & metathorace rufis, fere carneis. Abdomen & pedes læte flavo-viridia, apice tibiarum puncto nigro. Tarsi albi, antici toti & apex posteriorum brunnei." Stæg. l. c.

Obs. Cel. *Stæger* non indicavit utrum secundum vivum an exsiccatum exemplum speciem descripserit.

66. *Chir. testaceus:* "testaceus, pedibus pallidis; thorace vittis fuscis (♂), aut rufis (♀). ♂♀. (Long. 1 lin.)". *Macqv.*

Macqv. Dipt. 1. 198. 16. ♂♀. Ejusd. Buff. 1. 54. 32. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 4. 122. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 571. 40. ♀.

Hab. in Dania mense Majo raro, D. *Stæger.* Mihi ignotus.

♂. "Antennæ obscuræ. Thorax vittis brunneis, media gemina. Abdomen brunneum, segmentorum margine antico & postico pallido. Pedes pallide ferruginei. Alæ immaculatæ."

♀. "Thorax vittis rufis, puncto obscuro in apice vittarum lateralium alioque brunneo ante radicem alarum, maculis 2 conniventibus brunneis in apice scutelli. Abdomen læte flavo-viride". Macqv. l. c.

67. *Chir. fraterculus (confinis* Stæg.): "thorace fla-

vo, vittis tribus nigris, nitidis; pedibus nigris, femoribus flavis, apice nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)". *Stæg.*

Chir. confinis Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 572. 45. ♀.

Hab. in Danorum Seelandia, D. *Schiödte*, testante D. *Stæger.* Mihi de cetero ignotus.

♀. "Similis *Ch. variabili* n:o 36, sed manifeste major. Caput flavum, antennis palpisque nigris. Thorax flavus, vittis dorsalibus latis nitidis, punctoque sub radice alæ magno trigono, nigris. Pectus brunneum. Metathorax niger subnitidus. Abdomen obscure brunneum, incisuris albidis; ventre flavicante. Pedes nigri, femoribus flavis, apice nigro. Alæ cinerascentes, nervis crassiusculis, pallidis. Halteres pulchre læte flavi". Stæg. l. c.

Obs. *Chir. confinis* Meig. Dipt. 6. 253. 104. longe alia est species, unde nomen a *Stæger* datum in *fraterculum* mutavi.

68. *Chir. femoratus:* "flavus, thorace vittis angustis brunneis; abdominis dorso fusco, incisuris albidis; pedibus pallidis, femoribus annulo fusco. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 573. 46. ♀.

Hab. in insula Bornholm Daniæ mense Sept. 1838 a D. *Schiödte* inventus, affirmante D. *Stæger.* A me non visus, nisi sequentem provocare vellem.

♀. "Flavus. Thorax vittis 3 angustis brunneis. Pectus & macula gemina sub radice alarum brunnea. Metathorax niger, nitidus. Abdomen brunneum, incisuris albidis; ventre flavo. Pedes pallide flavi, annulo nigricante in medio femorum; apice tibiarum posteriorum obscuro. Halteres flavi. Alæ hyalinæ, albæ." Stæg. l. c.

69. *Chir. bicolor:* flavus, thoracis vittis dorsalibus

3 sternoque carneis; metathorace abdomineque nigris, ventre pallescente; alis albidis; pedibus testaceis, femoribus posticis basi subfuscescentibus. ♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 1837. p. 813. 23. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Stensele 3 Jul. 1832 in unico exemplo inveni; in Jemtlandia ad Åreskutan 2 Aug. 1840 semel quoque lectus.

♀. Descr. ex speciminibus exsiccatis. Valde pusillus. Totus flavus, parum nitidus. Antennæ pallidæ, articulo ultimo brunneo. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales luteæ, aut in specimine Jemtlandico castaneæ. Sternum dilute brunneum. Metathorax niger, margine antico flavo. Abdomen nigricans, basi fuscum l. sordide flavidum. Venter pallidus. Alæ albo-hyalinæ. Halteres pallidi. Pedes flavi, tibiis posterioribus summo apice puncto nigricante. Femora posteriora ad basin fascia fuscana. Pedum anticorum femora & tibiæ subæque longa, tarsorum articulo 1:mo, ni fallor, tibia nonnihil breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus. — Præcedenti seu *Ch femorato* Stæg. valde affinis videtur, an ejus varietas?

Obs. *Chir. bicolor* Meig. Dipt. 1838. 7. pag. 7. 134 a nostro toto cælo differt.

70. *Chir. bipunctellus:* flavo-testaceus, thoracis vittis dorsalibus 3, sterno matathoraceque castaneis (♂), aut carneis (♀); antennis brunnescentibus; alis albidis; *mas:* thorace ad scutellum punctulis 2 obscuris, tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia longiuscula paullo longiori. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{3}{4}$ fere 1, ♀ $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali minus frequens; scilicet in Jemtlandia: ad diversorium Faxelfven 9 Aug. 1840 unicam feminam, & ad radicem alpium Mulfjellen 24 Jul. ejusdem anni utrumque sexum inveni; in jugo al-

pino Norwegiæ ad sic dictum: Kong Carl Johans Klev d. 11 Jul. specimen masculum deprehendit *Dahlbom.*

♂♀. *Ch. testaceo* n:o 66 affinis videtur, sed thoracis abdominisque pictura paullo diversus. Locus natalis quoque alius. Exsiccatus. *Mas:* testaceus. Antennæ brunneæ, pluma paullo dilutiori. Oculi nigri. Palpi fusci. Thoracis vittæ modice latæ, brunneæ l. castaneæ, subnitidæ, ad apicem lateralium juxta scutellum puncto parvo nigricante. Sternum brunneum. Metathorax nigricans. Abdomen subfiliforme, pallide hirtum, fusco-testaceum, segmento ultimo nonnihil crassiori, appendiculis parvis. Alæ cinereo-hyalinæ. Halteres albi. Pedes toti flavo-testacei, tibiarum posteriorum summo apice puncto nigro. Pedum anticorum tibia femore fere nonnihil longior, tarsorum nudorum articulus 1:mus tibia saltem $\frac{1}{3}$ brevior, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

Femina: tota flava. Oculi nigri. Antennæ & palpi fusco-testacea. Thoracis vittæ luteæ, vestigio punctuli utrinque ad scutellum. Metathorax luteus. Abdomen crassiusculum, subimmaculatum. Alæ ut in ♂. Halteres albi Pedes flavo-testacei, ut in ♂ constructi.

71. *Chir. varians:* thorace pallide flavo; alis albis; pedibus obscure testaceis; horum anticorum tibia longitudine circiter tarsorum articulorum quatuor ultimorum simul sumtorum; *mas:* niger, thoracis flavi vittis latis nigris; *femina:* thoracis vittis angustis pectoreque rufo-brunneis, scutello flavo, metathorace nigro, abdomine obscure viridi, ventre flavo. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ vix 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 573. 47. ♂♀.

Hab. in Dania Majo & Septemb., pluries in copula deprehensus, D. *Stæger;* mihi in Svecia non obvius.

"*Mas:* Antennæ brunneæ, nigro-plumosæ. Thorax pallide flavus,

vittis latis, scutello, metathorace & pectore nigro-brunneis. Pleuræ flavæ, puncto nigro ad radicem alarum. Abdomen nigrum. Pedes sordide brunneo-flavi. Halteres albi. Alæ opacæ, lacteo-micantes, nervis pallidis".

"*Fem.*: Antennæ brunneæ, radicula flava. Caput rufo-flavum, fronte lata. Thoracis vittæ angustæ, castaneæ. Scutellum flavum. Metathorax niger. Abdomen obscure viride, ventre flavicante". Stæg. l. c.

Obs. Tarsorum anticorum pilositatem aut nuditatem in ♂ afferre omisit D. *Stæger*.

Chiron. Tanypodipennis Zett. Ins. Lapp. 813. 22. ♂♀. est verus *Tanypus* & sub nomine *Tanyp. ferruginicollis* n:o 37 in hoc opere describitur.

b). Pedes albo-annulati.

Phal. 1. Alæ maculatæ.

72. *Chir. Histrio:* opacus, nigricans; antennis obscure brunneis; thorace cinereo; vittis dorsalibus 3 nigris; abdominis incisuris albidis; alis albidis, puncto medio distincto nigro; pedibus nigro alboque variis; *maris* tarsis anticis modice crassis, barbatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Fabr. Antl. 41. 3. Meig. Dipt. 1. 36. 35. ♂. & 6. p. 224. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 571. 43 (sexu non indicato). — *Tipula Histrio* Fabr. Ent. Syst. 4. 244. 51. — *Tipula stricta* Fabr. Ent. Syst. 4. 245. 55. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 42. 18. — *Tipula stictica* Fabr. Spec. Ins. 2. 407. 38. Gmel. Syst. Nat. 5. p. 2826. 106. *Chironomus* idem Meig. Dipt. 6. p. 244. Macqv. Buff. 1. 55. 39. ♂♀. Rossi, Dipl. Austr. 1848. p. 2. 13.

Hab. in Scandinavia rarius; scilicet in Scania ad Silfåkra 8 Jul. 1836 tria specimina inveni; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan unicum individuum 24 Jun.

1840 captum; in Danorum Seelandia 1838, D. *Schiödte*, teste D. *Stæger*. (Ad Moabite prope Berolinum 7 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* rarius lectus).

♂. Similis & affinis n:ris 4, 7 & 8, sed a *Ch. annulario* magnitudine minori, a *ripario* & *lugubri* maris tarsis anticis barbatulis, & ab his omnibus pedum pictura atque puncto alarum nigro distinctiori &c., differt. — Caput nigrum. Antennæ obscure brunneæ, radicula nigricante. Palpi obscuri. Stethidium cinereum, thoracis dorso vittis 3 modice latis, discretis & lineola tenui ab apice mediæ ad scutellum cinereum nigris. Metathorax obscurus, basi cinerascens. Abdomen angustum, griseo-hirtum, nigrum, segmentorum margine apicali glauco, unde fasciæ 8 glaucæ l. albidæ exstant. Segmenta 3 analia nonnihil latiora & subdepressa, appendiculis caudalibus mediocribus, subfiliformibus, obscuris, pilosulis. Alæ albidæ, nervis concoloribus, ad costam vix subtestaceis, strigula basali abbreviata & puncto medio distincto nigris. Halteres albidi. Pedes nigricantes l. nigro-brunnei, femoribus posterioribus ante apicem annulo sordide albido. Tibiæ anticæ annulo unico lato in medio, l. paullo pone medium & posteriores annulis duobus (uno juxta basin & altero ad apicem), albis. Tarsi omnes dilute fusci, saltem metatarsis basi albidis. Pedes posteriores pilosuli, antici nudi, horum tarsis modice crassis & griseo-barbatis. Pedum anticorum femur, tibia & metatarsus subæque longa; horum tarsorum articulus 1:mus 2:do circiter $\frac{1}{3}$ longior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Obs. Nomen *Tip. Histrio* a Fabricio bis repetitum fuit, & idem duabus diversis speciebus impositum. *T. histrio* Ent. Syst. 4. 237. 17. huc non pertinet.

73. *Chir. pictulus* Hoffmgg.: opacus, nigricans; antennis obscure brunneis; thorace cinereo, vittis dorsalibus 3 nigris; abdominis incisuris albidis l. glaucis; alis

albidis, puncto medio distincto nigro maculisque tribus cinereis; pedibus nigro alboque variis; *maris* tarsis anticis tenuibus, imberbibus. ♂♀. Long. ♂ 3, ♀ 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 244. *Chir. sticticus* Meig. Dipt. 1. 37. 36. ♂♀. exclus. synonymis.

Hab. in Svecia rarius; in Jemtlandia vero in parietibus ligneis ad diversorium Lund juxta alpem Åreskutan d. 24 Jun. & iterum 4 Aug. 1840 mares 8 & feminas 5 invenimus D. *Dahlbom* & ipse; e messe, quam sub itinere Lapponiæ Lulensis 1843 reportavit D. Doct. *Andersson* specimina utriusque sexus mihi etiam communicata.

♂♀. Simillimus præcedenti, sed magnitudine paullo majore, tarsis anticis in ♂ nonnihil tenuioribus & subnudis, & alis marginem interiorem maculis 3 cinerascentibus in utroque sexu, sine dubio distinctus. Caput, antennæ, palpi, stethidium, metathorax & abdomen omnino ut in priori constructa & colorata. Alæ etiam ut in illo, sed præterea maculæ 3 adsunt cinerascentes plus minusve obsoletæ l. conspicuæ, quarum 1:ma intra apicem alæ, 2:da fere in medio marginis interioris & 3:tia etiam ad marginem interiorem versus basin. Halteres albi. Pedes ut in *C. Histrione* constructi & picti, sed tarsi antici nudiusculi & forte paullo graciliores; horum tarsorum articulus 1:mus forsitan etiam tibia paullulum longior, nec exacte æqualis. Femora omnia ad apicem annulo pallido. — *Femina* mari similis, sed differt: antennis brevibus, obscuris, absque pluma, abdomine crassiori, pedibus posterioribus tantum breviter puberulis, & denique femoribus anticis basi plerumque testaceis.

Phal. 2. Alæ immaculatæ l. subimmaculatæ (interdum puncto medio fusco obsoleto).

74. *Chir. armillatus:* "flavo-viridis, thoracis vittis,

pectore, macula laterali margineque metathoracis postico nigro-piceis; pedibus anticis nigro-fuscis, articulo tarsorum primo basi albo; *maris* tarsis anticis barbatis. ♂♀. (Long. 3—2½ lin.)". *Stæg.*

Stæg Dipt. Dan. 1840. p. 566. 22. ♂♀.

Hab. in Dania, teste D. *Stæger;* sed neque locus specialis, neque frequentia indicata; species in Svecia mihi non obvia.

♂♀. "Differt a *Ch. nigrimano* (54): thoracis vittis, pectore, macula laterali ovali sub radice alarum, metathoracisque postico, piceis; alis minus albidis, nervis ad costam brunneo-flavis; pedum anticorum femoribus, tibiis tarsisque nigro-brunneis, horum articulis 2:do, 3:tio & 4:to æque longis, articulo 1:mo basi albo; & denique maris tarsis anticis valide nigricanti-barbatis". Stæg. l. c.

75. *Chir. albo-fasciatus:* "viridis, vel flavo-viridis, thorace obsolete vittato; articulo 1:mo tarsorum omnium albo, reliquis tibiisque anticis nigro-fuscis. ♀ (♂?). (Long. 2 lin.)". *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 566. 23. ♀ (♂?).

Hab. in Dania mense Majo non raro, D. *Stæger;* in Svecia haud observatus.

"*Mas?* tibiis omnibus flavo-viridibus, tarsis pallide fuscis, nigro-geniculatis, articulo 1:mo albo, tarsis anticis barbatis. Long. 2½ lin."

"*Fem.* Colore gramineo. Thorax interdum flavo-viridis, vittis obsoletis. Tibiæ anticæ nigro-brunneæ. Tarsorum omnium articulus 1:mus albus apice niger, reliqui obscuri; tarsorum anticorum articuli 2:dus, 3:tius & 4:tus æque longi."

"*Obs.* Ut *mas* hujus habentur aliquot individua tibiis anticis flavo-viridibus & 3 l. 4 articulis tarsorum paullulum obscuris apice nigris. Tarsi antici barbati". Stæg. l. c.

76. *Chir. biannulatus:* "viridis unicolor; tarsis nigris, albo-biannulatis, tibiis anticis apice fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—2 lin.)". *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 567. 24. ♂♀.

Hab. in Dania; uterque sexus ad aquam, mense Septemb. rarius, D. *Stæger;* mihi ignotus.

♂♀. "Similis priori, sed totus viridis unicolor. Tarsi omnes nigri, annulis 2 albis, qui in tarsis anticis dimidietatem anticam articuli 1:mi & fere totum articulum 2:dum occupant, sed in tarsis intermediis & posticis parum ultra dimidietatem articulorum 1:mi & 2:di. Apex tibiarum anticarum in ♀ annulo lato obscuro, in ♂ tantum puncto nigro pictus. Tarsi maris paullo pilosi". Stæg. l. c.

77. *Chir. albimanus:* niger, nitidus, tarsorum anticorum articulo 1:mo toto albo; tibiis tarsisque posteriobus pallide fuscis; antennis brunneis; alis albis, nervis ad costam brunnescentibus; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{4}$ longiori. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{8}$, ♀ $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 40. 45 ♂♀. Macqv. Buff. I. 56. 40. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 574. 48. ♂♀. *Chir. annularis* Panz. Fn. Germ. 109. 19. ♂. videtur.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; utrumque sexum in Scania ad Lund 1845 inveni, & iterum in horto proprio 6 Maj. 1850 marem legi; in silvis & Fagetis Daniæ Majo & Junio sat raro lectus a D. *Stæger*, qui etiam specimen masculum mihi misit.

♂♀. Tarsorum anticorum articuli 1:mi proportione & toto colore albo a celeris dignotus. Totus niger, nitidus. *Mas:* an-

tennæ brunneæ, pluma dilutiori (in vivo obscura). Abdomen filiforme, segmentis 3 ultimis latioribus, depressis; griseo-hirtulum, basi subfuscum, appendiculis caudalibus parvis fuscis. Alæ albidæ, immaculatæ, nervis ad costam dilute brunneis l. in mortuo testaceis. Halteres albi. Pedes obscure brunnei, metatarso antico toto albo, tibiis tarsisque posterioribus l. saltem posticis flavidis. Femora basi quoque sæpe flavescunt. In pedibus anticis articuli: 1:mus tibia breviuscula saltem $\frac{1}{4}$ longior, at 2:do fere duplo longior, albus, 2:dus, 3tius & 4:tus subæque longi, & 5:tus brevissimus, fusci. — *Femina:* mari similis, paullo brevior, antennis absque pluma, abdomine crassiori, & metatarso antico apice anguste dilute brunneo, differt.

78. *Chir. plebejus:* niger, nitidus, pedibus fuscis, tarsorum anticorum articulo 1:mo basi albo; tibiis tarsisque posterioribus dilute fuscis; antennis brunneis; alis albidis, nervis ad costam pallide brunneis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia paullo longiori. ♂. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 40. 44. ♂. Macqv. Buff. 1. 56. 41. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 574. 49. ♂.

Hab. cum præcedente rarius.

♂. Simillimus priori & vix nisi tarsorum anticorum articulo 1:mo basi, nec toto, albo. Celeberrimo *Stæger,* qui putat hunc tantum antecedentis varietatem esse, libenter consentio.

79. *Chir. incisuratus (intersectus* Stæg.): "ater holosericeus; thorace incisurisque abdominis nitidis (♂); aut humeris, abdominis basi ventreque flavis (♀); pedibus nigro-fuscis, tibiis posterioribus fascia obsoleta alba. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ $\frac{2}{3}$ lin.)." *Stæg.*

Chir. intersectus Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 574. 50. ♂♀.

Hab. in Daniæ plantis aqvaticis medio Septembris copiose, D. *Stæger;* a me non rite cognitus.

"*Mas:* antennæ nigro-plumosæ. Caput, thorax, scutellum & metathorax nigra nitida. Abdomen nigrum, segmento 1:mo, annuloque lato in reliquis, nitidis. Apex caudæ albus. Venter in vivo pallide flavus. Halteres albo-flavi. Alæ hyalinæ, albæ. Coxæ nigræ, nitidæ. Pedes nigricantes, tibiis fascia alba obsoleta, in tibiis anticis vix conspicua."

Fem.: humeri, pectoris latera ex parte, abdominis 1:mum segmentum, & venter flava; de cetero ut in mare.

Obs. Nomen *intersectus* jam de alia *Chironomi* specie a Stægeri longe diversa usitatum; vide Meig. Dipt. 7. 8. 136.

80. *Chir. tibialis:* ater, nitidus; antennis brunneis; alis albis; pedibus obscure brunneis, tibiis omnibus medio fascia latiuscula alba; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia elongata fere duplo breviori. ♂. (Long. circiter 1 vel 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 41. 47. ♂. Macqv. Buff. 1. 56. 42. ♂.

Hab. in Svecia rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena in frutice 4 Aug. 2 individua inveni.

♂. Descr. ins. exsiccati. Totus niger nitidus. Antennæ brunneæ. Alæ lactescentes, omnino immaculatæ, nervis albis. Halteres albi Abdominis incisuræ tenuiter pallidæ. Pedes subnudi obscure brunnei, tibiis omnibus fascia media lata alba. Tarsi graciles, plus minus dilute brunnei. Tarsi antici nudi, horum articulus 1:mus tibia elongata fere duplo brevior, at articulo 2:do circiter ¼ longior; reliqui longitudine sensim decrescentes.

Obs. Forsitan in vivo thorax lateribus "virescens", qualis a *Macqvarto* l. c. describatur; quod tamen observare mihi non licuerit.

81. *Chir. bicinctus:* ater, nitidus, thoracis vittis hu-

meralibus abdominisque segmento 1:mo 4:toque flavis; antennis nigro-brunneis; alis albis; pedibus nigricantibus, tibiis medio fascia lata nivea, tarsis posterioribus albis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{3}$ breviori, cauda albicante. ♂♀. (Long. circiter 1—1$\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 41. 48. ♀. var. — Macqv. Buff. 1. 56. 44. ♀. Zett. Ins. Lapp. 812. 17. ♂♀. *Chir. dizonias* Meig. Dipt. 6. 252. 101. ♂♀. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 575. 51. ♂♀.

Hab. in fruticibus & graminosis, per Scandinaviam Jul. Aug. & imprimis Septembr., vulgaris, etiam in copula pluries deprehensus; scilicet in Scania ad Lund ex. gr. in horto proprio ♂♀ 4—12 Sept. 1849 frequens, ad Kjellby ♀ 17 Maj., etiam alibi; in Ostrogothia ad Wadstena 4—7 Aug. ♂♀ minime raro; in Gottlandiæ pratis ad Öja 7—8 Jul. ♂♀ copiose; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Wilhelmina passim; in Dania "satis parce", *Stæger;* in Töien ad Christianiam Norwegiæ, D. *Siebke* ♂ 30 Maj. 1849.

♂♀. Nitidus, glaber. *Mas:* antennæ nigricantes, summo apice certo situ albescente. Caput cum palpis nigrum. Stethidium nigrum, humeris maculis flavicantibus vittas inchoantibus. Abdomen filiforme, hirtum, nigrum, segmentis 1 & 4 totis flavis, in mortuo sæpe albidis. Incisura segmenti 2:di etiam anguste pallida. Anus paullo crassior, appendiculis caudalibus albis. Alæ albo-hyalinæ, certo situ lacteæ, nervulo transverso medio fusco. Halteres albi. Pedes nigricantes, femoribus saltem anticis ima basi pallescentibus. Coxæ anticæ etiam pallescunt. Tibiæ omnes in medio late niveæ. Tarsi posteriores puberuli, albi, articulatione anguste nigricante. Pedes antici: femur & tibia fere æque longa, tarsorum nudorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{3}$ brevior, reliqui articuli longitudine sen-

sim decrescentes. — *Femina* mari similis, sed differt: antennæ non plumosæ; stethidium flavum, thoracis vittis dorsalibus 3 latis subconfluentibus, scutello, metathorace & sterno nigris: abdomen crassum, puberulum, stylis analibus parvis albis; venter flavus; alarum nervi ad costam pallide subbrunnescentes. Reliqua ut in mare.

Var. b. ♂. similis a., sed differt: thoracis dorso flavo vittis 3 latis nigris, ut & abdominis fascia flava 2:da latiori segmentum etiam 5:tum ex parte occupante; Lundæ in horto meo cum var. a. 4 Sept. captus.

Var. c. ♂♀. Descriptio insecti vivi. Similis supra descriptæ varietati a., sed ♂ thorace fere toto nigro, abdominis fasciis glaucis; & ♀ omni colore viridi-flavo, qui in a. flavus deprehenditur. — Capta in horto proprio 6 Maj. 1850. *Mares* choreas ducentes, *feminæ* juxta inter frutices volantes.

82. *Chir. tricinctus:* nitidus, glaber; antennis brunneis; alis albo-hyalinis; pedibus nudis nigris, femorum basi, tibiarum fascia media lata, tarsorumque posteriorum basi, albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata fere duplo breviori; *mas:* ater, thoracis dorso flavo, vittis 3 nigris subconfluentibus, abdomine fasciis 3 flavis, cauda alba; *femina:* flava, thoracis vittis dorsalibus 3 latis, scutello, metathorace, sterno, abdominisque dorso fasciis 3, nigris. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 41. 49. ♀. Macqv. Buff. 56. 45. ♀. Stæg. Dipt. Dan. p. 576. 52. ♂♀.

Hab. in fruticibus & graminosis, libenter locis uliginosis, a 24 Julio usque ad 15 Sept. mihi sat vulgariter obvius; scilicet in Scania ad Lund & Kjeflinge sat frequens; in Ostrogothia parce; in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila; in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mulfjellen in Aspidio Fil. femina uterque sexus fere ad

regionem nivalem (circiter 3000 ped. supra mare) adscendens, non raro; in Bottnia boreali (Lappon. Lulensi ?), D. *Andersson*; in Dania sat raro, D. *Stæger*, qui etiam specimina communicavit.

♂♀. Abdominis pedumque pictura metatarsorumque anticorum brevitate distinctus. Totus nudus. *Mas:* caput flavescens, oculis palpisque nigris. Antennæ brunneæ, pluma summo apice albicante. Stethidium flavum, vittis dorsalibus 3 latis, interdum confluentibus, pleurarum puncto ante radicem alarum, sterno, scutello & matathorace nigris, nitidis. Abdomen angustum, atrum, holosericeum, segmentis 1:mo, 4:to & 7:mo pallide flavis, incisurisque reliquorum etiam tenuiter pallidis. Anus paullo crassior, appendiculis caudalibus albis. Alæ cinerascenti-albo-hyalinæ, immaculatæ, nervis ad costam sordidis. Halteres albi. Pedes nudi, nigri (antici atri), coxis anticis totis femoribusque omnibus basi anguste pallidis. Tibiæ omnes medio fascia lata nivea. Tarsi intermedii articulis 2 primis, & postici articulis 3 basalibus, albis. Pedum anticorum tibia femori subæqualis l. paullo tantum longior, tarsorum articulus 1:mus tibia circiter duplo brevior, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes, omnes breviter puberuli, sed non barbati.

Femina: subsimilis mari, sed in variis differt: nempe antennis absque pluma; abdomine crassiori, flavo, dorso fasciis 3 nigris, quarum 1:ma in segmentis 2 & 3 locata, geminata, 2:da in segmentis 5 & 6 etiam geminata seu per incisuram segmentorum flavam divisa, 3:tia anali seu segmentum ultimum occupante; & tandem femoribus præsertim posterioribus multo latius flavis.

83. *Chir. trifasciatus:* flavus (♀), nitidus, glaber, thoracis vittis dorsalibus 3 angustis, scutello, metathorace, sterno, abdominisque dorso fasciis 3, nigris; antennis brunneis; alis albo-hyalinis; pedibus nudis nigris, femo-

rum basi, tibiarum fascia media latissima, tarsorumque posteriorum basi, albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata fere duplo breviori. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Panz. Fn. Germ. 109. Tab. 18. ♀. (thoracis vittis nigris immerito confluentibus). Meig. Dipt. 1. 42. 50. ♀. Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 576. 53. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania ad Esperöd 20 Jul. 1843; in Dania, D. *Stæger.*

♀. Simillimus priori & forte tantum ejus varietas pallidior; sed thoracis vittis dorsalibus nigris paullo angustioribus magis discretis, fasciis vero abdominis flavis tibiarumque niveis latioribus diversum, auctioritate *Meigeni* ut distinctum propono. Coxæ saltem anticæ totæ & femora omnia basi pallide flava. De cetero ut ♀ antecedentis.

84. *Chir. Motitator:* nitidus, glaber; antennis brunneis; alis albis; pedibus nudis nigris, femorum basi, tibiarum fascia media lata, tarsorumque posteriorum basi albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata duplo breviori; *mas:* ater, thoracis dorso flavo, vittis 3 latiusculis nigris, abdominis segmento 1:mo flavo, reliquorum incisuris albidis, cauda alba; *femina:* flava, thoracis vittis dorsalibus 3 latis, scutello, metathorace, sterno abdominisque cingulis nigris. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 45. 55. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 57. 48. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 812. 16. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 577. 56. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 2. 22. (sexu non allato). *Tipula motitatrix* Linn. Fn. Sv. n:o 1760. ♂♀. Fabr. Ent. Syst. 4. 243. 44. Schrank Austr. p. 430. 872. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 38. 2.

Hab. in Scandinaviæ graminosis & floribus, Julio, Sept.

passim; scilicet in Scania hinc inde; in Svecia superiori & Lapponia (ad Åsele) rarius; in Dania etiam raro occurrit. (E Kilia, a D. *Wiedemann* missus).

Mas: antennæ brunneæ, summo apice albicante. Palpi obscuri. Stethidium flavum, thoracis vittis dorsalibus 3 latiusculis nitidis, pleurarum puncto ante alas, sterno, scutello metathoraceque atris. Abdomen angustum, atrum, holosericeum, segmento 1:mo flavo (in mortuo albido), reliquorum incisuris tenuiter pallidis, appendiculis ani albidis. Alæ albæ, immaculatæ, nervis albis; certo situ lacteæ. Halteres albi. Pedes nudi nigri, tibiis omnibus medio late niveis. Coxæ saltem anticæ totæ, & femora antica basi anguste, posteriora late (fere ultra medium), flava. Tarsi antici toti atri, intermedii articulis 2 primis, & postici articulis 3 basalibus, albis.

Femina: antennæ non plumosæ. Abdomen crassius, flavum, dorso lineis transversis nigris.

Obs. Color flavus in vivo sæpe virescit.

85. *Chir. sylvestris:* ater, nitidus, thoracis dorso flavo, vittis 3 plus minusve latis, nigris; antennis brunneis; alis albis; abdominis basi, fasciisque (1 vel 2) in medio vel pone medium, flavis; pedibus albis, genubus omnibus, tibiis omnibus apice, tarsis anticis totis, posterioribusque apice, nigris; *maris* tarsis anticis subnudis, articulo 1:mo tibia elongata duplo breviori, cauda alba. ♂♀. (Long. ♂ fere $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.).

Fabr. Antl. 47. 46. (testantibus *Wiedemann* & *Meigen*). Meig. Dipt. 1. 43. 53. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 812. 18. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 576. 54. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 2. 21. *Chir. vibratorius* Meig. Klassif. 16. 13.

Hab. in Scandinaviæ præsertim meridionalis graminosis & fruticibus mense Majo & iterum Aug. & Sept.

vulgaris in vicinitate aquæ, in copula quoque deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Kjeflinge, Lomma (in litore maris), Skanör &c., sæpe copiose; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Wamlingbo (5 Jul.) ♂ parce; in Dalecarlia ad diversorium Smedby raro; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina semel; in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke*; in Dania frequens. (Ad Rosenthal prope Gryphiam Jun. 1844 a D. *Dahlbom* etiam lectus).

♂♀. Summa præcedentis similitudo, & abdominis pictura fere unice differt. *Mas:* caput fusco-flavum. Antennæ brunneæ, apice albicantes. Oculi nigri. Palpi obscuri. Stethidium flavum, vittis 3 magis minusve latis, interdum confluentibus, puncto pleurarum, sterno, scutello & metathorace nigris. Abdomen angustum, atro-holosericeum, plerumque segmento 1:mo toto, 4:to & 5:to basi late, flavis; sed pictura multo ludit, ut in varietatibus infra allatis. Incisuræ sæpissime pallidæ. Anus rotundatus, niger, appendiculis caudalibus albis. Alæ albæ, immaculatæ, certo situ lacteæ. Halteres albi. Pedes nudi, antici nigri, femoribus basi plus minus late pallidis, tibiis medio latissime niveis; posteriores albi, geniculis non late, tibiarum apice anguste, tarsisque articulis 2 vel 3 ultimis nigris l. brunneis. Tarsi antici subnudi seu breviter tantum puberuli, toti atri, articulo 1:mo tibia elongata duplo breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus, omnino ut in priori.

Femina: flava. Antennæ fuscæ. Oculi nigri. Palpi obscuri. Thoracis vittæ dorsales modice latæ, pleurarum punctum juxta radicem alarum, sternum & metathorax nigra. Abdominis dorsum nigrum, segmento 1:mo & ventre flavis, incisuris dorsalibus in individuis tumidis etiam pallescentibus. Alæ, halteres & pedes ut in ♂.

Observante *Stæger* sequentes varietates obveniunt, nempe:

Var. a. thorace flavo, nigro-vittato; abdomine atro, segmento

1:mo 4:toque totis, 2:do 5:toque basi flavis. (*C. triannulatus* Macqv. Buff. 1. 57. 46?).

Var. b. ♂. ut in a., segmento 4:to supra macula nigra.

Var. c. ♂. thorace nigro, humeris flavis, abdominis segmentis 1:mo toto, 4:to 5:toque basi anguste flavis.

Var. d. ♂. abdomine atro, basi flavo, incisuris pallide flavis. (*C. marginatus* Macqv. l. c. n:o 49. ♂).

Var. e. ♀. abdomine flavo, supra atro, segmento 7:mo flavo, puncto laterali nigro.

Var. f. ♂. ut in var. d., tibiis anticis fuscis.

86. *Chir. ornatus:* flavus (♀), nitidus, thoracis vittis dorsalibus 3 angustis, sterno, metathorace, abdominisque dorso, atris, incisuris pallidis; antennis brunneis; alis pedibusque nudis albis, genubus, tibiarum apice, tarsis anticis totis, posterioribusque apice, nigris; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata duplo breviori. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 43. 52. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 577. 55. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali valde rarus; in Scania a *B. Fries* olim aliquoties captus; in Dania a D. *Stæger* semel inventus.

♀. An specie distincta? A *C. trifasciato* (83) & *sylvestri* (85) parum discrepat. Flavus, capite palpisque concoloribus. Thoracis vittæ dorsales nigræ angustæ; ab horum media lineola tenuis nigra ad scutellum extenditur, ut in priori. Sternum in nostris speciminibus nigrum. Scutellum flavum. Metathorax niger. Abdomen flavum, dorso in meis individuis nigrum, segmento 1:mo, incisurisque mediis & anteanalibus late, reliquis anguste, pallidis. Alæ albæ, immaculatæ. Halteres albi. Pedes nudi, albi, genubus modice late, tibiarumque apice modice anguste, nigris. Tarsi antici toti atri. Tarsorum posteriorum articuli 2 l. 3 ultimi obscuri.

87. *Chir. annulipes:* nitidus, glaber; antennis obscuris; alis albis; pedibus nudis, nigris, femoribus basi pallidis, tibiarum fascia media latissima, tarsorumque posteriorum basi, albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata saltem $\frac{1}{3}$ breviori; *mas:* ater, humeris, abdominis segmento 1:mo, incisuris mediis & anteanali flavidis, cauda alba, tarsis anticis pubescentibus; *femina:* flava, palpis obscuris thoracis vittis dorsalibus 3 latis, pleurarum puncto ante alas, sterno, scutello, metathorace abdominisque dorso nigris. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 1 lin.)

Meig. Dipt. 1. 42. 51. ♀. & 6. p. 244. ♀. Macqv. Buff. 1. 57. 47?? ♀. Zett. Ins. Lapp. 813. 19. ex parte. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 577. 57. ♀.

Hab. in Scandinavia mens. Julio & Aug. passim; scilicet in Scania ad Östra Torp in litore maris, Skanör ad litus maris, &c.; in Gottlandiæ pratis ex. gr. ad Östergarn prope Grågarnshuk & uterque sexus ad Slitö; in Ostrogothia ad Wadstena, *Fries;* in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Dania, D. *Stæger*, sed locus specialis non indicatus.

♂♀. Descriptio mortui. Similis *C. Motitatori* (84). *Mas:* caput cum palpis nigrum. Antennæ nigro-brunneæ, pluma apice albicante. Stethidium atrum nitidum, thoracis limbo antico inæqualiter flavo vittas inchoantes indicante. Abdomen angustum, parum pubescens, holosericeum, atrum, segmento 1:mo toto, 4 & 5 basi fusco-flavidis, 7:mo quoque fusco. Incisuræ vix albicantes. Anus crassiusculus ater, appendiculis brevibus albis. Alæ albæ, immaculatæ. Halteres albi. Pedes nudi, nigri; antici coxis totis femorumque ima basi flavis; posteriores femoribus basi anguste pallidis. Tibiæ omnes medio late niveæ. Tarsi antici pubescentes l. breviter pilosuli, sed non distincte barbati, toti atri; posteriores articulis

2 l. 3 basalibus albis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia elongata saltem $\frac{1}{3}$, sed non duplo, brevior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Femina: caput flavum, oculis palpisque nigris. Antennæ obscuræ. Stethidium flavum, thoracis vittis dorsalibus plus minus latis, puncto pleurarum, sterno metathoraceque nigris. Abdomen crassiusculum, supra nigrum, segmento 1:mo toto, & mediis basi fusco-flavis. Venter sordide flavus. Alæ, halteres & pedes ut in ♂, sed femora basi paullo latius pallidi, & tarsi antici nudi.

88. *Chir. tremulus:* ater, nitidus, thoracis dorso flavo, vittis 3 confluentibus nigris; antennis brunneis; abdominis basi pallescente; appendiculis analibus albis; alis cinereo-hyalinis; pedibus nudis nigris, tibiarum fascia media tarsorumque articulis mediis albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia longiuscula $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{3}$, ♀ $1\frac{1}{8}$ lin.).

Fabr. Antl. 40. 9. Meig. Dipt. 1. 45. 56. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 58. 51. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 577. 58. *Tipula tremula* Linn. Fn. Sv. p. 436. n:o 1762. Syst. Nat. 2. 975. 31. Fabr. Ent. Syst. 4. 244. 48.

Hab. in graminosis & fruticibus Scandinaviæ Jun. Jul. minus frequens; scilicet in Uplandia ad Upsalam, *Bergman*, teste *Linné;* in Medelpadia 18 Jun. ♂ rarius, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan prope jugum alpinum uterque sexus d. 16 Jul. 1840 non parce, ipse; in Danorum Seelandia 1838, D. *Schiödte*, teste *Stæger;* in Töien Norwegiæ ad Christianiam, D. *Siebke.*

♂♀. Per tarsos omnes in medio albos, ab affinibus mox dignotus. *Mas:* ater. Antennæ brunneæ, apice dilutiores. Tho-

racis dorsum flavum, vittis saltem postice confluentibus nigris, discum totum occupantibus. Pleuræ interdum pallescentes, puncto juxta alas nigro. Sternum, scutellum & metathorax nigra. Abdomen angustum, parum pubescens, holosericeum, atrum, basi (segmentis 2) pallidum (in nostris speciminibus exsiccatis aut album, aut sordide albidum). Incisuræ parum l. tenuissime tantum albidæ. Anus crassiusculus, ater, appendiculis brevibus albis. Alæ cinereæ, nec albæ, multo minus niveæ. Halteres albi. Pedes nigri, femoribus ima basi pallidis. Coxæ anticæ flavæ. Tibiæ omnes in medio late niveæ. Tarsi antici nudi, nigri, articulis 2:do & 3:tio niveis; posteriores fusci, articulis 2 & 3 albis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia elongata circiter $\frac{1}{4}$ vix $\frac{1}{3}$ brevior; reliqui longitudine sensim decrescentes.

Fem.: similis mari, sed brevior & differt antennis non plumatis, abdomine crassiori, alarum nervis ad costam subinfuscatis, nervuloque transverso medio distinctius fusco.

Var. b. ♂. similis a., sed tarsis posterioribus etiam basi albidis. In jugo alpino ad diversorium Suul 10 Jul. rarius.

89. *Chir. Ephippium:* ater, nitidus, subglaber, thoracis limbo antico flavo; antennis nigris (♂), aut brunneis (♀); alis cinereo-hyalinis, nervis ad costam infuscatis; pedibus nudis, nigris, femorum ima basi in ♀ pallida; tibiarum fascia media in utroque sexu angusta, alba; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia elongata saltem $\frac{1}{3}$ breviori, cauda nigricante. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{3}$, ♀ $1\frac{1}{8}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 814. 27. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in Lapponia Umensi ad Lycksele ♀ 1832 inventa; ♂ in Norwegia ad Alstahaug prope Levanger 8 Jul. 1840 semel a me, & feminæ ad Töien & Throndhjem a D. *Siebke* Jul. 1844 & Maj. 1849 captæ.

♂♀. Tibiarum fascia media alba in utroque sexu angusta, nec ut in affinibus lata, & appendiculis caudalibus in ♂ nigris, nec albis, distinctus. Antennæ & palpi obscura. Oculi nigri. Stethidium nigrum. Thoracis discus dorsalis ater nitidus, limbo antico inæqualiter flavo; vel si maris: thoracis anticum & præsertim humeri flava, vittis dorsalibus 3 latissimis confluentibus atris. Scutellum & metathorax atra. Abdomen nigrum, opacum, puberulum, incisuris in ♂ tenuissime ventreque in ♀ fuscis. Anus cum appendiculis obscurus. Alæ cinereo-hyalinæ (nec albæ), nervis ad costam distinctioribus & nervulo transverso medio præsertim in ♀ fuscis. Halteres albi. Pedes nudi, nigri, nitidi, femorum ima basi flava. Tibiæ omnes in medio fascia angusta vel annulo albo. Metatarsi etiam saltem basi fusci. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia longa saltem $\frac{1}{3}$, fere duplo brevior.

90. *Chir. obscurimanus:* ater, nitidus, glaber; antennis nigricantibus; alis albis; pedibus nudis, nigris, femorum omnium ima basi, tibiarum posteriorum fascia media lata, metatarsisque posticis albis; *maris* tarsis anticis subbarbatis, articulo 1:mo tibia elongata saltem $\frac{1}{3}$ breviori. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Sveciæ meridionalis litoribus rarissime, in Scania prope urbem Skanör 19 Aug. 1838 in unico specimine inventus.

♂. Similis *Ch. fuscimano* Meig. Dipt. 6. 251. 97., sed thorace toto nigro, (nec rufo nigro-vittato), & pedibus posterioribus minus albidis, distinctus videtur. Totus ater. Antennæ nigræ, pluma summo apice albicante. Thorax nitidus. Abdomen in meo individuo ex parte læsum. Alæ albæ, certo situ niveæ, omnino immaculatæ. Halteres albi. Pedes nigri, coxis anticis totis, femoribusque omnibus basi anguste, in exemplo exsiccato albis. Tibiæ tarsique antica tota nigra. Tibiæ posteriores fascia media latissima nivea. Metatarsi posteriores

albidi. Tarsi antici pubescentes l. breviter barbati; horum articulus 1:mus tibia elongata saltem $\frac{1}{3}$, sed vix duplo, brevior, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

An *C. intersectus* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 574. 50? Cel. *Stæger* de tarsorum anticorum in ♂ vestitu omnino silet. Cfr noster *Chir. incisuratus* n:o 79.

91. *Chir. pilitarsis:* nitidus, glaber; antennis obscuris; alis albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia elongata fere duplo breviori; *mas:* niger, thoracis dorso flavo, vittis 3 latissimis subconfluentibus atris; abdominis 1:mo segmento, incisurisque tenuissime, pallidis, cauda alba; pedibus nigro-brunneis, femorum ima basi pallida, tibiis omnibus fascia media lata tarsorumque posteriorum basi albis; tarsis anticis subbarbatis; *femina:* flava, palpis obscuris, thoracis vittis dorsalibus 3 latiusculis, pleurarum puncto, sterno, metathorace abdominisque dorso nigris, hoc segmento 1:mo flavo, pedibus pallidis, geniculis tibiarum summo apice tarsorumque posteriorum articulis ultimis nigricantibus. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia boreali rarius; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Rätan parce, sed in graminosis ad radicem alpis Åreskutan 2—17 Aug. 1840 paullo frequentius utrumque sexum inveni.

♂♀. *C. unifasciato* Macqv. non absimilis videtur, sed major. *Mas:* caput cum palpis nigrum. Antennæ nigro-brunneæ, apice summo albicantes. Stethidium nigrum, thoracis dorso flavo, vittis 3 latissimis fere confluentibus atris, nitidis. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen angustum, hirtulum, atrum, holosericeum, segmento 1:mo (in mortuo) & incisuris omnibus tenuiter pallidis l. sordide albidis. Anus crassiusculus,

ater, appendiculis breviusculis subovalibus albis. Alæ albæ l. niveæ, omnino immaculatæ. Halteres albi. Pedes nigro-brunnei, femoribus ima basi testacea. Tibiæ omnes fascia media modice lata, alba. Tarsi antici pilosuli vel breviter barbati, toto nigricantes, intermedii articulis 1 vel 2, & postici articulis duobus l. tribus primis albis. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia longa fere duplo brevior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Femina: caput flavescens, antennis palpisque obscuris. Oculi nigri. Stethidium flavum, thoracis vittis dorsalibus modice latis, discretis, lineola tenui ante scutellum, puncto pleurarum ante alas sternoque nigris. Scutellum flavum. Metathorax niger. Abdomen crassiusculum, dorso nigrum opacum, segmento 1;mo toto flavo, reliquorum incisuris tenuiter albidis, segmentis penultimo & antepenultimo fusco-flavidis. Anus nigricans, stylis parvis albis. Venter totus flavicans. Alæ & halteres ut in ♂. Pedes pallidi, geniculis, tibiarumque summo apice, nigricantibus. Tibiæ fascia media lata alba. Tarsi ut in mare constructi, nudi, aut pallidi, articulatione & articulo ultimo nigricante, aut antici toti posterioresque apice fusci, hi basi albidi, aut denique antici toti nigri, posteriores toti fusci. In varietate posteriori femora etiam ab apice & ultra medium nigricantia.

Obs. Descriptos mares & feminas non quidem in copula, sed eodem loco & simul captos ad eandem refero speciem. Femina a *Ch. ornato* (86) non multum discrepat.

B. Halteres nigri aut fusci.

*) alis albis l. hyalinis.

92. *Chir. niveipennis:* niger, opacus, antennis concoloribus; thoracis dorso cinerascente, vittis 3 atris; abdominis incisuris tenuissime cinereis; alis albis, nervis ad costam fuscis, puncto medio nigro; *maris* tarsis anticis

barbatis, articulo 1:mo tibiæ subæque longo. ♂♀. (Long. ♂ 3½ fere 4, ♀ 3—3¼ lin.).

Var. a. ♂♀. scutello pedibusque nigris.

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 577. 59. ♂♀. *Ch. rudis* Fries manuscr. 1826. Zett. Ins. Lapp. 809. 3. ♂♀. *Ch. pilicornis* Meig. Dipt. 6. 254. 108. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus fuscis aut testaceis, femoribus aut concoloribus, aut totis, vel apice late, nigricantibus; scutello interdum brunnescente.

Chir. niveipennis Fabr. Antl. 42. 21. ♂.; teste D. *Stæger* l. c. — *Chir. obscurus* Zett. Ins. Lapp. 815. 31. ♂. var minor pedibus piceis.

Hab. ambæ varietates simul in foliis fruticum per prata & silvas totius Sveciæ usque in Lapponia Jun. Jul. Aug. sat vulgares; in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund &c. frequens, jam circa medium Aprilis sæpe obvius; in Ostrogothia ad Wadstena; in Uplandia ad Holmiam, D. Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Östersund, Åreskutan & Mulfjellen copiose; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Stensele frequens; Tornensi in ripis fluviorum ad Wittangi haud parce; in Dania circa Hafniam, mus. de *Sehestedt*, in Dyrehafven verno tempore non raro, D. *Stæger.* (E Finlandia olim etiam a Prof. *Sahlberg* communicatus.).

♂♀. In hac subdivisione magnus. Opacus. *Mas:* caput cum antennis plumosis & palpis nigrum. Stethidium nigrum, thoracis dorso obscure cinerascente, vittis 3 atris. Scutellum nigrum, raro brunneum. Metathorax niger. Abdomen angustum, obscure hirtum, atrum, incisuris vix l. tenuissime tantum cinereis, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, subdepressis,

appendiculis caudalibus brevibus, filiformibus, nigris. Alæ albæ l. lacteæ, nervis ad costam distinctioribus; nervulo transverso medio & basali abbreviato nigris. Halteres nigricantes. Pedes nigri, pilosi, tibiis tarsisque plerumque obscure brunneis. Tarsi antici distincte & dense fusco-barbati; horum articulus 1:mus tibiæ subæqualis l. illa nonnihil longior, sed articulo 2:do fere duplo longior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

Femina mari similis, sed paullo brevior & robustior. Antennæ nigræ non plumosæ. Abdomen crassius, griseo-pubescens, incisuris sat distincte cinereis, absque appendiculis caudalibus. Alæ ut in ♂. Halteres sæpe sordide albidi, unde hæc species in Ins. Lapp. ad subdivisionem: halteribus albidis, relata. Pedes ut in ♂, sed tarsi antici imberbes. Pedes in utroque sexu variant, ut in diagnosi indicatum.

Obs. *Chiron. niveipennis* Meig. Dipt. 1. 51. 73. ♀. ut & *Chir. pilicornis* Fabr. Antl. 39. 5. huc non pertinent.

93. *Chir. obscurus:* ater, antennis nigris; alis albis, nervis ad costam testaceis; halteribus pedibusque piceis; *maris* tarsis anticis pubescentibus, articulo 1:mo tibia salsem $\frac{1}{4}$ breviori. ♂. (♀?). (Long. fere 2 lin.).

Fabr. Antl. 40. 11. ♂♀., teste *Meigen.* Meig. Dipt. 1. 47. 60. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 578. 60. ♂♀. *Tipula barbicornis* Fabr. Ent. Syst. 4. 245. 57., teste *Meigen. Chiron.* idem Fabr. Antl. 42. 20. ♂. Meig. Dipt. 6. p. 244. *Ceratopogon barbicornis* Meig. 1. 71. 4. ♂.

Hab. in Scandinaviæ graminosis ad ripas lacuum Majo, Junio, rarius; in Dania, D. *Stæger*, qui specimina mascula mihi communicavit.

♂. Inter minores. Caput cum palpis nigrum. Antennæ cum pluma nigricantes. Stethidium atrum. Scutellum & metathorax atra. Abdomen angustum, atrum, hirtulum, incisuris haud albidis. Appendices caudales breves, ovales, nigræ. Alæ

albæ, nervis ad costam testaceis; nervulo transverso medio parum fusciori. Halteres picei. Pedes picei l. fusco-testacei, pubescentes, coxis posterioribus nigris; antici: femoribus & tibiis subæque longis, tarsis pubescentibus l. breviter pilosulis, non distincte barbatis, horum articulo 1:mo tibia fere $\frac{1}{3}$ breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

Specimen femineum sub nomine: "*Chiron. obscurus* Meig. ♀" missit D. *Stæger*. Paullo minor, Niger, antennis pilosis pallidis, articulo ultimo nigro. Thoracis dorsum cinerascens, vittis atris. Pedes testacei, coxis posterioribus nigris. Abdomen crassius, ano absque appendicibus. Tarsi antici subnudi, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ longiori. Alæ & halteres ut in ♂. An hujus femina? Sed articuli 1:mi proportio in pedibus anticis dubium excitat.

94. *Chir. nubeculosus:* "fusco-cinereus, thorace fusco-vittato; alis cinereo-nebulosis; pedibus luteis. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.)." *Meig.*

Meig. Dipt. I. 37. 37. ♂♀. Macqv. 1. 54. 34. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 569. 34. ♂♀.

Hab. ad Daniæ aquas per totam æstatem a mense Majo usque ad Septembr. vulgaris, teste D. *Stæger*; a me in Svecia haud observatus.

♂♀. Obscure fusco-cinereus (Meig.), vel cinereus (Macqv.). Antennarum pluma in ♂ brunnea. Thorax vittis obscuris. Abdomen annulis obscure brunneis. Alæ cinereæ (Macqv.), pallide cinereo-nebulosæ, absque puncto medio nigro. Halteres apice plus minusve fusci (Stæg.).

Obs. De vestitu tarsorum, eorumque articulorum proportione in pedibus anticis maris nihil afferunt Auctores citati.

95. *Ch. pictipes:* niger, nitidus; antennis pedibusque flavis, femorum anticorum apice latissime, pedumque omnium articulatione angustissime, nigro-brunneis;

abdominis incisuris albidis; alis pallido-hyalinis, immaculatis; halterum clava nigra, petiolo flavo. ♀. (Long. $2\frac{1}{8}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime, ad diversorium Skalstugan d. 16. Jul. 1840 specimen unicum inveni.

♀. Statura *Ch. rufipedis* (19), sed pictura pedum halterumque distinctus. Antennæ flavæ, apice vix fuscæ. Palpi fusci. Caput sub thorace protuberante fere occultatum, nigrum. Stethidum nigrum, nitidum, thoracis vitta laterali ab humeris ad radicem alarum indeterminata, fusca. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen subcylindricum (in mortua incurvum), pallido-pubescens, segmento 1:mo fere toto, reliquorumque incisuris sordide albidis. Alæ albido- vel cinereo-hyalinæ, basi & nervis costalibus subflavidis. Ramulus inferior nervi furcati posterioris rectiusculus, nec ad marginem interiorem distincte ciliatum recurvatus. Halteres flavi, clava determinate nigra. Pedes mediocres, pallide flavi, præsertim posteriores breviter pallide pubescentes. Coxæ fere ad apicem fuscescentes. Femora antica a medio ad apicem sat determinate nigro-brunnea. Tibiæ anticæ femore sublongiusculo vix $\frac{1}{4}$ breviores, apice non late brunneæ. (Tarsi antici in exemplo viso mutilati). Genicula posteriora summa brunnea. Tibiæ posteriores summo apice angustissime nigro-brunneæ. Tarsi posteriores apice (articulis 2 l. 3 ultimis) testacei.

96. *Chir. assimilis:* niger, opacus; antennis pedibusque brunneis (♂), aut testaceis (♀), horum articulatione nigricante; alis albidis, punctulo medio fusco; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia parum breviori. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 815. 32. ♂♀.

Hab. in Lapponiis Umensi & Tornensi, ubi 2 paria in copula 12 & 22 Jun. inveni, scilicet ad Wittangi (in fenestra) & Lycksele.

♂♀. Similis *C. obscuro* (93), sed duplo minor. *Mas:* niger. Antennæ brunneæ. Abdomen angustum, atrum, hirtum, incisuris certo situ tenuissime cinereis; segmentis 3 ultimis leniter dilatatis. Appendices caudales parvæ, subfiliformes, nigræ. Alæ albidæ, nervis ad costam (in mortuo) parum testaceis, nervulo transverso medio fusco. Halteres fusci. Pedes nudiusculi, brunnei vel testacei, geniculis anguste tibiarumque summo apice obscuris. Tarsi antici nudi; horum articulus 1:mus in specimine Lyckselensi tibiæ subæqualis, in Wittangensi tibia circiter $\frac{1}{4}$ brevior. *Femina:* similis mari, differt: antennis pilosis, testaceis, thorace subnitente (an detrito?), abdomine crassiore absque appendiculis ani.

97. *Chir. stercorarius:* ater, opacus; antennis halteribusque obscuris; alis lacteis; pedibus piceis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia elongata circiter duplo breviori. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{8}$, ♀ $\frac{3}{4}$—1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 46. 57. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 58. 52. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 815. 33. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 578. 62. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 30. *Tipula stercoraria* Degeer Ins. 6. 388. 22. Tab. 22. f. 14—20 ♀, Tab. 23. f. 1. ♂. (larva & pupa quoque adumbrantur).

Hab. per totam Scandinaviam etiam Lapponiam a primo vere ad autumnum, vulgaris, quoque in copula captus, mense Septembri mihi præsertim obvius. Larva in stercoratis degit.

♂♀. Opacus, ater. *Mas:* antennæ obscure brunneæ, apice dilutiores. Abdomen tenue, pilosulum atrum, appendiculis ani ovatis apice uncinatis ut in figura Degeerii. Alæ lacteæ, immaculatæ. Halteres obscuri. Pedes brunnei l. picei; posteriores pilosuli. Tarsi antici nudi, horum articulus 1:mus tibia elongata duplo brevior, reliqui longitudine sensim de-

crescentes. — *Femina:* mari similis, paullo brevior, antennis pilosis, brunneis, abdomine crassiori, conico, alis certo situ albis.

98. *Chir. byssinus:* ater, holosericeus; antennis brunneis, pluma in ♂ albescente; alis in utroque sexu lacteis, striga basali atra; halteribus obscuris; pedibus fuscis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia elongata fere duplo breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ ¾ lin.).

Meig. Dipt. 1. 46. 58. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 58. 53. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 815. 34. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 578. 63. ♂♀. Grönl. Antl. 1845. p. 352. 7. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 31. *Tipula byssina* Schrank Fn. Boica 3. sp. 2330.

Hab. in graminosis per Scandinaviam mensib. Aprili & Majo, & iterum Septembri, vulgaris; in copula sæpe observatus; in fenestris quoque captus; mihi verno tempore præsertim obvius; nempe in Scania ubique; in Ostrogothia ex. gr. ad Wadstena; in Gottlandia ad Gothem; in Ångermannia; in Jemtlandia ad Faxelfven; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Dania *C. stercorario* frequentior, D. *Stæger.* (♂ e Melita etiam communicatus).

♂♀. Priori simillimus, sed plerumque paullo minor, & alis ad basin lineola atra, ut & antennarum pluma in ♂ albicante, dignotus. Ater, opacus. Antennæ brunneæ, pluma in ♂ ex albido-micante. Alæ lacteæ, basi lineola abbreviata atra. Ramulus inferior nervi furcati posterioris ad marginem interiorem recurvatus. Halteres nigri l. obscuri. Pedes jam fusci l. testacei, femoribus nigricantibus, jam toti fusci l. testacei. Reliqua ut in *C. stercorario.* Affinis videtur *Chir. opaco* Meig. 6. 249. 90., qui vero halteres albos & maris antennarum plumam nigram habet.

99. *Chir. aterrimus:* ater, holosericeus; antennis, halteribus pedibusque nigris; alis albidis, nervis ad costam leniter subfuscis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia longiuscula $\frac{1}{3}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{3}$, ♀ 1 lin.).

Meig. Dipt. I. 47. 59. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 578. 61. ♂♀. Grönl. Antl. 1845. p. 353. 8. ♂♀.

Hab. ad stercorata tota æstate non raro, in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania frequens; in Helsingia; in Jemtlandia ad diversorium Berge in Alsen 8 Aug. 1840 in copula, etiam in alpem Åreskutan adscendens; in Dania haud raro, D. *Stæger.*

♂♀. Duabus proxime præcedentibus similis, sed magnitudine nonnihil majore, alis albidis, nec lacteis, nervis ad costam subfusco-testaceis, tarsorum anticorum articulo 1;mo paullulum longiori, &c., discrepat. Antennæ nigræ, pluma in ♂ apice dilutiore. Abdomen in ♂ angustum, atrum, obscure hirtum, ano parum crassiori; in ♀ crassiusculum, nigrum. Ramulus inferior nervi furcati posterioris parum arcuatus, saltem minime tam distincte ad marginem recurvatus ac in *C. byssino.* Pedes plerumque toti nigri, interdum picei, tarsis sæpe dilutioribus. Pedes postici in ♂ hirtuli. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{3}$ (nec duplo) brevior; reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

100. *Chir. minimus:* niger, subnitidus; antennis halteribusque obscuris; alis cinerascentibus, nervis ad costam subfuscis; pedibus fuscis l. testaceis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia longiuscula $\frac{1}{3}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{2}{3}$, ♀ $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 47. 61. ♂♀. Macqv. Buff. I. 59. 55. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 578. 64. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 32.

Hab. per Scandinaviam præsertim locis humidis, a vere ad autumnum, passim frequens; in copula captus; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge *(Dahlbom)*, Silfåkra &c. non raro; in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mulfjellen; in Norwegia in jugo alpino ad Kälahög atque ad Alstahaug 8 Jul. 1840 imprimis mares non parce; in Dania mares autumno frequentes, D. *Stæger.*

♂♀. Per magnitudinem exiguam & alas cinereas ab affinibus dignotus. *Mas:* antennæ nigræ, pluma obscure brunnea. Thorax niger, subnitens. Abdomen angustum, nigrum. Alæ cinerascentes, nervis ad costam fuscis. Ramulus inferior nervi furcati posterioris ad marginem recurvatus fere ut in *C. byssino.* Pedes testacei vel fusci; in speciminibus Norwegicis masculis femora magis obscura. *Femina:* mari similis, sed adhuc minor, antennis non plumatis, abdomine crassiore, diversa.

101. *Chir. flavo-nervosus:* "nigro-fuscus, flavo-hirtus; antennis pedibusque luteis; alis hyalinis, nervis crassis, flavis, costa flava. ♀. (Long. 1 lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 578. 65. ♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Similis *C. nubeculoso* (n:o 94), sed multo minor. Thorax & abdomen opaco-nigra, pilis flavidis. Antennæ & pedes flava. Alæ hyalinæ, nervis crassis flavidis, costa flava; margine interiori distincte ciliato. Halteres nigri, basi flava. Pedum anticorum tibia tantum dimidia longitudine articuli tarsorum 1:mi & 2:do paullo brevior." Stæg.

102. *Chir. lucens (lucidus* Stæg.): "niger, nitidus; pedibus piceis, femoribus nigris, alis albis. ♂. (Long. 1¾ lin.)." *Stæg.*

Stæg. Ins. Dan. 1840. p. 579. 66. ♂.

Hab. in Dania mense Sept. rarius.

♂. "Nitidus niger. Antennæ pilis nigris. Abdomen brunneo-pilosum. Pedes piceo-brunnei, femoribus nigris, anticis basi ferrugineis. Halteres sordide brunnei. Alæ albæ, basi strigula nigra." Stæg.

"Var. b. pedibus totis piceis; thoracis lateribus anticis flavis. (Long. fere 2 lin.)". "Strigula in alarum basi flavo-brunnea, nec nigra. Forte species distincta?" Stæg. Ex hac var. b. specimen ut videtur femineum in Gottlandia ad Kyllej olim inveni; sed antennis abdomineque destitutum ad debitam speciem referre non possum.

Obs. Nomen *lucidus* in hoc genere jam antea adhibitum, unde in *lucens* mutavi. Vide Ins. Lapp. 810. 5. & hujus operis pag. 3509. n:o 25.

**) alis nigricantibus.

103. *Chir. occultans:* ater, opacus; pedibus piceis; alis nigricantibus. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 254. 109. ♀. Isis 1842. p. 807. *Psilocerus* idem Ruthe, Isis 1831. 1207. *Hydrobænus lugubris* Fries, Act. Holm. 1829. p. 176.

Hab. in Scandinavia, passim abundans; in Scania circa Lund supra aquas stagnantes mense Aprili certis annis copiose obvius & currens, in copula sæpe deprehensus; in Dania D. *Stæger.*

♂♀. Per magnitudinem parvam & alas nigras mox dignotus. Volatui ineptus ut *Penthetria*. Totus ater, opacus. Alæ subangustatæ, nigricantes. Halteres obscuri. Pedes jam nigropicei, jam brunnei, jam (in juvenilibus) fusco-testacei. Pedum anticorum femora & tibiæ fere æque longa; tarsorum

articulus 1:mus tibia saltem duplo brevior, reliqui adhuc breviores, ita ut omnes articuli simul sumti tibiam longitudine parum superant. — Forte genus distinctum, cujus nomen *Hydrobænus* anciennitatem habet.

Sect. 2. Alæ hirsutæ.

a). Halteres albidi.

104. *Chir. elegans:* sulphureus, thoracis vittis fulvis; alis albis, punctis ad marginem interiorem tribus nigris; articulatione pedum brunnea, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia nonnihil breviori, albo. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 48. 63. ♂♀. T. 2. f. 7. ♀. Macqv. Buff. 1. 59. 56. *Chir. crassipes* Panz. Fn. Germ. 109. Fig. 22. ♂. certe.

Hab. in Svecia rarissime; in Scania feminam semel legi; in Ostrogoth. ad Gusum a D. Prof. *Wahlberg* inventus.

♂♀. Colore corporis pallido & alis punctis nigris in hac Sectione satis dignotus. Totus sulphureo-flavus, haud nitens. Antennæ maris pluma brunnea, feminæ flavæ, apice brunneo. Thorax antice fere in conum productus, vittis 3 fulvis, horum lateralibus postice striga longitudinali brevi nigra & ante illam puncto ejusdem coloris notatis; præterea in pectore punctula tria minuta in triangulum disposita observantur. Alæ albidæ, pallide hirsutæ, nervis costalibus flavidis. In disco alæ versus marginem interiorem observantur puncta tria parva obscura, quorum primum paullo ante medium, & duo reliqua non late distantia paullo pone medium sita, ut in figura Meigeni. Halteres pallidi. Pedes validiusculi, pallide pubescentes, flavi, articulatione dilute brunnea; anticorum tibiæ femore circiter $\frac{1}{8}$ longiores, tarsorum vero articulus 1:mus ti-

bia circiter $\frac{1}{8}$ brevior, albidus, apice brunnescens; reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

105. *Chir. punctipes:* ater, nitidus, abdomine viridi; antennis albo-plumatis (♂); alis pedibusque albis, tibiis posterioribus apice puncto nigro; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia saltem $\frac{1}{8}$ longiori. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Wiedem. Zool. Magaz. 1. 1. p. 65. 3. ♂. Meig. Dipt. 1. 27. 15. ♂. — & 6. p. 243. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 579. ♂. (♀).

Hab. in Dania tempore vernali & autumnali non raro, D. *Stæger*, qui marem mihi communicavit; in Svecia a me non observatus. (Kiliæ in silvis, Aug. captus).

♂. Caput, stethidium, scutellum & metathorax atra, nitida. Antennæ pallescentes, pluma albida, nitente. Abdomen in vivo læte viride, in mortuo sæpe albidum; postice plerumque nonnihil obscurius; totum albido-hirtum. Alæ subangustæ, albo-hyalinæ, nervis albidis; totæ tenuiter hirtæ. Halteres albi. Pedes albi, elongati, graciles, tibiis posterioribus summo apice puncto minuto nigro; posteriores albo-hirti; antici nudi, immaculati, horum tarsis valde tenuibus, articulo 1:mo tibia modice brevi saltem $\frac{1}{8}$ longiori, reliquis articulis subæque longis, singulo horum metatarso saltem $\frac{1}{3}$ breviori.

Obs. Cel. *Stæger* l. c. affert, se par copulatum semel obiter vidisse, & feminam evolantem oculo fugitivo totam viridem visam fuisse.

106. *Chir. flavipes:* nigro-fuscus, nitidus; antennis pedibusque flavis, tibiarum summo apice puncto minuto nigro; alis cinereo- albo-hyalinis, modice hirtis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 50. 67. ♀. Macqv. Buff. 1. 59. 59. ♀.

Zett. Ins. Lapp. 815. 37. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 68. ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim, mihi tantum femina Aug. & Sept. obvia; scilicet in Scania ad Kjeflinge &c.; in Bottnia boreali ad Johannis Ro, Karungi & Kengis raro; in Svecia media ad Gusum Ostrogothiæ & Holmiam Uplandiæ, teste D. Prof. *Wahlberg;* in Dania uterque sexus sat vulgaris, D. *Stæger*.

♀. Totus fusco-brunneus, subnitidus. Antennæ & palpi flava. Alæ immaculatæ, modice hirtæ, margine interiori distincte ciliato. Halteres pallidi. Pedes toti pallide flavi, tibiarum summo apice puncto exiguo nigro. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia circiter $\frac{1}{8}$ longior.

Obs. Etiam *mas* a D. *Stæger* l. c. ut inventus affertur, mihi ignotus.

107. *Chir. fuscipes:* ater; antennis in ♂ nigro-plumatis; alis albidis; pedibus piceis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia nonnihil breviori. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 49. 65? Macqv. Buff. 1. 59. 58? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 69? ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 33?

Hab. in Scandinavia tempore vernali & autumnali passim; in copula aliquoties captus; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Björnstorp &c. non raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandiæ alpe Åreskutan semel; in Dania non parce, D. *Stæger;* feminam in cacumine alpis Kälahög Norwegiæ circiter 4000 ped. supra mare elevato in ipsa nive repentem 22 Jul. 1840 quoque inveni.

♂♀. Ater. Antennæ feminæ piceæ, maris pluma nigra, apice in speciminibus vetustis brunnea. Alæ cinereo-albidæ, tenuiter hirtæ, nervis ad costam brunnescentibus l. testaceis. Halteres albidi. Pedes picei, femoribus sæpe nigricantibus. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia ejusdem paris paullo brevior.

108. *Chir. vernus:* olivaceo-niger, thorace nigro-trivittato; antennis in ♂ fusco-plumatis; alis cinereis; pedibus fuscis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia $\frac{1}{2}$ longiori. ♂♀. (Long. circiter 1—1$\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 49. 66? ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 70. ♂♀.

Hab. in Dania sat frequens, D. *Stæger.*

♂♀. "Obscure olivaceus. Vittæ thoracis nigræ nitidæ totum dorsum in ♂ occupant, sed in ♀ distinctæ, interstitiis paullo dilutioribus. Metathorax & pectus nigra, nitida. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia ejusdem paris $\frac{1}{2}$ longior, & circiter æque longus ac quatuor reliqui articuli". Stæg.

109. *Chir. modestus:* "thorace ferruginoso, vittis nigris; abdomine fusco; pedibus testaceis. ♀. (Long. 1$\frac{1}{2}$ lin.)". *Meig.*

Meig. Dipt. 6. 256. 115. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 71. ♀.

Hab. in Daniæ plantis aquaticis mense Aug., teste D. *Stæger;* mihi in reliqua Scandinavia haud obvius; nec a me visus, nisi specimen e Christiania a D. *Siebke* missum huc referre vellem.

♀. "Thorax hirtus, brunnescenti flavus; vittis 3 nigris. Scutellum ferrugineum. Abdomen hirtum, nigro-brunneum. Pedes testaceo-rufescentes. Alæ paullo cinerascentes." Meig. l. c.

Obs. *Chir. modestus* Wiedem. Dipt. exot. 1828. p. 18. 8: "viridis, thorace flavo-vittato, alarum costa, apice & tarsis fuscis. ♂. 2 lin. long. e Pensylvania", est aperte longe diversæ speciei.

110. *Chir. latus:* fusco-testaceus, hirtus, opacus; thorace fusco-trivittato; abdomine obscuriore, postice dilatato, incisuris albidis; alis cinereis; antennis pedibusque testaceis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia $\frac{1}{2}$ longiori. ♀. (Long. circit. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 72. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali minus freqvens; in Daniæ vero plantis aqvaticis mens. Jul. Aug. non raro occurrit secundum D. *Stæger.*

♀. Per abdomen obscurum, incisuris albidis, postice paullo dilatatum, ab affinibus dignoscitur. Antennæ testaceæ. Oculi nigri. Caput & stethidium sordide ferruginea, thoracis dorso hirto, antice producto, vittis 3 obscuris. Abdomen griseo-pubescens. Alæ cinerascentes, distincte hirtæ & margine interiori ciliatæ. Halteres flavescentes. Pedes flavo-testacei, posteriores pallide hirti.

Obs. Hæc species sub nomine *Chir. pilosellus* in collectione mea hactenus asservata.

111. *Chir. affinis:* viridis, thorace obscure vittato; pectore, metathorace abdominisque segmento ultimo nigris; alis albo-hyalinis; antennis flavicantibus ♂. (Long. fere 2 lin.).

Wiedem. Zool. Magaz. 1. 1. p. 66. 5. ♂. Meig. Dipt. 1. 51. 72. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 580. 73. ♂.

Hab. in Dania rarissime, a D. *Stæger* semel tantum lectus.

♂. "Antennæ pluma flavo-grisea. Thorax obscure vittatus. Pectus, metathorax & anus nigra. Alæ albo-hyalinæ, immaculatæ. Pedes virescentes, tarsorum basi flaviscenti-grisea". Wied. & Meig.

112. *Chir. dubius:* nigricans, opacus; antennis brunneis; alis cinereo-hyalinis, microscopice hirtulis; pedibus brunneo-testaceis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia breviuscula $\frac{1}{8}$ longiori. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 815. 36. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in ripa fluvii Tornensis ad Juckasjervi d. 3 Jul. 1821 tamen sat frequenter vidi, choreas in aëre ducentem; plura paria in copula etiam observavi.

♂♀. Alæ tenuissime hirtulæ, margine interiori ciliato. Halteres pallidi. Pedes (in speciminibus vetustis) testacei l. lividi, articulatione vix maculata, nisi puncto minutissimo brunneo in apice tibiarum. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia breviuscula circiter $\frac{1}{8}$ longior, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes. *Mas:* niger, antennis fuscis, pluma brunnea, alis albo-hyalinis. *Femina:* nigricans, thorace cinerascente, vittis dorsalibus latis nigris, alis cinereo hyalinis, costa testacea.

113. *Chir. tenuis:* pallide flavo-viridis, thorace prominente ferrugineo-trivittato; antennis dilute brunneis; alis albidis; pedibus pallide flavis, tarsis anticis gracilibus, articulo 1:mo tibia brevi duplo longiori. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 255. 112. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 581. 74? ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali minus frequens, in

Scania ad Lund & Esperöd captus; etiam e Christiania in specimine femineo a D. *Siebke* missus.

♂♀. Gracilis; totus pallide flavo-viridis, in exsiccato pallide flavus. Antennæ testaceæ, pluma in ♂ brunnescenti-flava. Oculi nigri. Thorax antice valde prominulus, dorso vittis 3 ferrugineis. Abdomen in ♂ subfiliforme, hirtum, in ♀ nonnihil crassius, parum pubescens. Alæ albidæ, immaculatæ, tenuiter hirtæ, margine distincte ciliatæ. Pedes tenues, toti pallide flavi, tibiarum apice puncto exiguo nigricante. Tarsi antici elongati, valde graciles, articulo 1:mo tibia brevi duplo longiori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

Obs. 1. Color flavo-virescens in abdomine etiam post mortem sæpe melius conservatur.

Obs. 2. Sub nomine: "*Chir. pusio*", individua hujus speciei olim e Dania obtinui.

Obs. 3. *Chir. tenuis* Macqv. Buff. 1. 52. 19., major, alis nudis, abdomine pedibusque nigricantibus &c., a Meigeni longe est diversus.

114. *Chir. longitarsis:* fusco-lividus, thoracis vittis 3, pectore metathoraceque obscure brunneis; alis albido-hyalinis; tarsis anticis elongatis, articulo 1:mo tibia brevi ½ longiori. ♀. (Long. circiter 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 816. 38. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele 1832 inventus.

♀. Affinis & similis videtur *Ch. longimano* Meig. Dipt. 6. 256. 114., is vero colore corporis carneo & pedum pallidiori dignoscitur. *Chir. modesto* (n:o 109) quoque accedere videtur. Caput, antennæ & stethidium glabriculum (an in detrito?) testacea, thoracis vittis dorsalibus 3 discretis modice latis, pectore metathoraceque obscure brunneis. Abdomen livido-subpellucidum. Alæ albido-hyalinæ, immaculatæ, tenuissime tan-

tum hirtulæ. Pedes lividi, femoribus versus apicem dilute brunnescentibus, tibiis tarsisque dilutioribus; posteriores pubescentes. Tarsi antici elongati, graciles, nudi, articulo 1:mo tibia brevi circiter $\frac{1}{2}$ longiori, 2:do tibiæ subæque longo, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

Obs. In Scania ad Björnstorp D. *Dahlbom* deinde etiam legit exemplum femineum descripto simillimum, & differt tantum pictura thoracis dilutius brunnea, nec obscure brunnea, & alis paullo distinctius hirtis. Anus quoque fuscus est. An species distincta? Mas forte hujus, antennarum pluma dilute brunnea, in Paradislyckan, ad Lund 24 Sept. 1849 quoque semel lectus.

115. *Chir. Pusio:* viridis, subnitidus, thoracis vittis 3, pectore metathoraceque nigricantibus; alis albo-hyalinis; pedibus viridi-flavis, tarsis anticis elongatis, articulo 1:mo tibia brevi duplo longiori. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 256. 117. ♂. an var. pallidior? Zett. Ins. Lapp. 816. 39. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 581. 75?? ♂♀.

Hab. in Scandinavia; mihi tantum in Lapponia Umensi, ad Lycksele rarissime obvius.

♂. Descr. insecti exsiccati. Antennæ fuscæ. Palpi testacei. Stethidium virescenti-flavum, thoracis vittis dorsalibus 3 modice latis, pectore metathoraceque nigricantibus. Scutellum flavum. Abdomen gracile, pilosulum, saturate viride, postice paullo obscurius. Alæ albidæ, immaculatæ, tenuiter hirtæ. Halteres flavi. Pedes graciles, flavi, posteriores pilosuli; anticorum tibiæ brevissimæ (femore $\frac{1}{4}$ breviores), tarsi elongati, articulo 1:mo tibia duplo longiori, 2:do breviter puberulo longitudine tibiæ, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

Obs. Synonyma dubia. Noster cum Meigeni diagnosi & descriptione in plerisque convenit. Stægeri alius videtur.

116. *Chir. hilarellus:* virescenti-flavus, thoracis vittis 3, pectore metathoraceque flavo-luteis; alis albis; pedibus albis, femoribus virescentibus, tibiarum apice puncto nigro; tarsis anticis maris elongatis, gracilibus, breviter puberulis, articulo 1:mo tibia saltem ½ longiori. ♂. (Long. 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 816. 40. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele Aug. 1832 inventus.

♂. *Ch. albido & pallidulo* proximus videtur. Descr. ins. exsiccati. Pallidus, parum nitidus. Antennæ pluma nitida certo situ dilute brunnescente, alio situ albo-micante. Palpi flavi. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales latæ, pectus & metathorax flavo-ferruginea l. carnea. Abdomen angustum, testaceum, pallide pilosum, incisuris tenuiter dilute brunneis. Alæ angustatæ, albæ, immaculatæ, tenuiter hirtæ. Halteres albi. Pedes graciles, albi, tibiarum summo apice puncto nigro; posteriores albo-pilosuli; anticorum tibiæ femore paullo breviores, tarsi elongati, breviter puberuli, articulo 1:mo tibia saltem ½ longiori, 2:do 1:mo duplo breviori, 3:tio antecedenti subæquali, reliquis brevioribus.

117. *Chir. flavellus:* flavus; alis albis tenuiter hirtulis; pedibus albis, tarsis anticis longiusculis, articulo 1:mo tibia brevissima fere duplo longiori. ♀. (Long. ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 816. 41. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 2 Aug. 1832 in unico exemplo captus.

♀. Descr. ins. exsiccati. Exiguus. Flavus, subnitens. Antennæ & palpi pallida. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales, pectus & metathorax dilute carnea. Abdomen immaculatum. Alæ modice latæ, albæ, certo situ lactescentes, immaculatæ,

hirtulæ, distincte ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes albi, graciles; anticorum tibiæ brevissimæ femore modice longo duplo breviores, tarsi elongati, articulo 1:mo tibia fere duplo longiori, 2:do longitudine tibiæ, reliqvis articulis longitudine sensim decrescentibus.

118. *Chir. pallidicollis:* "thorace pallido, hirto, vittis tribus, pectore metathoraceque brunneis; abdomine viridi; alis albidis; pedibus sordide testaceis, anticorum tibiis & articulo tarsorum 1:mo æque longis. ♀. (Long. 1 lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 582. 78. ♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, loco speciali & frequentia non indicatis.

♀. "Antennæ flavæ, apice nigræ. Thorax rufescenti-albus, sat longe pilosus, vittis dorsalibus, pectore metathoraceque castaneis. Abdomen prasinum, pilosum. Alæ subopacæ albido-micantes. Halteres & pedes sordide brunneo-flavæ, anticorum tibiis & metatarsis longitudine æqualibus." Stæg. l. c.

119. *Chir. flabellatus:* "carneus, thorace obscure vittato; pedibus luteis, geniculis fuscis; alis cinerascentibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)." *Meig.*

Meig. Dipt. 1. 51. 70. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 582. 79.

Hab. in Selandia Danorum, D. *Schiödte* 1838, teste D. *Stæger.* Mihi ignotus.

♂. "Antennarum pluma grisea. Stethidium carneum, vittis brunneis. Metathorax nigricans. Abdomen rufescenti-flavum, incisuris obscuris. Pedes obscure flavi, geniculis brunneis. Alæ cinerascentes, nervis conspicuis." Meig. l. c.

120. *Chir. hirticollis:* "thorace flavo, nigro-vittato, hirto; abdomine fusco; pedibus testaceis, anticorum tibiis

& tarsorum articulis quatuor ultimis æque longis; alis albidis. ♀. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Danica 1840. p. 582. 77. ♀.

Hab. in Dania mense Majo raro, D. *Stæger.* A me non visus.

♀. "Frons nigra & thorax pallide flavus distincte hirta. Abdomen obscurum, ventre flavicante. Alæ albidæ, dense hirsutæ. Pedem anticorum tibiæ æque longæ ac tarsorum quatuor ultimi articuli (simul sumti?)." Stæg. l. c.

121. *Chir. incomptus:* obscure cinerascens, opacus; pilosulus; abdomine obscuro, incisuris tenuiter albidis; alis albido-hyalinis; pedibus flavis, geniculis anguste, tibiarumque summo apice, nigricantibus, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibiam æquiparante. ♀. (Long. saltem $1\frac{1}{2}$ lin. l. ultra).

Zett. Ins. Lapp. 816. 42. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali rarius; scilicet in Bottnia boreali ad pagum Turtola prope Torneå in silva pinea d. 3 Jun. 1821 typicum inveni; deinde in Jemtlandiæ alpe Åreskutan 2 Aug. 1840, exempla 2 deprehendi; ad Trondhjem Norwegiæ, D. *Siebke.*

♀. Opacus. Caput obscurum. Antennæ testaceæ. Palpi lividi. Stethidium in melius conservatis obscure cinereum, thorace antice elevato prominente, dorso vittis 3 nigris; in detrito cinereum, dorso vestigio vittarum nigrarum. Metathorax nigricans. Abdomen modice crassum, pilosum, obscurum, incisuris tenuissime pallidis; a basi ad medium interdum (in juvenilibus) indeterminate fuscum. Alæ albido-hyalinæ, hirtæ. Halteres pallidi. Pedes flavi l. albido-flavi, coxis fuscis, geniculis anguste, tibiarumque summo apice (vix nisi puncto), nigrobrunneis; tarsorum summa articulatione & apice dilute brun-

nescentibus. Pedes posteriores pallide hirtuli. Tarsorum anticorum articulus 1:mus longiusculus tibiæ subqualis l. illa parum longior, reliqui longitudine sensim decrescentes.

122. *Chir. abdominalis:* "thorace nigro, nitido; abdomine viridi; pedibus luteis; alis cinereis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)." *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 581. 76. ♀.

Hab. in Dania mense Septembri rarius, D. *Stæger*. A me non cognitus.

♀. "Thorax vittis 3 nigris omnino confluentibus, tantum lateribus antice (in humeris) margine rufescente. Abdomen prasinum, basi pallidum. Alæ cinereæ; distincte hirtæ". Stæg. l. c.

Obs. *Chir. abdominalis* Meig. Dipt. 1. 32. 25. ♀. longe aliud est insectum & sine dubio femina *Chir. tentantis* nobis n:o 2.

123. *Chir. lætipes:* niger, parum nitidus; antennis dilute brunneis; alis albo-hyalinis, tenuissime hirtulis; abdomine pedibusque albidis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia breviuscula saltem $\frac{1}{4}$ longiori. ♂. (Long. $1\frac{1}{8}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia minus frequens, sed ad Wadstena ante plures annos mense Aug. plura specimina observavi.

♂. Similis *Ch. albipedi* Meig. Dipt. 6. 256. 116., sed magnitudine nonnihil majore, antennis dilutioribus, nec nigricantibus, &c., differre videtur. Gracilis. Caput & stethidium nigra. Antennæ cum pluma dilute brunneæ. Abdomen tenue, pallide pilosulum, in exsiccato albidum. Alæ albo-hyalinæ, immaculatæ, tenuissime hirtæ. Halteres albidi. Pedes albidi, tibiarum summo apice puncto exiguo nigricante. Tarsi an

tici elongati, graciles, articulo 1:mo tibia breviuscula $\frac{1}{4}$ longiori, 2:do 3:tio duplo breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

Obs. In Scania ad Esperöd Aug. 1818 unum marem & sex feminas, quos in collectione mea asservatos ut *Chir. lætipedis* speciem annotavi; sed cum singulari casu omnes abdomine hodie privatos deprehenduntur, identitatem affirmare nunc non possum. Antennæ, alæ & pedes similes sunt ac in *latipede*, sed stethidium in feminis obscure brunnescens, vittis dorsalibus 3 nigris ornatum.

124. *Chir. altipes:* niger, subopacus; antennis testaceis, pluma in ♂ pallido-micante; alis in utroque sexu albo-hyalinis; pedibus albis, tarsis anticis longiusculis, articulo 1:mo tibia modice longa fere $\frac{1}{4}$ longiori. ♂♀. (Long. ♂ circiter $1\frac{1}{2}$ ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia media; scilicet in Ostrogothia in litore & fruticibus juxta lacum Wettern 4—22 Aug. 1824 sat copiose vidi & plura paria in copula juncta deprehendi; alibi mihi non obvius, nisi ♀ in alpe Mulfjellet Jemtlandiæ 29 Jul. 1840 semel.

♂♀. Caput & corpus nigra. Antennæ maris dilute brunneæ, pluma certo situ albido- l. pallido-micante; feminæ flavæ, pilosæ. Abdomen in ♂ elongatum, angustum, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, subdepressis, appendiculis caudalibus parvis filiformibus; in ♀ brevius & paullo crassius; in utroque sexu distincte pilosum, nigrum, basi in diu asservatis indeterminate subfuscum. Alæ immaculatæ, hirsutæ, costa præsertim in ♀ leniter flavescenti-testacea. Halteres albidi. Pedes longiusculi, graciles, albi, coxis basi, tibiarumque summo apice puncto minuto, piceis; posteriores pilosi. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia modice longa circiter $\frac{1}{4}$ longior, 2:dus 1:mo fere (non omnino) duplo brevior, 3:tius 2:do fere æque longus, 4:tus & 5:tus breviores.

Obs. *Chir. hirtulus* Zett. Ins. Lapp. 815. 35. melius sub *Ceratopoginis* genere militat, & idem est ac *Cerat. bipunctatus* n:o 35.

b). Halteres nigri aut fusci.

125. *Chir. picipes:* ater, hirtus; antennis halteribusque nigris, alis cinereo-hyalinis; pedibus piceis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia modice longa fere dimidio breviori. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. I. 52. 74. ♂♀. Macqv. Buff. I. 60. 62. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 582. 80. ♂♀. Grönl. Antl. 1845. p. 353. 9. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 36.

Hab. in Scandinavia tempore autumnali passim; e Dania a D. *Stæger* communicatus; mihi mares tantum obvii. (Verno tempore hæc species etiam occurrit, teste *Meigen*).

♂. Ater, interdum subnitens. Antennæ nigro-plumosæ, pluma summo apice certo situ brunnescente. Palpi obscuri. Abdomen modice angustum. Alæ cinereo-hyalinæ, conspicue hirtæ, immaculatæ. Halteres obscuri. Pedes picei, posteriores pubescentes. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo brevior, h. c. longitudinem tantum circiter ⅔ totius tibiæ attingit, reliqui longitudine sensim decrescentes.

126. *Chir. fuscus:* nigro-fuscus, nitens; antennis, halteribus pedibusque obscure brunneis; alis cinereo-hyalinis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia modice longa paullo breviori. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Meig. Dipt. I. 52. 75. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 816. 43. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 582. 81. ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim; in Scania ad Lund mares mense Majo frequentes choreas ducentes vidi; ad la-

cum Torneåträsk Lapponiæ Tornensis d. 8 Jul. 1821 utrumque sexum observavi; in Dania mas tota æstate vulgaris, femina rarior, secundum *Stæger.*

♂♀. Niger, nitens, leniter brunnescens. Antennæ fuscæ, pluma maris obscure brunnea. Abdomen hirtum. Alæ albo-cinereæ, immaculatæ, hirsutæ, costa in ♀ testacea. Halteres fusci. Pedes plus l. minus obscuri, fusci aut lividi. Tibiæ & tarsi antica fere ut in priori constructa.

127. *Chir. immundus:* fuscus, pilosulus; antennis flavidis; alis cinereo-hyalinis, halteribus fuscis; pedibus flavo-lividis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 816. 44. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele in unico exemplo 1832 inventus.

♀. Similis *Ch. incompto* n:o 121, sed duplo minor, pedum geniculis non infuscatis, & denique halteribus fuscis, nec pallidis, diversus. Fuscus. Antennæ pallescentes. Abdomen lividum, ano fusco. Alæ albido-cinereæ, immaculatæ, hirsutæ. Halterum clava obscura. Pedes flavescentes, immaculati; posteriores pallide pilosuli; anticorum femora modice longa, tibiæ breviusculæ, tarsi in nostro specimine abscissi.

128. *Chir. atratulus:* ater, antennis, halteribus pedibusque concoloribus; alis albis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia fere dimidio breviori. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ fere 1 lin.).

Hab. in Töien prope Christianiam Norwegiæ, ubi 22 Apr. & 10 Maj. 1849 a D. Medic. Cand. & Conservatore *H. Siebke* inventus mecumque communicatus.

♂. Similis *Ch. stercorario* (97) & *aterrimo* (99), sed alis hir-

tulis distinctus. Totus ater, subopacus. Antennæ cum pluma totæ nigræ. Abdomen angustum, nigro-pilosum, ano leniter crassiori. Alæ albæ, immaculatæ, tenuiter hirtulæ, strigula basali brevi nigra. Halteres nigri. Pedes toti nigri, tarsis vix l. parum infuscatis; posteriores nigro-hirtuli. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibia paullo brevior, seu longitudinem tantum $\frac{2}{3}$ totius tibiæ attingit, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes.

---

222. DIAMESA Meig. Dipt. 7. p. 12.

Femina. ***Corpus*** minoris magnitudinis; elongatum. Caput parvum. Antennæ 6-articulatæ, articulis 1:mo oblongo, 2—5 globosis, pilosis, ultimo elongato, cylindrico, nudo. Oculi ovati. Frons lata, plana. Abdomen thorace longius, 8-annulatum. Alæ majusculæ, nudæ. Nervi costales sat conspicui, reliqui tenues, subobsoleti. Area basalis media sub-gemina. (Cfr. figura apud *Meigen* 7. Tab. 67. f. 1.). Halteres nudi. Pedes simplices, elongati. ***Color*** thoracis in nostra flavus, abdominis fuscus. ***Motus, habitatio & metamorphosis*** forte ut in ***Chironomo.*** ***Differentia sexus*** ignota; sexus femineus hactenus tantum descriptus (*). ***Chironomo*** valde affinis & similis, sed nervorum in alis directione leniter discrepante & oculorum forma præcipue diversa.

1. *D. notata:* "thorace nitide flavo, nigro-vittato; abdomine fusco; pedibus nigris; femoribus basi testaceis, tarsis anticis elongatis. ♀. (Long. 2 lin.)." *Stæger.*

---

*) Cel. *Stæger* etiam marem *Diam. Waltlii* Meig. e Grönlandia obtinuit (vid. Grönl. Antl. Kröjers Tidsskr. 1845. p. 353. 10.); sed hujus a femina discrimen non indicavit.

Stæg. Kröjers Tidsskr. 1840. p. 583. ♀.

Hab. in Dania rarissime; in Ordrups-mose d. 8 Sept. in unico exemplo detecta, *Stæger.*

♀. "Caput brunneo-cinereum. Palpi & antennæ obscura, hæ basi flavæ. Thorax nitidus rufo-flavus, supra distincte punctatus, vittis 3 glabris, nigris, exterioribus antice abbreviatis, intermedia integra usque a collo ad scutellum flavum. Metathorax niger sulculo longitudinali. Pectus, coxæ & abdomen nigricantia, paullo cinereo-micantia, segmentorum marginibus dilutioribus. Pedes antici nigri, tantum basi femorum rufo-flava (testacea), tarsis elongatis, horum articulo 1:mo tibia fere longiori. Pedes intermedii & postici femoribus testaceis, tibiis brunnescentibus, ambobus apice late nigris; tarsis nigris. Halteres pallidi. Alæ cinerascentes, nudæ, nervis costalibus, nervisque, qui duas illas areas basales cingunt, crassis, brunneis, reliquis obsoletis." Stæg. l. c.

Obs. In collectione mea asservatur individium femineum, ad Esperöd Scaniæ ante multos annos captum, in cujus fragmentis (relictis tantum capite sine antennis, & illæsis thorace, abdomine, alis & femoribus) *Diamesæ* species forte agnoscenda, & ni fallor, *D. Waltlii* Meig.

---

223. TANYPUS Meig.

Corpus mediæ, plerumque minoris aut parvæ magnitudinis; elongatum, puberulum. Caput parvum, sessile. Antennæ in emarginatura oculorum insertæ, porrectæ, filiformes, 14-articulatæ (radicula verruciformi non computata); maris plumosæ, articulis 12 inferioribus, globosis, 13 longissimo, 14 (ultimo) brevi, subconico; feminæ pilosæ, articulis globosis, ultimo paullo crassiori. Os haud productum. Palpi exserti, incurvi, subcylindrici, 4:articulati, articulo 1:mo breviori, ultimo elongato. Oculi reniformes, in fronte paullo remoti. Ocelli nulli. Tho-

rax ovatus, convexus, capite altior, antice nonnihil protuberans, absque sutura transversa. Scutellum mediocre. Pectus subelevatum. Metathorax semiovalis, subgibbus, medio furculo longitudinali impressus. Abdomen thorace multo longius, angustatum (præsertim in ♂); 8-annulatum. Alæ subangustatæ, deflexæ, plerumque hirsutæ, margine interiori sæpissime ciliatæ. Nervi subquatuor longitudinales usque ad marginem interiorem alæ descendunt, sæpissime obsoleti; adsunt præterea 1 vel 2 nervi longitudinales versus basin alæ, sed hi valde obsoleti & plerumque abbreviati marginem non attingunt. Duo illi nervi furcati in medio aut fere ante medium alæ inchoantur. Nervi ad costam distinctiores. Area basalis media gemina, qua nota hoc a *Chironomi* gennere ex parte dignoscitur. Halteres parvi, nudi. Pedes simplices, inermes, hirsuti; antici in insecto quiescente porrecti, interdum libere in aëre vibrantes, tarsis elongatis. Coxæ mediocres. Ungves & pulvilli minuti. *Color* niger, cinereus, flavidus, albidus, vix umquam virescens. Pictura thoracis vittis sæpe 3 dorsalibus subelevatioribus colore saturatiore. *Motus, habitatio & mores* ut in *Chironomo. Larva* elongata, vermiformis, aquatica. *Pupa* nuda, vagans. *Differentia sexus; mas:* antennis dense plumosis, articulo penultimo longissimo, abdomine angustato, lineari, piloso, segmentis 3 ultimis sæpe nonnihil latioribus, subdepressis, appendiculis caudalibus parvis, incurvis, tarsis anticis interdum barbatis; *femina:* antennis pilosis, articulis omnibus subæqualibus, ultimo tantum nonnihil validiori, abdomine paullo crassiori, sublanceolato, pubescente, tarsis anticis semper nudis. — *Typus* generis: *Tanypus varius.*

A. Corpus nigricans, cinerascens aut fuscum (abdomine interdum pallide annulato; corpore in *T. pallicorni* n:o 16 saturate testaceo).

*). Alæ nudæ (in *T. crassinervi* n:o 5 subhirtulæ. *T. ferruginicollis* alis nudiusculis sub n:o 37 quærendus).

1 *plumipes* Fries ♂♀. 2 *turpis* Zett. ♂♀. 3 *nervosus* Meig. (an *Tan. nigrimanus* Meig. & *Chiron. barbicornis* Fabr. hujus variet.?) ♂♀. 4 *consobrinus* Zett. n. sp. ♀. 5 *crassinervis* Zett. ♂♀. 6 *lacteipennis* Zett. ♂♀. 7 *Morio* Zett. ♂. 8 *nudipes* Zett. n. sp. ♂♀. 9 *pubitarsis* Zett. n. sp. ♂♀. 10 *lugubris* Zett. n. sp. ♂.

**). Alæ hirsutæ.

11 *nebulosus* Meig. ♂♀. 12 *punctipennis* Meig. (*T. cinctus* Panz.) ♂♀. 13 *barbitarsis* Zett. n. sp. ♂♀. 14 *signatus* Zett. n. sp. ♂♀. 15 *choreus* Meig. (non Fries) ♀. 16 *pallicornis* Zett. (*T. choreus* Fries) ♀. 17 *culiciformis* Fabr. ♂♀.

B. Corpus aut totum aut saltem ex parte pallidum (in ♀ *T. monilis* n:o 19 fere totum fuscum). Alæ hirtæ (in *T. ferruginicolli* n:o 37 subnudæ).

18 *varius* Fabr. ♂♀. 19 *monilis* Linn. (*Tip. maculata* Deg.) ♂♀. 20 *punctatus* Fabr. ♂♀. 21 *notatus* Meig. ♂. 22 *lentiginosus* Fries ♂♀. 23 *sordidus* Zett. ♂♀. 24 *maculipennis* Zett. ♀. 25 *unifascipennis* Zett. ♀. 26 *trifascipennis* Zett. ♂♀. 27 *lætus* Fries ♂♀. 28 *carneus* Fabr. (*Tan. albipes* Fries) ♂♀. 29 *Melanops* Meig. (*Tip. Arundineti* Linn.? ♂ — *Tanyp. bicolor* Fries) ♂♀. 30 *nubilus* Meig. ♀. 31 *binotatus* Wiedem. ♂ (& ♀). 32 *nigro-punctatus* Stæg. ♂♀. 33 *melanurus* Meig.? ♂. 34 *annulatus* Stæg. (*Tan. flabellicornis* Meig.?) ♂. 35 *dubius* Stæg. ♂. 36 *longimanus* Stæg. ♂. 37 *ferruginicollis* Meig. (*Chiron. Tanypodipennis* Fries, Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 38 *crassipes* Zett. ♀.

Tanypus.

A. Corpus nigricans, cinerascens aut fuscum (abdomine interdum pallide annulato; corpore in *T. pallicorni* n:o 16 saturate testaceo).

*). Alæ nudæ (in *T. crassinervi* n:o 5 subhirtulæ. *T. ferruginicollis* alis nudiusculis sub n:o 37 quærendus).

1. *T. plumipes:* fuscus l. griseus, opacus, thoracis dorso vittis tribus latis obscurioribus, media gemina; alis albidis, nervulo transverso infuscato; pedibus flavis, geniculis tarsorumque apice brunneis; *mas:* antennis nigris, tarsis anticis distincte barbatis; *femina:* antennis fuscis, tarsis anticis nudis. ♂♀. (Long. ♂ saltem $3\frac{1}{4}$, ♀ 3 lin.).

Fries Monographia Tanyporum Sveciæ, Lundæ 1823. p. 9. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 258. 22. ♂♀. (e descript. Fries. transscript.) Stæg. Dipt. Dan. in Kröjers Tidsskr. 1840. p. 589. 17. ♂♀.

Hab. in Svecia meridionali rarius; in Scania ad Lund mensibus Martio—Majo certis annis deprehenditur, beat. *Fries* (qui metamorphosin etiam observavit & l. c. descripsit) & ipse; in Dania rarius, D. *Drewsen*, teste D. *Stæger* l. c.; in Uplandia ad Holmiam, teste Prof. *Wahlberg*.

♂♀. Inter nostrates hujus generis maximus, pilositate tarsorum anticorum in ♂ facile dignotus. *Mas:* caput cum antennis nigrum. Palpi fusci. Stethidium nigricans l. nigro-fuscum, leniter cinereo-micans, thoracis dorso ferrugineo-fusco, vittis 3 latis, intermedia gemina postice, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum piceum. Metathorax niger. Abdomen nigrum, basi in vivo olivaceum, totum griseo-pilosum, appendicibus ani for-

cipatis, distinctis, nigris, pilosis. Alæ angustatæ, nudæ, cum nervis albidæ, immaculatæ, nervulo transverso medio obliquo, infuscato; nervulo appendiceo exiguo perpendiculari pone medium costæ. Halteres sordide albidi, clava obscura. Pedes flavi, coxis, geniculis plerumque anguste, tibiarum summo apice tarsorumque articulis ultimis brunneis; posteriores præsertim tibiis sat longe & dense pallide pilosi; antici subfirmi, saltem non graciles, nudiusculi, femoribus tibiisque longiusculis & subæque longis, tarsis totis (apice excepto) dense & longe flavido-pilosis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{3}$ breviori, 2:do 1:mo fere æque longo, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

Fem.: caput cum antennis fuscum, horum articulo ultimo obscuro. Stethidium ferrugineo-fuscum, thoracis vittis dorsalibus obscurioribus, media plerumque ferruginea. Scutellum ferrugineum. Metathorax brunneus. Abdomen fuscum l. obscurum, pubescens. Alæ ut in ♂, sed nonnihil latiores. Halteres sordide albidi, clava plerumque fusca. Pedes etiam ut in ♂, sed posteriores minus pilosi; coxæ omnes ferrugineæ, tarsi antici nudi.

Var. b. ♂. obscurior, simillimus var. a., sed corpore toto halteribusque nigris, pedibus obscure brunneis, femoribus nigricantibus; forte maturior; in Töien ad Christianiam Norwegiæ Aprili 1846 a D. *Siebke* lectus.

2. T. *turpis:* obscure cinereus, opacus, thoracis dorso vittis tribus nigris; antennis brunneis; alis halteribusque albidis, nervo transverso leniter fusco; pedibus brunneis; *maris* tarsis anticis breviter pubescentibus, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{6}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$; ♀ 2 lin.).

Chironomus turpis Zett. Ins. Lapp. 811. 8. ♂♀. Stæg. Grönl. Antl. Kröjers Tidsskr. 1845. p. 350. 3?? ♂.

Hab. in Lapponia & Bottnia rarissime; in Lapponia

Tornensi marem mense Aug., & ad Johannis Ro Bottniæ borealis par in copula junctum 2 Sept. 1821 inveni.

♂♀. Caput obscurum. Antennæ maris brunneæ, pluma versus apicem sensim decrescente, apice dilutiori; feminæ flavidæ, apice brunneo. Stethidium cinereum, vittis thoracis latiusculis nigricantibus, media postice abbreviata, per lineolam tenuem obscuram ad scutellum cinereum continuata. Metathorax nigricans. Abdomen nigrum, in ♂ angustum, pilosum, segmentis 3 ultimis paullo latioribus pallide marginatis, appendiculis ani parvis, angustis, incurvis; in ♀ nonnihil crassius, pubescens. Alæ albæ, nervis ad costam subtestaceis, reliquis tenuibus albis, transverso obliquo subfusco; nervulo perpendiculari, qui aream basalem geminam terminat (juxta transversum obliquum), tenui, immaculato. Nervus basalis abbreviatus testaceus. Pedes subtenues, toti brunnei l. lividi, parum pubescentes. Tarsi antici (in ♂ pallide pubescentes) articulo 1:mo tibia longiuscula nonnihil breviori, 2:do 1:mo duplo breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

3. *T. nervosus:* niger, nitidus; antennis halteribusque obscure brunneis; alis cinereo-hyalinis, nervis conspicuis, transverso infuscato, appendiceo pone medium costæ costalem & apicem longitudinalis 2:di connectente perpendiculari, furcato petiolato; pedibus nigris, femoribus basi testaceis, tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia longiuscula saltem $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$. ♀ fere 2 lin.)

Meig. Dipt. 1. 64. 14. ♀. — & 6. p. 257. ♂. Fries, Monogr. Tanyp. 11. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 589. 18. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum per hortos, silvas & prata Scandinaviæ præsertim meridionalis, a medio Junii usque ad finem Augusti passim, in copula etiam pluries obser-

vatus; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge *(Dahlbom)*, Räften, Fogelsång, Lindholmen, Esperöd (in paroecia Tranås), &c. non raro; in Ostrogothia ad Gusum, *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Gottlandia ad Fardhem; in Dania sat frequens, D. *Stæger;* in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke.* (E Finlandia feminam a Prof. *Sahlberg* obtinui).

♂♀. Color niger nitidus, halteres obscuri, pictura pedum & directio nervorum in alis hanc speciem ab affinibus facile distingvunt. Caput nigrum. Antennæ obscuræ, pluma maris brunnescente. Palpi plus minus obscuri. Stethidium nigrum, nitidum, glabriculum, thoracis dorso piceo, vittis 3 latissimis confluentibus, media postice abbreviata. Scutellum & metathorax nigra, nitida. Abdomen nigrum pubescens, basi (præsertim in ♂) lateribus sæpe maculis sordide flavo-subpellucidis. Anus in ♂ appendiculis parvis, latiusculis seu ovatis. Alæ sordide hyalinæ, nervis ad costam distinctis, fuscis, reliquis etiam conspicuis, sed minus fuscis. Nervus transversus medius obliquus & subjacens perpendicularis, distincti, obscuri. Pone hos & ante apicem nervi long. 2:di adest nervulus parvus brevis perpendicularis, qui costalem & 2:dum longitudinalem connectit. Nervus longitudinalis, qui e nervo transverso inferiori excurrit furcatus, furca ramis inæqualibus, horum superiori petiolo fere duplo longiori. Halteres obscuri. Pedes mediocres, minus elongati, longitudine subæquales, parum puberuli, nigri, femoribus a basi & fere ad medium flavo-ferrugineis. Metatarsi postici interdum etiam lividi; anticorum tibiæ longiusculæ, femore circiter $\frac{1}{8}$ longiores, tarsorum nudorum articulus 1:mus tibia $\frac{1}{4}$ vel fere $\frac{2}{3}$ brevior, 2:dus 1:mo fere duplo brevior, reliqvi longitudine sensim decrescentes.

Obs. Cel. *Stæger* (l. c.) suspicatur, *Tan. nigrimanum* Meig. 6. 261. 30. ♂. tantum esse *T. nervosi* varietatem, cui Fabricii *Tipula* & *Chiron. barbicornis* ut synonymon allegari debet.

4. *T. consobrinus:* niger, nitidus; halteribus albi-
is; thoracis macula humerali pallida; alis cinereo hya-
inis, nervis conspicuis, transverso infuscato, furcato sessili;
edibus nigris, femoribus basi late rufis, tibiis posteriori-
us testaceis; tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia lon-
iuscula circiter $\frac{1}{8}$ breviori. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

An femina *Tan. nigrimani* Meig. Dipt. 6. 261. 30. ♂?

Hab. in Jemtlandia boreali rarius; in alpibus Mul-
jellen per regionem sylvaticam & subsylvaticam in fron-
ibus Aspidii 5 specimina d. 24—30 Jul. 1840 invenire
nihi contigit; ad Christianiam Norwegiæ, D, *Siebke;* ad
uulstuen Værdaliæ rarius.

♀. Magna præcedentis affinitas, sed nervo alarum appendiceo pone medium costæ dificiente, furcato sessili, nec petiolato, halteribus albis, nec obscuris, femoribus basi latius rufis, tibiis posterioribus etiam flavidis, &c., vere distinctus. Caput nigrum. Antennæ obscuræ, in quibusdam testaceæ, apice brunneæ. Stethidium, scutellum, metathorax & abdomen ut in priori, sed thoracis macula humeralis flavida evidentior, lineas angustas pallidas breves plerumque emittens. Alæ ut in *T. nervoso,* sed nervulus appendiceus costalem & 2:dum longitud. connectens ut & nervi discoidalis furcati petiolus, nulli. Pedes etiam ut in priori, sed femora latius flava, ad apicem tantum nigra, tibiæ posteriores & interdum etiam tarsorum posteriorum basis flava. Tarsorum anticorum articulus 1:mus quoque forte paullo longior, quam in specie antecedente. Var. rarius tibiis posticis obscuris.

5. *T. crassinervis:* niger, opacus; halteribus albi-
antibus; thoracis limbo laterali ferrugineo; antennis brun-
eis; alis albis, subhirsutis, nervis ad costam conspicuis,
ransverso infuscato, appendiceo pone medium costæ co-

stalem & apicem longitudinalis 2:di connectente perpendiculari, furcato petiolato; pedibus nigricantibus l. fuscis, tarsis anticis nudis articulo 1:mo tibia longiuscula circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.)

Zett. Ins. Lapp. 817. 1. ♂♀. Stæg. Grönl. Antl. 1845. p. 354. 11. ♂♀.

Hab. in Pinetis, atque etiam in paludosis Lapponiæ meridionalis minus frequens; ad Lycksele, Stensele, & novacolum Umenäs, Lapponiæ Umensis, 3 Jul. — 5 Aug. 1832 duo mares & 4 feminas inveni.

♂♀. Similis *T. nervoso* (3), sed plerumque paullo minor, & corpore opaco, nec nitido, alis albidioribus hirtulis, pedibus unicoloribus, &c. diversus. Caput nigrum. Antennæ obscuræ, pluma in maribus exsiccatis brunnescenti. Palpi obscuri. Stethidium nigrum, leniter cinereo-micans, thoracis dorso in ♂ limbo laterali ferrugineo, macula humerali plerumque evidentiori; in ♀ sæpe rufo-flavo, vittis 3 latis nigris, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen nigrum, in ♂ pilosulum, ani appendiculis parvis, ovatis; in ♀ pubescens. Alæ albæ, leniter hirtis, nervis ad costam distinctis fuscis, transverso magis infuscato, inferioribus perspicuis, sed pallidioribus. Nervorum directio præterea ut in *T. nervoso*. Pedes etiam ut in illo constructi, plerumque brunnei, interdum fusco-testacei.

6. *T. lacteipennis:* cinereus, opacus, thorace parum obscure vittato; antennis subbrunneis; abdomine obscuro; halteribus albis; alis lacteis, immaculatis, nervo furcato sessili; pedibus aut fuscis, tibiis posterioribus in medio late pallidis (♂), aut totis pallescentibus (♀); tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibiæ longiusculæ subæque longo. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 817. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, mense Julio 1821 in utroque sexu a me captus; feminam similem, at duplo minorem, in prato insulæ Gottlandiæ Fårön 24 Jul. 1841 invenit D. *Dahlbom.*

♂♀. A *T. turpi*, cui accedit, corpore lætius cinerascente, alis albidioribus, immaculatis, maris tarsis magis nudis, &c., differt. Alæ nudæ, lacteæ, nervis tenuibus, albis, ut in *T. turpi* & *consobrino* directis. Halteres albi. Tarsorum anticorum articulus 1:mus tibiæ subæqvalis, reliqui articuli longitudine sensim decrescentes. *Mas:* caput cinereum. Antennæ brunnescentes. Palpi fusci. Stethidium canum, thorace vix obscure vittato. Scutellum & metathorax cinerea. Abdomen gracile, basi apiceque leniter crassiusculum, totum cinereo-pilosum, nigrum, incisuris posticis omnium tenuissime albidis, appendiculis ani brevibus, ovatis, nigris. Pedes subgraciles, fusci, antici longiusculi, tibiis parum dilutioribus; posteriores tibiis in medio late pallescentibus, tarsis brunneis. *Fem.:* (junior videtur). Caput & palpi testacea. Antennæ flavidæ, apice brunneæ. Stethidium canum, thoracis dorso flavescente, vittis 3 latis canis, media antice integra, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum testaceum. Metathorax obscure cinereus. Abdomen obscurum, pubescens, incisuris tenuissime & ventre testaceis. Pedes in diu exsiccata toti flavi.

7. *T. Morio:* ater, opacus; antennis nigris; alis albidis, immaculatis, nervo furcato sessili; halteribus obscuris; pedibus obscure brunneis, tarsis anticis subnudis, articulo 1:mo tibia elongata circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂. (Long. saltem $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 817. 3. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele 1832 semel inventus.

♂. *Tan. præcoci* Meig. similis videtur, sed major & thoracis

dorso non albo-lineato, ut & halteribus obscuris, nec albis, differt. Totus niger, opacus. Antennarum pluma (in vetusto) nigro-brunnea. Palpi nigri. Pectus certo situ leniter cinereo-micat. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen angustum, pilosum, apice nonnihil latius, appendiculis analibus parvis, subovatis, nigris. Alæ albo-hyalinæ, nervis omnibus tenuibus, ad costam & transverso medio parum l. lenissime tantum fuscis, inferioribus subobsoletis, basali abbreviato nigro, furcato sessili, perpendiculari pone medium costæ nullo. Halteres nigro-fusci. Pedes nigro-brunnei, tarsis nonnihil dilutioribus; posteriores brevissime puberuli. Tarsi antici subnudi l. breviter puberuli, articulis 1:mo tibia longa circiter $\frac{1}{4}$ breviori, 2:do 1:mo fere duplo breviori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

8. *T. nudipes:* niger, subnitens, antennis palpisque concoloribus; halteribus albis; thoracis macula humerali in ♀ pallida; alis in utroque sexu cinereo-hyalinis, subimmaculatis, nervis furcato sessili, 6:to longitudinali subrecto; pedibus brunneis, nudis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibiæ subæque longo. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Hab. in Norwegia & Bottnia boreali; scilicet in Töien prope Christianiam ♂ 30 Maj. 1849 a D. *Siebke* inventus mecumque communicatus; e messe, quam sub itinere Lapponico Lulensi collegit D. *Andersson* sex mares totidemque feminas mihi missos possideo.

♂♀. Similis *T. consobrino* (4) & *lacteipenni* (6), sed ab illo, nervo transverso parum infuscato, ab hoc thoracis macula humerali (in ♀) pallida & alis cinereis, nec lacteis, & ab ambobus pedum colore &c. diversus. Caput nigrum. Antennæ brunnescenti-nigræ. Palpi nigri. Thorax niger, subnitens, in ♂ plerumque immaculatus, in ♀ limbo antico & præsertim ad

humeros pallescente. Pectus leniter cinereo-micans. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen nigrum, opacum, in ♂ pilosum, basi & segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, appendiculis ani parvis, ovatis, nigris; in ♀ crassiusculum, pubescens. Alæ cinereæ, nervis transverso & costalibus paullulum distinctioribus & leniter fuscis (præsertim in ♀), reliquis minus conspicuis, appendiceo pone medium costæ deficiente, furcato sessili, hujus ramo inferiori (qui nervum longitudinalem 6:tum efficit) subrecto seu versus marginem interiorem parum incurvato. Halteres albi, petiolo nigro. Pedes tenues, fusci l. brunnei, femoribus ima basi testacea; nudi, tibiis tarsisque posterioribus brevissime puberulis; antici elongati, tarsorum articulo 1:mo tibiæ longæ subæqvali l. tantum perparum breviori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus. Variat junior pedibus fere totis fusco-testaceis; & marem forte etiam juvenilem thoracis macula humerali pallida vidi, ex. gr. specimen norwegicum.

9. *T. pubitarsis:* niger, opacus, thorace cinerascente obscure vittato; antennis palpisque nigris; alis albido-hyalinis, immaculatis, nervis furcato sessili, 6:to longitudinali apice paullo incurvato; pedibus brunneis, subnudis, tarsis anticis in ♂ pilosulis, articulo 1:mo in utroque sexu tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. circiter 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia boreali rarius; scilicet in Jemtlandia marem in monte subalpino Hofverberget 14 Aug., & utrumque sexum ad diversorium Upland 7 Aug. 1840 inveni.

♂♀. Valde similis priori, sed magnitudine plerumque nonnihil majore, thorace magis opaco & subcinerascente, alis forte paullo albidioribus, nervis transverso & costalibus vix l. parum tantum fuscis, nervi furcati ramo inferiori seu 6:to longitudinali apice ad marginem interiorem magis flexo, & tandem

tarsis anticis in ♂ breviter pilosis, nec nudis, articulo 1:mo in utroque sexu tibia saltem $\frac{1}{8}$ fere $\frac{1}{4}$ breviori, nec tibiæ subæque longo, sine dubio distinctus. Pedes plus minus obscure brunnei, tarsis longiusculis plerumque dilutioribus. Halteres fere toti albidi.

10. *T. lugubris:* ater, opacus, antennis palpisque nigris; halteribus albis; alis albo-hyalinis, nervis costalibus leniter fuscis, transverso medio distincte infuscato, appendiceo pone medium costæ exiguo perpendiculari, furcato petiolato; pedibus obscure brunneis, tarsis anticis (in ♂) pilosulis, articulo 1:mo tibia saltem $\frac{1}{4}$ breviori. ♂. (Long. 1$\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime, ad radicem alpis Åreskutan 2 Aug. 1840 semel inventus. Similem etiam, sed paullo minorem, Lundæ in horto meo 4 Sept. 1849 deprehendi.

♂. Ater, opacus. Antennæ nigræ, pluma apice obscure brunnea. Abdomen angustum, obscure pilosum, ano leniter crasso, appendiculis brevibus, ovatis. Alæ albicantes, nervo transverso medio obliquo perspicue infuscato. Nervi præterea ut in *T. nervoso* n:o 3 directi. Halteres albi. Pedes subgraciles, puberuli, obscure brunnei; antici longiusculi, tarsis pilosulis, brunneis, articulis 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

****). Alæ hirsutæ.**

11. *T. nebulosus:* fuscus l. cinerascens, opacus, thorace obscure vittato; antennis palpisque obscure brunneis; abdomine in ♂ pallide annulato; alis halteribusque in utroque sexu albidis, illis nervo transverso maculisque ad marginem interiorem fuscis, nervis appendiceo

pone medium costæ subperpendiculari; furcato sessili; pedibus flavo-testaceis, articulatione brunnea; tarsis anticis in mare pilosulis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 57. 2. ♂♀. Fries Monogr. Tanyp. Svec. 10. 2. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 61. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 817. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. in Kröjers Tidsskr. 1840. p. 584. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 3. 2.

Hab. in vicinitate aqvæ, per Scandinaviam meridionalem & mediam præsertim mensib. Aprili & Majo, sed etiam Aug. & Sept., passim, in parietibus quoque sæpe visus, in copula etiam aliqvoties deprehensus; scilicet in Scania vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*, ad Wadstena juxta lacum Wettern frequens, ipse; in Uplandia ad Holmiam, *Wahlberg*; in Norwegia in Töien prope Christianiam & ad Trondhjem, non parce, D. *Siebke*; in Dania sat raro, D. *Stæger*. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam, D. *Dahlbom*).

♂♀. Cinereus l. fuscus. Antennæ fuscescentes. Stethidium obscure cinerascens, thoracis dorso vittis 3 obscuris, intermedia gemina. Abdomen obscure fuscum, in ♂ annulis plus minus latis pallescentibus, in ♀ subimmaculatum. Alæ albidæ, sæpe (præsertim in ♂) plus l. minus detritæ, in bene conservatis sat perspicue hirsutæ, nervo transverso medio distincte infuscato, & in margine interiori ad apicem nervorum longitudinalium maculis 3 evidentioribus quartaque inter nervos longitud. 3 & 4 pone transversum cinereis. Nervus 6:tus longitudinalis apice ad marginem flexus. Halteres albidi. Pedes flavi vel flavo-testacei, femorum apice dilute brunneo, tibiarum summo apice, tarsorumque articulis ultimis, brunneis; posteriores in ♂ pilosuli, in ♀ pubescentes; antici in utroque sexu nudiusculi, tarsorum articulo 1:mo tibia longiuscula circiter $\frac{1}{4}$ breviori. Tarsi antici in ♂ tenuiter pilosi.

Variat nuper exclusus toto corpore testaceo, vittis thoracis fuscis.

12. *T. punctipennis:* fuscescens, opacus, thorace cinereo, brunneo-vittato (♂), aut pallescente, cinereo-vittato (♂); scutello testaceo; antennis brunneis; abdomine pallide subannulato; alis halteribusque albis, illis nervo transverso punctisque numerosis brunneis, nervulo appendiceo pone medium costæ subperpendiculari; pedibus pallidis, articulatione fusca; *maris* tarsis anticis barbatis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 61. 9. ♂♀. Fries Monogr. Tanyp. 14. 8. ♀. Macqv. Buff. 1. 62. 5. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 584. 6. ♂♀. *Tanyp. cinctus* Panz. Fn. Germ. 105. 6. ♂ (exclus. synonymis). Latr. Gen. 4. 248.

Hab. in paludosis & fruticibus, per Scandinaviam meridionalem & mediam Jul., Aug. & Sept., passim, in copula etiam observatus; nempe in Scania ad Abusa, Tranås, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Wadstena prope lacum Wettern uterque sexus sat frequens; in Gottlandiæ insula Klasen 9 Jul. 1819 mares copiose vidi; in Dania rarius, D. *Stæger.*

♂♀. Antennæ maris brunneæ, feminæ plerumque testaceæ. Thorax in ♂ cinereus, vittis dorsalibus 3 paullo obscurioribus; in ♀ plerumque testaceus, vittis cinereis. Scutellum in utroque sexu flavescens. Pectus & metathorax nigricantia. Abdomen in ♂ angustum, griseo-pilosum, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, totum nigricans aut fuscum, segmentorum margine apicali plerumque anguste pallido; in ♀ crassiusculum, pubescens, fuscum, segmentorum margine apicali semper albido. Alæ albidæ, tenuiter hirsutæ, punctis di-

sci valde numerosis subrotundis brunneis, quorum quatuor in interstitio nervorum longitud. 3 & 4 magis distinctis (licet minoribus), & pluribus versus marginem interiorem paullo majoribus, plerisque difformibus, nonnihil dilutioribus. Nervus transversus medius distincte infuscatus, 6:tus longitudinalis apice versus marginem curvatus. Halteres albidi. Pedes albido-flavi, femoribus ad apicem annulo, tibiarum basi apiceque, tarsorumque articulorum apice, brunneis; posteriores pallide pilosuli. Tarsi antici in ♂ pallide barbati, articulo 1:mo in utroque sexu tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

Var. b: ♀. similis var. a., sed alis interstitio nervorum longitudinalium 3 & 4 punctis 5, nec 4, diversus; indicio: "*T. irroratus* Fries manusc." in collectione mea exstat. In graminosis horti Esperöd in paroecia Tranås Scaniæ 1 Aug. 1820 semel lectus.

13. *T. barbitarsis:* nigricans, opacus, abdominis incisuris pallidis; antennis pedibusque brunneis; alis cinereis, immaculatis, nervulo appendiceo subperpendiculari; halteribus albis; *maris* tarsis anticis barbatis, articulo 1:mo tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia media & boreali a 20 Jun. ad medium Julii minus frequens; scilicet in graminosis & parietibus ligneis ad diversorium Lund juxta radicem albis Åreskutan 24 Jun. 1840 in utroque sexu copiose lectus, alibi rarius ex. gr. ad Skalstugan; in Norwegia ad Suul & in alpe Kälahög (ubi usque in regionem nivalem adscendens), quoque observatus. (Marem simillimum ad Eldena prope Gryphiam Sept. 1842 semel etiam invenit D. *Dahlbom).*

♂♀. Caput nigricans. Antennæ in ♂ brunneæ, in ♀ testaceæ. Palpi fusci. Thorax obscurus dorso saturatior, summo margine antico interdum anguste testaceo, pectore leniter cinereo-micante. Scutellum in ♀ testaceum. Abdomen in ♂ angustum, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, totum pilosulum, subnitens, nigricans, incisuris tenuiter pallidis; in ♀ crassiusculum, pubescens, fuscum, incisuris tenuissime pallidis. Alæ cinereo-hyalinæ, omnino immaculatæ, modice hirsutæ, nervo 6:to longitudinali in marginem flexo. Halteres albi. Pedes toti brunnei l. lividi, interdum testacei, tarsorum anticorum articulis 1:mo tibia longiuscula paullo breviori, reliquis sensim decrescentibus; in mare posteriores pilosi, tarsi antici distincte barbati.

14. *T. signatus:* nigricans, opacus; antennis pedibusque brunneis; alis cinereis, nervo transverso medio distincte infuscato, appendiceo subperpendiculari; halteribus albis; *maris* tarsis anticis pilosis, articulo 1:mo tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. cum priori, sed plerumque serius (ineunte mense Aug.) obvius; scilicet in Jemtlandia ad Faxelfven, Mulfjellet & Åreskutan ex utroque sexu sat copiose captus, ♀ usque in regionem nivalem adscendens; in jugo alpino Norwegiæ ad Suul etiam parce inventus.

♂♀. Magnitudo, color & summa præcedentis similitudo, sed differt pictura, nempe abdomine immaculato & alarum nervo transverso medio distincte infuscato. Thoracis vittæ dorsales nigræ per lineas tenuissimas albidas in masculorum bene conservatis exemplis (ut etiam in priori specie) distingvuntur, & humeri in feminis sæpe testacei. Scutellum in utroque sexu nigricans. Abdomen ut in priori, sed incisuræ non pallidæ. Alæ albo-cinereæ, tenuiter hirtæ, nervis ut in præcedente di-

rectis, sed transverso medio conspicue infuscato, & costalibus præsertim in ♀ regioneque stigmaticali fuscis. Pedes quoque ut in antecedente, sed in ♀ genicula; tibiarum apex tarsorumque articuli ultimi plerumque paullo saturatius brunnea.

Var. ♀. thoracis dorso testaceo, vittis 3 latiusculis nigris; forte junior. Talem etiam e Christiania a D. *Siebke* obtinui.

15. *T. choreus:* thorace hirto, cano fusco-vittato; antennis obscuris; abdomine nigro-fusco, incisuris albis; scutello pedibusque testaceis, articulatione brunnea; alis lineola media obliqua nigra, postice cinereis. ♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 62. 12. Macqv. Buff. 1. 62. 6. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 585. 7. ♀. (exclus. syn. Fries).

Hab. in Dania mense Majo rarius, D. *Stæger*, mihi non obvius.

♀. Palpi & antennæ obscura, harum radicula flava. Thorax canus, vittis brunneis. Pectus obscure cinereum. Alæ cinereo-hirtæ, versus apicem nonnihil obscuriores, nervo medio obliquo infuscato. Variat plus l. minus obscurus.

Obs. *Meigen* l. c. etiam marem describit eumque 3 lin. longum & antennarum pluma brunnea præditum.

16. *T. pallicornis:* cinereo-testaceus, thorace fusco-vittato; antennis, palpis halteribusque flavis; alis albidis, ad marginem interiorem nebulosis, nervo transverso medio distincte infuscato, appendiceo subobliquo; pedibus pallidis, articulatione brunnea, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia longiuscula fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♀. (Long. saltem 2 lin.).

Tanypus choreus Fries Monogr. Tanyp. 12. 5. ♀. exclus. syn. Meig.

Hab. in Svecia, Majo & iterum Aug. & Sept., minus

frequens; scilicet in Scania ad Lund, & Esperöd in parœcia Tranås; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse.

♀. Affinis priori, sed colore corporis paullo dilutiori, antennis, palpis pedibusque pallidioribus, ut & alis nebulosis, differre videtur. Opacus. Antennæ & palpi flava. Oculi in vivo ænescentes, in mortuo nigri. Stethidium testaceum, cinereo-micans, thoracis dorso hirto, vittis 3 plus l. minus obscure brunneis. Scutellum flavidum. Abdomen cinereo-testaceum. Alæ albicantes, in margine interiori ad apicem nervorum longitudinalium maculis cinereis e crebriori hirsutie (quæ facile deteritur) ortis, nervo transverso medio perspicue infuscato, & pone hunc versus apicem in interstitio nervor. longitud. 3 & 4 macula parva fusca. Nervus long. 6:tus apice inflexus. Pedes flavi, genubus (plerumque), tibiarum summo apice tarsorumque articulis ultimis brunneis.

17. *T. culiciformis:* fuscus (♂), aut stethidio flavicante (♀); thoracis dorso vittis 3 nigricantibus; antennis brunnescentibus; abdominis incisuris tenuissime albidis; alis halteribusque albicantibus, nervo transverso medio distincte, maculaque pone medium diffusa obsolete, fuscis; pedibus flavidis l. brunneis; *maris* tarsis anticis puberulis, tarsorum articulo 1:mo tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 63. 13. ♀. Fries Monogr. Tanyp. 13. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 585. 8. *Tipula culiciformis* Fabr. Ent. Syst. 4. 251. 87. (teste *Meigen*). Gmelin. Syst. Nat. 5. 2826. 52. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 47. 44.

Hab. in paludosis & graminosis &c. Scandiaviæ meridionalis & mediæ, per totam æstatem, at præsertim ve-

re (Majo & Jun.) & autumno (Aug. Sept.) vulgaris, in copula etiam deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Fogelsång, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Gottlandia ad Öja, Martebo, Kyllej &c. copiose; in Uplandia Holmiæ, *Wahlberg*, Upsaliæ, *Gmelin;* in Dania sat frequens, D. *Stæger.*

♂♀. Colore obscuriore (præcipue in ♂) & dilutiore eximie ludit. Caput fuscum. Antennæ maris brunneæ, feminæ plerumque flavicantes. Stethidium in ♂ fuscum, in ♀ flavicans, thoracis vittis dorsalibus 3 in utroque sexu nigris l. nigricantibus, media gemina. Pectus & metathorax nigricantia. Scutellum in ♂ nigrum l. brunneum, in ♀ plerumque testaceum. Halteres albi. Alæ albo-hyalinæ, tenuiter hirtæ, nervo transverso medio obliquo distincte infuscato. Pone medium alæ macula late diffusa, fasciformis, fusca valde obsoleta. Ipse apex alæ immaculatus. Nervulus appendiceus pone medium costæ subobliquus exiguus. Nervus furcatus petiolatus. Abdomen in ♂ pilosulum, subnitens, nigricans, incisuris vix l. tenuissime tantum albidis, appendiculis ani parvis ovatis; in ♀ pubescens, fuscum l. obscurum, incisuris interdum leniter albidis. Pedes jam flavidi, jam brunnei, femorum, tibiarum tarsorumque apice plerumque saturatiore; posteriores in ♂ pubescentes, tarsis anticis breviter puberulis, horum articulo 1:mo tibia in utroque sexu paullo breviori.

Obs. 1. Varietatem obscuriorem hujus sub nomine: *T. umbratilis* n. sp., olim inter Amicos meos entomologicos divulgavi.

Obs. 2. *Tan. pictipennis* Ins. Lapp. 818. 5. ♂. & Stæg. Grönl. Antl. ♀. hactenus tantum in Grönl. observatus fuit.

B. Corpus aut totum aut saltem ex parte pallidum, (in ♀ *T. monilis* fere totum fuscum). Alæ hirtæ (in *T. ferruginicolli* n:o 37 subnudæ).

18. *T. varius:* pallescens, thorace fusco-vittato; an-

tennis abdominisque annulis brunneis; alis cinereo-albidis, fasciis duabus irregularibus punctisque subqvinis ad marginem anticum fuscis; pedibus flavescentibus, articulatione brunnea; *maris* tarsis anticis subbarbatis, articulo 1:mo tibia longiuscula saltem $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 56. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 12. ♂♀. Fries, Monogr. Tanyp. 11. 3 ♂♀. (specimina nuper exclusa descripta fuerunt); pag. 3—6. Tab. 1. f. 5—8. ova, larvæ & pupæ describuntur & depinguntur. Macqv. Buff. 1. 61. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 584. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 1. *Tipula varia* Fabr. Ent. Syst. 4. 244. 52. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 41. 14.

Hab. in vicinitate aqvæ, per hortos, nemora & silvas Scandinaviæ meridionalis, tota æstate, sed præsertim mensib. April. & Majo, iterumque Aug. Sept., passim copiose; mares in choreis sæpe observati; scilicet in Scania vulgaris; in Dania frequens. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam verno tempore etiam a D. *Dahlbom* captus).

♂♀. Caput griseum, antennis palpisque brunneis. Oculi in vivo virides, in mortuo nigri. Thorax testaceus l. lividus, vittis dorsalibus 3 fuscis (♂), aut ferrugineis (♀ plerumque); media gemina. Scutellum pallidum. Pectus & metathorax præsertim in ♂ plerumque obscuriora, cinereo-micantia. Abdomen, in ♂ angustum, pilosum, segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus, appendiculis ani subcrassis incurvis nigris; in ♀ crassiusculum, pubescens; in utroque sexu pallescens l. flavum, annulis brunneis. Alæ albo fuscoque variæ, maculis 2 majoribus fascias latas irregulares fuscas formantibus, quarum una fere in medio alæ sita puncta 3 obscura ad marginem anticum in triangulum disposita includens, & altera pone me-

dium locata puncta ad marginem costalem 2 nigricantia includens. In costa fere in apice l. mox ante apicem alæ observatur quoque macula parva dilute cinerea. Hæc pictura in individuis serioribus plerumque evanida, punctis costalibus sæpissime tenacius adhærentibus. Nervulus appendiceus pone medium costæ adest, & nervus 6:tus longitudinalis apice valde inflexus. Halteres pallidi. Pedes flavescentes, genubus tibiarumque summo apice brunneis; posteriores in ♂ pilosi, tarsis anticis modice barbatis, articulo 1:mo in utroque sexu tibia elongata saltem ¼ fere ⅓ breviori.

Obs. In collectione Friesiana plura utriusque sexus individua mense Julio exclusa cum exuviis puparum asservantur sub nomine: "*Tan. zonatus* Fabr. & Meig.", quæ tamen vix sunt nisi specimina juvenilia *T. varii*, omnibus partibus pallidiora.

19. *T. monilis:* albidus, stethidio cinereo, thorace fusco-vittato; abdominis linea dorsali interrupta, alarum maculis numerosis pedumque punctis plurimis brunneis; *maris* tarsis anticis pubescentibus, articulo 1:mo tibia fere ¼ breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ 1½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 60. 8. Fries Monogr. Tanyp. 13. 7. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 62. 9. Zett. Ins. Lapp. 818. 6. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 584. 5. ♂♀. Wiegm. & Ruthe Zool. p. 463. 3. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 4. *Tipula monilis* Linn. Fn. Sv. 1763. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 44. 29. *Tipula maculata* Degeer Ins. 6. p. 394. 23. ♂♀. Tab. 24. f. 15—19.

Hab. in graminosis, fruticibus & truncis arborum, per hortos, prata & nemora totius Scandinaviæ, tota æstate & præsertim versus autumnum, vulgaris & passim copiose, mares choreas instituentes; etiam in litoribus obvius; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Gottlan-

dia (in Furillen), Bahusia, Jemtlandia, Lapponia, Norwegia (ad Christianiam) & Dania, frequenter observatus. (E Kilia a *Wiedemann).*

♂♀. Pulcher & distinctus. Antennæ maris dilute brunneæ, (in junioribus albidæ), feminæ pallidiores. Palpi flavidi. Oculi in vivo obscure ænei. Thorax læte cinereus, vittis dorsalibus obscurioribus. Metathorax nigricans. Abdomen in ♂ angustum, album & albido-pilosum, linea dorsali interrupta fusca, in segmentis 3 ultimis magis dilatata, appendiculis analibus albidis; in ♀ crassiusculum, pubescens, totum subinfuscatum. Alæ albidæ, punctis plurimis sparsis cinereo-brunneis, & unico in nervulo medio transverso distinctiori. Nervus 6:tus longitud. valde inflexus. Halteres albi. Pedes graciles, albi, annulis 8 l. 9 angustis nigro-brunneis; posteriores in ♂ pilosuli, anticorum tarsis breviter pubescentibus, horum articulo 1:mo in utroque sexu tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori.

Obs. De Geer metamorphosin hujus speciei observavit & l. c. descripsit.

20. *T. punctatus:* cinerascens, opacus; antennis brunnescentibus; abdomine pallido fusco-annulato; alis albidis, maculis ad marginem interiorem cinereis, nervo transverso medio infuscato; pedibus pallidis, articulatione brunnea; *maris* tarsis anticis pubescentibus, articulo 1:mo tibia longiuscula circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 58. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 584. 3. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 3. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 43. 24.

Hab. in Dania frequens, D. *Stæger*, qui specimina utriusque sexus communicavit.; plura mascula & feminea exempla in Töien ad Christianiam Norwegiæ mense

Junio 1849 capta quoque missit D. *Siebke*. (Ad Pulbus Rugiæ Maj. 1842, D. *Dahlbom.)*.

♂♀. Caput fuscum. Antennæ maris brunnescentes, pluma apice albida; feminæ subtestaceæ. Stethidium in ♂ cinerascens, in ♀ grisescens. Pectus & metathorax obscura. Abdomen maris pallidum, annulis obscuris, segmentis 3 ultimis fere totis nigricantibus, appendiculis ani nigris; feminæ fuscescens, incisuris pallidis. Alæ albidæ, hirsutæ, macula ante apicem & aliqvot in margine interiori ad apicem nervorum longitudinalium cinereis; nervo transverso medio distincte infuscato. Nervus 6:tus longit. valde inflexus; appendiceus pone medium costæ exiguus adest. Halteres albi. Pedes subgraciles flavidi, femoribus ad apicem brunneis. Tibiarum tarsorumque articulorum summus apex brunneus. Tarsorum articuli ultimi sæpe etiam toti fusci.

Obs. Specimen ♂ sub nomine: *T. punctatus*, e Kilia a *Wiedemann* olim missum descripto simillimum, sed thorax tantum griseus l. fusco-testaceus, & Meigeni genuinus videtur.

21. *T. notatus:* cinereus; antennis brunnescentibus; abdomine albo, trifariam fusco-punctato; alis cinereis, nebulosis, puncto medio nigro; pedibus ferrugineis, articulatione brunnea. ♂. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. I. 58. 4. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 584. 4. ♂.

Hab. in Dania mense Majo rarius, D. *Stæger*; mihi in Svecia non obvius.

♂. "Antennæ pluma flavo-brunnea, apice alba. Palpi brunnei. Scutellum brunneo-cinereum. Metathorax & pectus nigro-brunnea, nitida. Abdomen flavido-album, dorso seriebus tribus punctorum, media nigra, lateralibus obscure brunneis. Alæ pallide brunneæ, nervis obscuris & puncto fere in medio

(nervo transverso?) nigro. Halteres albi. Pedes ferruginei, articulis brunneis". *Meigen* l. c.

22. T. *lentiginosus:* pallidus, opacus; thorace cinerascenti-vittato; abdomine fusco-annulato; alis albicantibus, nervo transverso infuscato, fasciis 2 irregularibus obsoletis; pedibus albidis, geniculis tibiarumque summo apice dilute brunneis; *maris* tarsis anticis puberulis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{8}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ circiter $1\frac{3}{4}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Fries, Monogr. Tanyp. 15. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 259. 23 (e descriptione Friesii transscriptus). Zett. Ins. Lapp. 818. 8. ♂♀.

Hab. in Lapponiæ Tornensis betuletis mense Aug. rarius; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina 19 Jul. 1832 in copula quoque semel a me inventus.

♂♀. Pallescens. Antennæ pallidæ, pluma in ♂ basi dilute brunnea. Oculi nigri. Stethidium pallidum, thoracis dorso vittis tribus subconfluentibus cinereis l. brunneis, media gemina. Pectus & metathorax obscura. Scutellum pallidum. Abdomen brunneo-annulatum, in ♂ angustum, pilosum, appendiculis ani pallidis; in ♀ crassiusculum, pubescens. Alæ albidæ, fasciis 2 difformibus fuscis valde obsoletis. Nervi: transversus medius distincte infuscatus, 6:tus longitudinalis inflexus. Halteres albi. Pedes graciles, albidi, femoribus ad apicem & tibiis summo apice dilute brunneis; posteriores in ♂ pilosuli.

23. T. *sordidus:* testaceus, opacus, thorace fusco-vittato; alis albicantibus immaculatis; pedibus albidis, tibiarum summo apice brunneo; *maris* tarsis anticis barbatis, articulo 1:mo tibia $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 818. 7. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi valde rara; ad lacum Torneträsk duo paria in copula juncta 8 Jul. 1821 inveni; in Ostrogothia ad Gusum quoque observatus fuerit, teste Prof. *Wahlberg*.

♂♀. Per alas immaculatas & maris tarsos anticos distincte barbatos ab affinibus dignotus. Corpus griseum, fuscescens aut testaceum. Antennæ & palpi in ♂ brunnea, in ♀ flava. Thoracis vittæ dorsales 3 latæ, cinerascentes, fuscæ l. brunneæ, aldido-marginatæ, media gemina. Thorax supra in ♀ hirtus. Pectus & metathorax in utroque sexu obscura. Scutellum pallidum. Abdomen fuscum l. carneum, in ♂ pilosum, incisuris tenuiter cinerascentibus, appendiculis ani flavidis; ventre in utroque sexu fusco-testaceum. Alæ albidæ, immaculatæ, hirsutæ, nervo 6:to long. flexo. Nervulus appendiceus pone medium costæ exiguus adest. Halteres albi. Pedes subgraciles, albidi, geniculis summis & tibiarum apice puncto brunneis. In ♂ tibiæ posteriores tarsique omnes distincte pallide pilosa, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia longiuscula circiter $\frac{1}{4}$ breviori.

24. *T. maculipennis:* pallescens, opacus, thorace ferrugineo-vittato; abdomine fusco-annulato; alis albicantibus brunneo-maculatis; pedibus albidis, femoribus ad apicem annulo brunneo, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 818. 9. ♀.

Hab. in Nordlandia Norwegica ad diversorium Björkvik, rarissime, d. 14 Jul. 1821 inventus; ad Torneå, *Deutsch;* in Uplandia ad Holmiam & in Ostrogothia ad Gusum etiam repertus fuerit, testante Prof. *Wahlberg*.

♀. Similis *T. lentiginoso* (22), sed alarum pictura & annulo

femorum fusco diversus videtur. Pallidus. Antennæ & palpi flava. Oculi nigri. Thorax (in diu exsiccato) dorso vittis 3 ferrugineis l. carneis, latis, media gemina. Abdomen supra pubescens, fuscum, incisuris albidis; ventre flavo. Alæ albæ, maculis sub-8, quarum 2 mediæ, latiores, subfasciformes, 5 in margine inferiori parum distinctæ, & una apicalis didyma obsoleta. Nervi: transversus medius obscurus, 6:tus longitudinalis inflexus. Halteres albi. Pedes albidi, femoribus ante apicem annulo brunneo. Tibiarum summus apex puncto minutissimo vix observando.

25. T. *unifascipennis:* pallidus, opacus; thorace carneo-vittato; alis albicantibus, fascia ante medium maculisque apicalibus parvis obsoletis, cinereis, nervo transverso medio fusco; pedibus albidis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 818. 10. ♀.

Hab. in Svecia rarissime; in Lapponia semel captus; in Ångermannia ad Hernösand 30 Aug.; in Scania ad Lund in fenestra cloacæ 19 Oct. 1830 etiam unicum exemplum inveni.

♀. Totus pallidus, oculis nigris. Thoracis vittæ subconfluentes, pectus & metathorax carnea. Alæ albæ, conspicue hirtæ, macula ante medium alæ ad costam evidentiori, nervum transversum infuscatum transeunte, fasciformi, fusca, marginem interiorem non attingente. Maculæ 2 l. 3 cinereæ in apice nervorum longitudinalium observantur, valde obsoletæ. Nervus long. 6:tus inflexus. Halteres albi. Pedes albidi, immaculati.

26. T. *trifascipennis:* pallidus, opacus, thorace testaceo-vittato; antennis brunnescentibus (♂), aut pallidis (♀); alis albicantibus, fasciis tribus brunneo-cinereis; pe-

dibus albidis, femoribus ad apicem pallide brunneis, tibiarum apice puncto nigro; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia elongata fere ¼ breviori. ♂♀. (Long. saltem 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 819. 11. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad pagum Tresunda prope Wilhelmina d. 12 Jul. 1832, ♂ detectus; in Jemtlandia ad Faxelfven, Åreskutan & Mulfjellen 10 specimina feminea Jul. Aug. 1840 deprehendi.

♂♀. Distinctus. Totus pallidus, oculis solum nigris. Antennarum pluma brunnea nitida, apice certo situ albo-nitente. Thoracis dorsum hirtulum, vittis 3 testaceis l. carneis. Metathorax postice in ♂ fuscus. Abdomen carneum, in ♂ pilosulum, incisuris & appendiculis ani pallidioribus; in ♀ pubescens. Alæ albidæ, fasciis 3 sat regularibus cinereis l. brunneis e densiore hirsutie ortis, 1:ma ante medium, 2:da in medio distinctiori & tertia apicali. Nervus 6:tus long. inflexus. Pedes longiusculi, albidi, ad apicem femorum annulo dilute brunneo, interdum parum conspicuo. Tibiæ apice puncto exiguo nigro. Pedes posteriores in ♂ pallide pilosuli, antici nudiusculi.

27. *T. lætus:* pallidus, opacus, thorace ferrugineo-vittato; alis albis, fasciis duabus cinereis; abdomine in ♂ fusco-annulato pedibus in utroque sexu albido-flavis, femoribus ad apicem fuscis; *maris* tarsis anticis pilosulis, articulo 1:mo tibia longiuscula parum breviori. ♂♀. (Long. ♂ 1½, ♀ 1¼ lin.).

Fries, Monogr. Tanyp. 16. 10. ♂. Meig. Dipt. 1. 60. 7? ♀. Ejusdem Dipt. 6. p. 257. ♂.

Hab. in Svecia rarissime; marem in Scania legi; & feminam forte ejusdem speciei in Ostrogothia ad Wadstena 26 Aug. 1833 semel inveni.

♂♀. Pallide flavus, tener. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3, pectus & metathorax testaceo-ferruginea l. carnea. Abdomen in ♂ albidum, pilosum, annulis obscure brunneis. Alæ in utroque sexu albidæ, fasciis 2 minus determinatis dilute brunneis, una mox ante, altera paullo pone medium. Nervi: transversus medius fuscus; 6:tus longitudinalis inflexus. Pedes flavo-albidi, femoribus ante apicem annulo brunneo. Maris tarsi antici barbati, articulo 1:mo tibiæ subæqvali vel illa parum breviori.

28. *T. carneus:* pallidus, opacus, thorace ferrugineo-vittato; alis albis, fasciis duabus dilute brunneis; abdomine in ♂ fusco-annulato; pedibus in utroque sexu albido-flavis, immaculatis; *maris* tarsis anticis pilosulis, articulo 1:mo tibia longiuscula parum breviori. ♂♀. (Long. ♂ circiter $1\frac{3}{4}$, ♀ circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 67. 21. ♀. — & 6. p. 258. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 588. 13. ♂♀. *Chironomus carneus* Fabr. Antl. 41. 16. ♀. *Tanyp. albipes* Fries, Monogr. Tanyp. 16. 11. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 259. 24. ♂♀ (e descriptione Friesii transscriptus).

Hab. in Scandinavia meridionali & media, Jul.—Sept., passim abundanter, choreas instituens, sæpe in copula deprehensus, præsersim locis umbrosis mihi obvius; scilicet in Scania vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena frequens, ipse; in Bahusia ad Foss copiose, *Fries;* in Jemtlandia ad Faxelfven, Åreskutan & Mulfjellen vulgaris; in Dania rarius, D. *Stæger*. In Norwegia meridionali in Töien prope Christianiam non parce, D. *Siebke.*

♂♀. Priori valde similis & vix nisi pedibus immaculatis distinctus. Flavo-albidus. Antennæ maris cinereo-flavæ, feminæ pal-

lidæ. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3 ferrugineæ l. carneæ, media gemina. Pectus & metathorax carnea. Abdomen in ♂ pallidum l. albidum, fusco-subannulatum, segmentis ultimis plus minus obscuris, appendiculis ani albidis; in ♀ carneum. Alæ albæ, hirtæ, fasciis dilute brunneis l. pallide cinereis, una angustiori mox ante medium sita, nervulum transversum fuscum includente, altera latiori paullo pone medium alæ. Nervus 6:tus long. inflexus. Halteres albi. Pedes graciles, albidi, immaculati. Tarsi antici in ♂ tenuiter pilosi l. subbarbati, articulo, 1:mo in utroque sexu tibiæ fere æquali. — Abdominis pictura in ♂ paullo variat.

Obs Alæ, fasciis sæpe & facile detritis, albo-hyalinæ evadunt. Ita quoque in præcedentibus.

29. *T. Melanops:* albus, opacus, antennis, alis pedibusque concoloribus; oculis nigris; stethidio carneo, vittis thoracis, pectore metathoraceque luteis; *maris* tarsis anticis subbarbatis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{8}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 65. 18. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 63. 11. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 588. 14. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 9. *Tanyp. bicolor* Fries, Monogr. Tanyp. 7. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 259. 25. (e descriptione Frieiana transscriptus). Zett. Ins. Lapp. 819. 12. ♂♀. *Tipula Arundineti* Linn. Fn. Sv. n:o 1757? ♂. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 43. 27?

Hab. in fruticibus & graminosis per hortos, prata & litora totius Scandinaviæ, tota æstate vulgaris, sed præsertim vere & autumno sæpe copiose, mares choreas agentes; scilicet in Scania abundans; in Smolandia ad Anneberg, D. *Wahlberg;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c. frequens; in Jemtlandia ad Ristansfors & Mulfjellet; in Lapponia Umensi ad Stöttingsfjellet non par-

ce; in Norwegia a Christiania & Dovre usque ad Alten Finmarkiæ passim; in Dania valde frequens, D. *Stæger.* (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam, D. *Dahlbom).*

♂♀. Albus. Antennæ albicantes. Oculi in vivo obscure ænei, in mortuo nigri. Stethidium carneum, thoracis vittis 3 (media gemina), sterno & metathorace paullo saturatioribus, in exsiccato sæpe fulvis, luteis l. pallide ferrugineis. Scutellum album. Abdomen in ♂ angustum, pallide pilosum, album, dorso interdum linea interrupta flavo-ferruginea strigisque ejusdem coloris in segmentis 3 ultimis nonnihil latioribus ornatum, appendiculis ani albis; in ♀ crassiusculum, pubescens, dilute carneum. Alæ hirtæ, albæ, immaculatæ, margine interiori ciliatæ, nervo 6:to long. inflexo. Halteres albi. Pedes modice graciles, toti albi, antici longiusculi, tarsorum articulo 1:mo tibia tantum circiter $\frac{1}{8}$ breviori, reliquis articulis longitudine sensim decrescentibus. *Mas:* tarsis anticis subbarbatis & pedibus posterioribus pallide pilosis.

30. *T. nubilus:* carneus, opacus, thoracis vittis, pectore metathoraceque saturatioribus; antennis pallidis; alis albidis, fasciis duabus cinereis, nervo transverso medio infuscato; pedibus albis, tarsorum anticorum articulo 1:mo tibia parum breviori. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 261. 29. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 586. 10. ♀. verus.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås in frutice (in horto juxta aquam) d. 1 Jul. 1820, & ad Esperöd in paroecia Mellby Aug. 1822 pauca specimina feminea, inveni; e Dania (ubi mense Sept. legitur) etiam a D. *Stæger* communicatus.

♀. *T. unifascipenni* (25) subsimilis. A *Tan. festivo* Meig.

Dipt. 7. 34. 32. ♀., neque multo abludere videtur. Carneus. Antennæ palpique pallida. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3 dilute brunneæ (in specimine Tranåsensi saturate brunneæ), media gemina. Sternum & metathorax dilute brunnea. Alæ hirtæ albidæ, fasciis 2 cinereis, una ante medium nervum transversum infuscatum includente, altera versus apicem. Nervus 6:tus long. inflexus. Halteres albi. Pedes albidi, immaculati, antici longiusculi, tarsorum articulo 1:mo tibiæ subæqvali l. illa tantum parum breviori.

31. *T. binotatus:* albus, opacus, thorace roseo; antennis pallide brunneis; abdomine lineis 2 transversis obscuris; alis pedibusque albidis immaculatis; *maris* tarsis anticis nudis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂ (♀). (Long. circiter $1\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 65. 17? ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 589. 15. ♂♀. *Chironomus* idem Wiedem. Zool. Mag. 1. 65. 4?

Hab. in fruticibus Daniæ Jul. Sept. non raro, D. *Stæger*, qui plura exempla mascula mihi misit. Sole occidente mares copiose choreas instituunt.

♂. (Descript. e speciminibus diu exsiccatis). Albus, tener. Antennæ pallide brunneæ, pluma albida. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales albo-carneæ (in vivo forte rubicundæ). Sternum & metathorax pallide flava. Scutellum album. Abdomen valde gracile, subfiliforme, pallide pilosum, album, segmentis 3 ultimis paullulum latioribus dilute fuscis. Fere in medio abdominis, vestigium linearum 2 transversarum fuscarum valde obsoletarum detegitur. Anus appendiculis parvis albidis. Alæ hirtæ, albæ, immaculatæ, nervo 6:to long. leniter flexo. Halteres albi. Pedes albidi, graciles, modice longi, posteriores pilosuli, antici tarsis subnudis, articulis: 1:mo

tibia tantum nonnihil breviori, reliqvis longitudine sensim decrescentibus.

Obs. Meigen, qui feminam "abdomine absque lineis nigris" etiam describit, mari "antennas brunnescentes" & "basin segmentorum 6 & 7 linea transversa nigra & supra & subtus ornatam" addit, quæ pictura forsitan in exemplis vivis distinctior exstat, in nostris vetustis obsoletior.

32. *T. nigro-punctatus:* albidus, opacus, thorace rubenti-albo; antennis pallidis; abdomine nigro-punctato (♂), aut impunctato (♀); alis pedibusque albis immaculatis; *maris* tarsis anticis subnudis, articulo 1:mo tibia circiter $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. ♂ circiter $1\frac{1}{8}$, ♀ 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 589. 16. ♂♀.

Hab. in Dania Aug. & Sept., D. *Stæger,* qui mecum exempla ex utroque sexu communicavit. Mares choreas ducunt, observante *Stæger.*

♂♀. Similis priori, sed paullo minor & abdominis pictura dignotus. Valde tener. Albidus. Antennæ albescentes. Oculi nigri. Thoracis dorsum in exsiccato flavum (ex vittis confluentibus), in vivo roseo-albidum. Sternum & metathorax in mortuo flava. Scutellum album. Abdomen albidum, in ♂ subfiliforme, pilosum, segmentis 3 posticis nonnihil latioribus, omnibus basi supra lineola transversa angusta brunnea, ventre immaculato, appendiculis analibus albidis; in ♀ crassiusculum, pubescens, impunctatum. Alæ albidæ, immaculatæ, undique æqvaliter hirtæ, nervo 6:to long. flexo. Halteres albi. Pedes longiusculi, graciles, albi, immaculati, tarsorum anticorum articulis 1:mo tibia fere $\frac{1}{4}$ breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus; in ♂ posteriores præsertim tibiis pallide pilosulis, antici tarsis nudiusculis l. breviter tantum puberulis.

33. *T. melanurus:* albidus, opacus, thorace late fu-

sco-vittato, sterno metathoraceque obscuris; antennis pallide brunnescentibus; abdomine brunneo-annulato; alis albido-cinereis, immaculatis; pedibus pallidis, summa articulatione dilute brunnea; *maris* tarsis anticis barbatis, articulo 1:mo tibia longiuscula fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♂. (Long. circiter $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 59. 5? ♂.

Hab. in Svecia rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena 7 Aug. 1828 specimen unicum inveni; in Dalecarlia orientali ad diversorium Rörsbyttan 31 Aug. 1840 tria exempla legit D. *Dahlbom.*

♂. Similis *T. lentiginoso* (22), sed nonnihil major & alis immaculatis, ut & tarsis distinctius pilosis, diversus. *T. annulato* Stæg. (*flabellicorni* Meig.?) prope quoque accedere videtur, sed palpis antennisque subpallescentibus, nec "obscure brunneis", & scutello albo, nec "brunneo", distinctus. — Exsiccatus. Antennæ dilute brunneæ, pluma pallescente. Thoracis vittæ dorsales 3 latæ, confluentes, brunneo-cinereæ. Sternum & metathorax nigricantia. Scutellum albidum. Abdomen angustum, pilosum, albidum, singulo segmento basi annulo latiusculo brunneo superne strigulis 2 parallelis saturatioribus ornato. Segmenta ultima paullo dilatata & fere tota fusca. Appendiculæ ani pallescentes. Alæ albo-cinereæ, hirtæ, immaculatæ, nervo 6:to long. leniter flexo. Halteres albi. Pedes flavo-albidi, parum maculati, nisi puncto exiguo obscuro in apice tibiarum; posteriores pallide pilosi, antici tarsis conspicue barbatis, horum articulis 1:mo tibia vix $\frac{1}{4}$ breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

34. *T. annulatus:* "thorace pallido, fusco-vittato; abdomine pallide carneo, fusco-annulato; pedibus pallidis, tarsis anticis *maris* pilosis; alis cinerascentibus, immaculatis. ♂. (Long. 2 lin.)"

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 586. 9. ♂. *Tan. flabellicornis* Meig. Dipt. 6. 260. 27? ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger.* Mihi non rite cognitus.

♂. "Palpi & antennæ obscure brunnea. Thorax albidus, vittis 3 latis cinereo-brunneis, media linea nigra divisa. Scutellum & metathorax brunnea. Abdomen pallide carneum (in exsiccato albidum), annulis latis brunneis in segmentorum margine antico. Halteres albi. Alæ cinerascentes, dense hirtæ, immaculatæ. Pedes pallidi, distincte pilosi, tibiarum apice puncto nigro. Tarsi antici longe pilosi, horum articulis 1:mo tibia tantum paullo breviori, 2:do & 3:tio simul sumtis longitudine circiter tibiæ". Stæg. l. c. — An varietas præcedentis?

Obs. Nomen *annulatus* pro *Tanypi* specie pensylvanica jam adhibitum est. Cfr. Wiedem. Dipt. Exot. Hammonæ 1828. 1. 19. 3.

35. *T. dubius:* "albidus; stethidio rufo-ferrugineo, vittato; abdomine punctis dorsalibus nigris; alis albidis, fascia media apiceque obsolete fuscis. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.)"

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 587. 11. ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, loco speciali non indicato. Mihi plane ignotus.

♂. "Albidus. Antennarum pluma rufo-flava. Thorax ferrugineus, vittis 3 perspicuis. Abdomen album: ad marginem segmenti 2:di ad 5:tum duabus lineis longitudinalibus approximatis nigris, segmentis 2 ultimis supra totis obscuris. Alæ albidæ, fascia media apiceque fuscis; in nervo longitudinali 4:to, ubi hic in margine posteriori excurrat, quoque fascia obsoleta fusca. Pedes albi, antici: tibia, tarsorum articulo 1:mo, & quatuor ultimis simul sumtis, longitudine circiter æquali, omnino ut in *T. nubilo* n:o 30. Tarsi antici pilosi. Hic forcitan est ♂ *Tanypi nubili?*" Stæg. l. c.

36. *T. longimanus:* "albidus; thorace ferrugineo-vittato; abdomine fusco-annulato; alis cinerascentibus, immaculatis; pedibus anticis elongatis, tarsis nudis. ♂. (Long. 2 lin.)."

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 587. 12. ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger;* a me neque captus, neque visus.

♂. "Albidus. Antennnarum pluma flava. Thoracis vittæ, metathorax & lamina pectoralis rufescentia. Abdominis segmenta omnia medio annulo brunneo, & strigis 2 nigris, margine antico posticoque albido. Alæ nonnihil cinerascenti-hirtæ. Pedes pallidi, antici distincte elongati: tibia longitudine tarsorum articulorum 1:mi & 2:di simul sumtorum; horum articulorum 1:mus iterum 3:tio, 4:to 5:toque simul numeratis æqualis. Tarsi nudi." Stæg. l. c.

37. *T. ferruginicollis:* dilute ferrugineus, opacus, thorace testaceo-vittato, sterno metathoraceque saturatiore; antennis pallide cinereis (♂), aut flavidis (♀); alis cinereo-albidis, immaculatis, subglabris; pedibus pallescentibus; *maris* tarsis anticis pubescentibus, articulo 1:mo in utroque sexu tibia longiuscula fere $\frac{1}{4}$ breviori. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 64. 15. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 62. 8 (ubi "thorax cinereus, vittis brunneis" describitur)? Tab. 1. f. 6? ♂. — Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3. 6. — *Chironomus Tanypodipennis* Fries in litt. Zett. Ins. Lapp. 813. 22. ♂♀.

Hab. in Svecia & Lapponia mense Julio rarius; scilicet in Ostrogothia 4 mares & 5 feminas inveni; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina uterque sexus in paucis individuis etiam captus.

♂♀. Pallide ferrugineus. Antennæ in ♂ pallide brunneæ l. dilute cinereæ, in ♀ flavicantes. Oculi nigri. Palpi fusci. Thorax flavo-ferrugineus, dorso vittis 3 ferrugineis l. testaceis. Scutellum flavum. Sternum & metathorax plus l. minus brunnea. Abdomen in ♂ angustum, pilosulum, testaceum, dorso sæpe fuscum, segmentis 3 ultimis paullo latioribus, depressis, appendiculis ani parvis fuscis; in ♀ crassiusculum, pubescens, ferrugineum l. carneum, incisuris tenuiter brunnescentibus. Alæ albidæ, immaculatæ, microscopice vel tenuissime tantum hirtulæ. Nervi: transversus medius adest; 6:tus longitudinalis in hac specie subrectus l. apice leniter tantum arcuatus, nec ut in plerisque prioribus in marginem interiorem distincte inflexus, qua nota *Chironomo* accedit; appendiceus pone medium costæ nullus. Margo interior vix ciliatus. Halteres albi. Pedes mediocres, testacei l. flavi, immaculati, parum pilosuli. Tarsi antici in ♂ breviter pubescentes, saltem non barbati, articulo 1:mo in utroque sexu tibia longiuscula fere $\frac{1}{4}$ breviori, 2:do 1:mo duplo breviori, reliquis longitudine sensim decrescentibus.

38. *T. crassipes:* brunneus, glabriculus; alis albidis, immaculatis, apice obtusis, seta obscura armatis; pedibus lividis, posterioribus brevibus, femoribus omnibus incrassatis. ♀. (Long. fere 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 819. 13. ♀.

Hab. in regione subalpina Lapponiæ Tornensis forte rarissime, mihi tantum ad lacum Torneträsk d. 10 Jul. 1821 semel obvius.

♀. Species valde dubia, certe ad novum genus & forsan etiam ad diversam familiam referenda. Specimina duo manca possideo. Totus fuscus, opacus, subglaber. Antennæ tenues, filiformes, lividæ, parum pubescentes, articulis circiter 14 valde coadunatis, ultimo ovato-conico. Oculi nigri. Thorax minus convexus. Abdomen modice crassum, subcylindricum.

Alæ (fortuito? plicatæ) albæ, immaculatæ, nudæ? versus apicem latiores, apice obtusæ, nervis præter unum l. alterum longitudinalem, cujus medium furcatum, ægre determinandis. Sed nervus costalis in apice alæ disinit in setam subarcuatim deflexam, obscuram, longitudine circiter 6:tæ partis totius alæ. Halteres albi. Pedes sordide testacei, nudi; antici: femoribus modice incrassatis, tibiis brevibus, tarsis longiusculis dilutioribus; intermedii: femoribus valde incrassatis tibiisque tarsisque brevissimis; postici: femoribus incrassatis subincurvis tibiisque modice elongatis, tarsis brevissimis. — In altero specimine, ut videtur juniori, abdominis fasciæ pedesque pallidiora, femorum tibiarumque apex puncto fusco. Antennæ mutilatæ.

224. CERATOPOGON Meig.

Corpus minutum aut minutissimum, oblongum, glabriculum. Caput mediocre, sessile, subtransversum, facie plana. Antennæ in emarginatura oculorum insertæ, porrectæ, filiformes, capite multo longiores, 13-articulatæ (radicula verruciformi non computata); articulis 8 inferioribus globosis (in ♂ extrorsum barbatis, barba secunda; in ♀ pilosis l. pubescentibus), sequentibus cylindraceis, oblongis. Os nonnihil productum. Palpi exserti, incurvi, cylindrici, 4-articulati, articulo 1:mo brevi, 2:do fere triplo longiori, duobus ultimis inter se æqvalibus, horum singulo 2:do fere duplo breviori. Oculi reniformes, in utroque sexu remoti. Ocelli nulli. Thorax ovatus, convexus, capite parum altior, antice parum protuberans; absque sutura transversa; dorso non striatus, sed postice impressus. Scutellum mediocre, transversum. Metathorax brevis. Abdomen thorace longius, subcylindricum, basi sæpe subangustatum, & in ♂ interdum subdepressum; 8-annulatum. Alæ sublanceolatæ, aut dilatatæ, apice rotundatæ; parallelæ, incum-

bentes; nudæ aut microscopice vel tenuiter hirtulæ; paucinervosæ. Nervi ad costam sæpe distinctiores, reliqui obsoleti; longitudinales: 1:mus circiter ad medium costæ productus, 2:dus paullo ultra medium extensus; 3:tius 4:tusque furcas formantes, quarum rami 4 in marginem interiorem descendunt; transversus parvus 2:dum & 3:tium longitudinalem in medio alæ non longe a costa connectit. Hæc vero directio nervorum in diversis speciebus paullo diversus. Halteres nudi. Pedes subæque longi, basi approximati, femoribus (præsertim posterioribus) subelongatis, interdum incrassatis, interdum subtus spinulosis. *Color* sæpissime niger. Thorax non vittatus. *Motu* repens; volatus brevis; in ziczac saltat. *Habitatio* in foliis fruticum & floribus plantarum, imprimis locis humidis depressis. Feminæ quarundam specierum pungentes. Observante Prof. *Wahlberg* species *Ceratopoginis, Culicis* & *Simuliæ*, ipsæ, animalia calidisangvia pungentes, a *Tachydromia Macula, Cordilura hæmorhoidali* & *Hormopeza oblitterata* hostiliter attentantur. Præsersim nempe duo illa proxime nominata insecta in alpibus Lapponicis & in ipsis tentoriis Lapponum *Ceratopogines* persequuntur, invadunt eosque exsugunt. *Larvæ* sub cortice truncorum putridorum degentes, describuntur a *Guerin* (Ann. de la Soc. Ent. de France, 1833. p. 161, referente *Fries* (Zool. Årsberätt. in Act. Holm. 1834. p. 81); a *Löw* (Stett. Ent. Zeit. 1843. p. 27, referente *Boheman*, Zool. Årsb. in Act. Holm. 1843—1844 p. 177), & a *Leon Doufour* (Ann. Ent. II, Ser. III, p. 215. t. 3. n:o 2., referente *Boheman*, Zool. Årsb. in Act. Holm. 1845—1846. p. 241). Cfr. etiam *Bouché*, Naturgesch. der Insecten, 1834. 1. p. 23. *Differentia sexus* perspicua; *mas* nempe antennis a basi ad medium & ultra longe barbatis, barba secunda, a *femina* antennis breviter pilosis facile dignoscitur. *Typi* generis: *C. nitidus* (6), *pulicaris* (28) & *femoratus* (51).

Sect. 1. Femora omnia simplicia, inermia. (Feminæ pungentes).

*. Alæ nudæ.

1 *venustus* Meig. (*C. concinnus* Zett. Ins. Lapp. ex parte) ♀. 2 *concinnus* Meig. ♂♀. 3 *bicolor* Panz. (*Cer. armillatus* Fries) ♀. 4 *univittatus* Zett. ♀. 5 *unimaculatus* Macqv. ♂♀. 6 *nitidus* Macqv. (var. a. b. c.) ♂♀. 7 *Leucopeza* Meig. (*Cer. albitarsis* Wied.) ♂♀. 8 *signatus* Meig.? ♀. 9 *nigritulus* Zett. ♂♀. 10 *lacteipennis* Zett. ♂♀. 11 *humeralis* Zett. ♀. 12 *sordidellus* Zett. ♀. 13 *brunnipes* Meig. ♂♀. 14 *communis* Fabr.? ♂♀. 15 *tessellatus* Zett. n. sp. ♀. 16 *vittiger* Zett. n. sp. ♂♀. 17 *fuscus* Meig. ♂♀. 18 *fuscipes* Zett. n. sp. ♂♀. 19 *dorsalis* Zett. n. sp. ♂♀. 20 *villosus* Zett. n. sp. ♂. 21 *validinervis* Zett. n. sp. ♀. 22 *Stigma* Meig. ♂♀. 23 *coracinus* Zett. n. sp. ♂. 24 *minutus* Meig. ♂♀. 25 *niveipennis* Meig.? ♀. 26 *Pusio* Zett. n. sp. ♀. 27 *flavo-scutellatus* Zett. n. sp. ♀.

**. *Alæ totæ, aut saltem ex parte hirtulæ.*

28 *pulicaris* Linn. ♂♀. 29 *obsoletus* Meig.? ♂♀. 30 *palustris* Latr. ♂♀. 31 *nubeculosus* Meig.? ♀. 32 *funebris* Meig. ♂♀. 33 *vexans* Stæg. ♂♀. 34 *pictipennis* Stæg. (non Meig.) ♀. 35 *fascipennis* Stæg. ♀. 36 *bipunctatus* Gmelin. (*Chiron. hirtulus* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀.

Sect. 2. Femora aut antica, aut postica subtus spinulosa.

A. Femora antica sæpe leniter subincrassata, subtus semper spinulosa l. setulosa. (*Palpomyia* Steph.)

37 *fasciatus* Macqv. (*Cer. cingulatus* Meig. var. ♀? —

Cer. procerus Fries) ♀. 38 *lineatus* Meig. ♀. 39 *affinis* Stæg. ♂♀. 40 *binotatus* Stæg. *(Cer. cinereus* Macqv.?) ♀. 41 *circumdatus* Stæg. ♀. 42 *posticatus* Zett. n. sp. ♀. 43 *leucogaster* Zett. n. sp. ♀. 44 *hortulanus* Meig. var. a. (var. b. *Cer. flavipes* Meig.) ♀. 45 *armipes* Meig.? *(Cer. hortulanus* var b. Zett. Ins. Lapp.) ♀. 46 *tibialis* Meig. ♀. 47 *erythrocephalus* Stæg. ♀. 48 *flavitarsis* Meig.? Stæg. ♀. 49 *ferrugineus* Meig. ♀. 50 *Transfuga* Stæg. ♀.

B. Femora postica incrassata, subtus spinulosa l. setulosa. *(Priomyia* Steph. — *Serromyia* Halyday, Catal.).

51 *femoratus* Fabr. ♂♀. 52 *Morio* Fabr. *(Cerat. ater* Meig. ♂) ♂♀. 53 *flavicornis* Stæg. ♂.

Ceratopogon.

Sect. 1. Femora omnia simplicia, inermia. *(Feminæ pungentes.)*

*. *Alæ nudæ.*

1. *C. venustus:* niger, nitidus, antennarum basi late, palpis, abdomine halteribusque albis; alis albido-hyalinis; pedibus pallidis, nigro-annulatis, tibiis posticis basi fascia lata nigra. ♀. (Long. saltem 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 78. 24. ♀. Macqv. Buff. 1. 65. 6. Stæg. Dipt Dan. in Kröjers Tidsskrift 1840. p. 592. 4. ♂♀. *C. concinnus* Zett. Ins. Lapp. 820. ex parte.

Hab. in graminosis & Salicetis, libenter juxta aquam, per Scandinaviam Julio & ineunte Augusto, passim, mares rarius observantur; feminæ scilicet deprehensæ in Sca-

nia ad Lund, Fogelsång, Tranås, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Dania D. *Stæger*; in Lapponiis Umensi & Tornensi ex. gr. ad Wilhelmina & Karesuando rarius.

♀. Abdominis colore & pedum pictura facile dignotus. Caput nigrum. Antennæ basi (articulis circiter 8) albidæ, apice fuscæ. Palpi albi. Stethidium nigrum, nitidum. Abdomen crassiusculum, totum flavido-album, in vivo e rubente albidum. Alæ sublanceolatæ, albidæ, nudæ, nervis tenuibus, albicantibus, ad costam distinctioribus. Halteres albi. Pedes antici breviusculi, posteriores paullo longiores, omnes albido-flavi, femorum tibiarumque apice, & tarsorum articulo ultimo subtus setuloso, nigris. Tibiæ posticæ quoque basi fascia lata ad medium extensa nigra ornatæ.

Obs. Marem genuinum non vidi. Femina variat abdomine basi fusco.

2. *C. concinnus:* niger, nitidus, antennarum basi late, palpis, abdominis basi apiceque, halteribusque albis; alis albido-hyalinis; pedibus pallidis, nigro-annulatis, tibiis posticis medio fascia lata nigra. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 77. 23. ♀. Macqv. Buff. 2. Suppl. p. 628. 21 ♀. Zett. Ins. Lapp. 820. 1. ♂♀. ex parte (var. b.). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 592. 3. ♀. *Sphæromyas* id. Halyday, Catal. Ent. Mag. n:o 2, 148.

Hab. in Scandinaviæ graminosis & frutibus Aug. rarius; nempe in Scania ad Lund; in Jemtlandia ad Åreskutan & Mulfjellet; in Lapponia ad Torneå, Wilhelmina & Nästansjö; in Dania semel, D. *Stæger*.

♂♀. Similis priori, sed abdomine versus apicem nigro, & tibiis posticis fere in medio (nec basi) fascia nigra, dignotus. Caput nigrum. Antennarum articuli 8 basales albidi, reliqui

brunnei. Palpi albi. Stethidium nigrum, nitidum. Abdomen in ♂ angustum, segmentis 2 1. 3 basalibus albidis, reliqvis nigris, appendiculis ani albidis; in ♀ crassiusculum, albidum, segmentis dorsalibus 3, 4 & 5 nigris. Alæ, halteres & pedes ut in præcedente, tibiis posticis fascia media nigra.

Obs. Marem etiam e Dania sub nomine: "*Cerat. venustus*" obtinui.

3. *C. bicolor:* canescens, opacus, thorace vittis tribus fuscis; antennarum basi, scutello abdomineque albis; alis albido-hyalinis; pedibus pallidis, nigro-annulatis, femoribus anticis annulis subtribus brunneis. ♀. (Long. saltem 1 lin.).

Panz. Fn. Germ. 103. 13. ♀. Meig. Dipt. 1. 77. 22? ♀. *Cerat. armillatus* Fries manuscr.

Hab. in foliis fruticum per hortos & nemora Sveciæ meridionalis mense Julio, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Ausås, Esperöd in paroecia Tranås, & Lindholmen, parce lectus.

♀. Opacus. Caput fuscum. Antennæ albidæ, radicula brunnea, apice fuscæ. Palpi pallidi. Stethidium canescens l. brunneum, vittis thoracis saturatioribus. Scutellum pallidum. Abdomen albidum. Alæ sublanceolatæ, albæ, immaculatæ, nudæ. Halteres albi. Pedes albi; antici: femoribus annulis subtribus, uno basi valde obsoleto, 2:do versus apicem l. saltem pone medium, brunneo, & 3:tio in ipso apice paullo saturatiore; tibiis annulo ante medium & apice nigro-brunneis; intermedii: femoribus basi obsolete, genubus sat late, tibiarumque apice anguste, brunneo-nigris; postici: femoribus basi, genubus late, & tibiarum apice modice late, brunneo-nigris. Tarsi omnes albidi, articulorum apice puncto nigro. — Specimina minora geniculis anguste brunneis & femorum anticorum annulo medio deficiente, an speciei distinctæ? — Cfr. præterea *Cerat. leucogaster* nob. n:o 43.

Obs. Pictura pedum in nostris paullo discrepat a descriptione Meigeniana, unde dubium de identitate.

4. *C. univittatus:* canus, opacus, thorace vitta unica brunnea; antennarum basi, scutello abdomineque albis; alis albido-hyalinis; pedibus pallidis, nigro-annulatis, anticorum femoribus tibiisque singulis annulis tribus brunneis. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 820. 2. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali valde rarus; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina d. 19 Jul. 1832 detectus. (Ad Uleåborg Finlandiæ, D. Doct. *W. Nylander*).

♀. *C. bicolori* proximus & similis, sed magnitudine paullo minore, thorace univittato, non solum femoribus anticis, verum etiam tibiis ejusdem paris in medio annulo brunneo ornatis, tandemque geniculis pedum posteriorum angustius nigricantibus, distinctus. Subglaber, opacus. Caput cinereum. Antennæ fuscæ, basi & palpis pallidis. Stethidium læte brunneo-cinereum, thoracis vitta dorsali media castanea, & puncto postico utrinque ejusdem coloris, obsoleto. Scutellum flavidum. Abdomen totum album, ventre linea basali & ano subtus, fuscis. Alæ albæ, nudæ, nervis tenuibus albis. Halteres nivei. Pedes albi; antici: femoribus annulis 2, uno basali & altero medio, dilute, apiceque saturate brunneis; tibiis basi apiceque nigricantibus, & annulo medio brunneo; intermedii: geniculis tibiarumque apice anguste nigricantibus; postici femoribus basi late brunneis, geniculis tibiarumque apice anguste brunneo-nigris. Tarsi omnes albidi, articulorum apice puncto nigro. Coxæ omnes fusco-cinereæ.

5. *C. unimaculatus:* niger, nitidus; alis hyalinis, nervis marginalibus & macula in medio costæ obscuris; halteribus albis; pedibus rufo-flavis, genubus, & tibiarum tarsorumqe apice nigris. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Macqv. Dipt. d. N. 1. 178. 4. Ejusd. Buff. 1. 65. 4. Meig. Dipt. 7. 19. 67. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 590. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum nec non Cyperaceis, plerumque in vicinate aqvæ, per Scandinaviam meridionalem, mense Jul. passim; scilicet in Scania ad Fogelsång, Röstånga &c.; in Westrogothia ad prædium Tubbetorp, 1849, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Ejsta; in Norwegia ad Thynäs; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Caput & corpus nigra, nitida. Palpi flavidi. Alæ hyalinæ, nervis ad costam distinctioribus, & macula in medio costæ (in regione nervuli transversi) indeterminata, fusca. Halteres albi. Pedes flavi l. rufo-flavi, coxis concoloribus; anticorum femorum summo apice, posteriorumque genubus modice late, omnium tibiarum tarsorumque apice, nigris. Tarsorum articuli apice quoque puncto nigro notantur. — Varietatem femineam antennarum radicula & abdominis basi rufo-flavis vidi.

Obs. Sub nomine: *C. Stægeri,* in museo meo olim asservatus. In museo Westermanni ut *C. maculipennis* Winth. designatus fuerit.

6. *C. nitidus:* niger, nitidus; alis hyalinis, immaculatis; halterum clava obscura; pedibus rufo-flavis, genubus & tibiarum tarsorumque apice nigris. ♂♀ (Long. 1— plerumque $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. tibiis posticis totis nigris.

Macqv. Buff. 1. 62. 2. Meig. Dipt. 7. 19. 66. (ex descriptione Macqv. transscriptus). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 590. 2. var. b. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tibiis posticis rufis, basi apiceque nigris. Stæg. l. c. var. a. ♂♀.

Var. c. ♀. pedibus posticis nigris, femoribus ab apice & paullo ultra medium rufis.

Hab. in Salicetis & graminosis prope aquam, per hortos & prata Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ Jul. Aug., passim copiose; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Gottlandia ad Ahlskog, Thorsborg, Wamlingbo &c.; in Jemtlandia ad Ristansfors, Åreskutan & Mulfjellet non parce; in Lapp. Lulensi rarius, D. *Andersson*; in Dania copiose, D. *Stæger*. Varietates omnes promiscue occurrunt. Feminæ inter Nemoceras raptorias crudelissimæ numerandæ. Harum crudelitas ut & speciei singularis copulationis modus a D. *Stæger* l. c. plene & vivide describuntur. (Femina ad Stettinum 8 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* quoque capta).

♂♀. A priori, cui similis, alis immaculatis, nec costa in medio maculata, halteribus nigris, nec albis, &c., dignoscitur. Magnitudine etiam plerumque paullo major, sed variat quoque interdum fere duplo minor. Niger, nitidus. Antennæ normaliter nigræ, sed in juvenilibus sæpe basi pallescentes, radicula saltem flava; pilosæ. Palpi nigri, interdum pallescentet l. fusci. Abdomen basi coarctatum, segmentis 1 vel 2 sæpe flavidis. Alæ sublanceolatæ, hyalinæ, immaculatæ, nervis ad costam testaceis l. dilute fuscis. Halteres nigri, petiolo sæpe albido, in individuis forte junioribus toti subalbicantes. Pedes rufo-flavi, ut in præcedente picti. Coxæ posteriores nigræ. Pedes postici variant, jam normaliter rufi, femorum apice plus minusve late, tibiis totis, tarsorumque articulis 3 ultimis nigris; jam denique toti nigri, femorum basi rufo-flava. — Cum *C. tibiali* infra n:o 46, femoribus anticis subtus setulosis, distincto, alias sat simili, non confundendus.

Obs. Hanc speciem *Cerat. Scirpii* olim vocavi, & sub eo nomine etiam inter amicos entomologicos divulgavi.

7. *C. leucopeza:* niger, nitidus; alis albo-hyalinis; halteribus albis; pedibus nigris, tarsis albis, articulatione nigra. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. I. 72. 11. ♂. Macqv. Buff. I. 66. 12. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 592. 5. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 4. 5. *Cerat. albitarsis* Wied. Zool. Mag. I. 67. 7. Meig. Dipt. I. 79. 26. ♀. & Ejusdem 6. p. 261. ♀.

Hab. in Dania, mense Junio, rarius, D. *Stæger.* Mihi in Svecia non obvius. (Ad Neuenkirchen in Megalopoli (Meklenburg Strelitz) 15—20 Maji 1842 feminæ a D. *Dahlbom* lectæ).

♂♀. Niger, nitidus. Pluma antennarum in ♂ albo-micans. Alæ in ♂ angustatæ, hyalinæ, in ♀ paullo latiores. Pedes nigri, tarsis albis articulatione nigra.

8. *C. signatus:* ater, thorace lineolis 2 albo-micantibus; antennis testaceis; alis albidis, immaculatis; pedibus albo nigroque variis. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 74. 16? ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 592. 6? ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania ad Lund 6 Jun. 1849 femina deprehensa, & ad Esperöd, in paroecia Tranås in folio Qvercus d. 1 Aug. 1820 femina quoque semel a me lecta; marem invenit D. *Stæger* in Dania, loco speciali & tempore non indicatis.

♀. Per picturam pedum ab affinibus facile dignotus. Ater. Antennæ flavescentes, in altero specimine fuscæ, radicula magna nigra. Alæ albæ. Halteres nigri. Pedes anteriores: femoribus albidis annulo pone medium, geniculisque anguste, nigris, tibiis nigris basi apiceque anguste albis; postici: nigri,

tibiis ima basi albidis; tarsis omnibus albidis, articulatione nigra. — Cfr. *C. vittiger* n:o 16.

♂ (mihi ignotus) a D. *Stæger* l. c. describitur ut: "ater, thoracis opaci lineis 2 argenteis micantibus; antennarum pluma pallide flava; pedibus albidis nigro-geniculatis: femoribus anterioribus tibiisque omnibus annulo fusco, femoribus posticis apice nigris. (Long. 1 lin.)"

9. *C. nigritulus:* niger, subopacus, antennis halteribusque concoloribus; alis albido-hyalinis, immaculatis; pedibus piceo-nigris, tarsis dilutioribus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 820. 3 ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ; in paludosis in insula Senjen in societate cum *C. brunnipede & hortulano* Jul. 1821 inventus; ♂ ad Sul Norwegiæ Jul. 1840 etiam captus.

♂♀. Totus nigricans, parum nitidus. Antennæ maris pluma apice brunnescente. Alæ angustatæ, albicantes, immaculatæ. Halteres nigri, petiolo fusco. Pedes nigricantes, aut piceo-nigri, aut picei; tarsis plerumque dilutioribus.

10. *C. lacteipennis:* niger, subopacus; antennis pedibusque brunnescentibus; alis lacteis, halteribus niveis. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 820. 4. ♂♀.

Hab. cum priori rarius, in insula Senjen Norwegiæ 23 Jul. lectus.

♂♀. Similis videtur Meigeni *Cer. leucoptero, niveipenni & albipenni,* sed ab horum primo magitudine minori & pedibus non testaceis; a *C. niveipenni* etiam magnitudine paullo minori pedibusque lividis unicoloribus, nec atris, neque tar-

sorum posticorum articulo 1:mo nigro; & tandem a *C. albipenni*, cui magnitudine æqvalis, pedibus non nigris, dignoscitur. Antennæ in ♂ nigricantes, pluma brunnea; in ♀ dilutiores. Alæ angustatæ, lacteæ, immaculatæ. Pedes variant aut picei aut lividi.

11. *C. humeralis:* niger, nitidus, thoracis limbo humerali, halteribus, femorum ima basi, tibiarumque annulo medio, flavis; antennis fuscis; alis albido-hyalinis, nervis ad costam subfuscescentibus. ♀. (Long. 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 820. 5. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Åsele 26 Jul. 1832 in unico exemplo captus.

♀. Niger. Antennæ breves, fuscæ; macula sub antennis pallida. Stethidium nigrum, nitidum, glabrum, thoracis utrinque macula humerali magna, linea collari connexa, flava. Scutellum, & metathorax stria media impressus, nigra. Abdomen subincurvum, puberulum, nigricans, incisuris omnium tenuissime albidis, ventre livido. Alæ angustatæ, nudæ, albidæ, nervis ad costam & transverso medio distinctioribus, in exsiccato testaceis l. dilute fuscis. Halteres pallidi. Pedes longiusculi, tenues, nigricantes, trochanteribus, femoribus ima basi tibiarumque fascia media, flavis. Tarsi in exsiccato fusci, anticorum articulo 1:mo tibia longiuscula fere duplo breviori. — *Chironomo* & *Tanypo* habitu valde accedit.

12. *C. sordidellus:* obscure fuscus, opacus; alis latiusculis albidis, maculis 2 costalibus, harum una stigmaticali fusca, altera pone illam cinerea; halteribus pallidis; pedibus flavo-lividis, immaculatis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 820. 6. ♀. Stæg. Grönlands Antl. in Kröjers Tidsskr. 1845. p. 355. ♀.

Hab. in Septentrione; hactenus tantum in Grönlandia deprehensus.

♂♀. Specie vere distinctus. Opacus, exsiccatus cinerascenti-fuscus. Antennæ testaceæ. Haustellum exsertum. Abdomen puberulum. Alæ dilatatæ, sordide albidæ, macula costali pone medium distincta fusca, & pone hanc mox infra costam alia obsoletiori, cinerea. Halteres albidi. Pedes mediocres, lividi l. flavidi, pubescentes.

13. *C. brunnipes:* brunneo-nigricans, subnitidus; abdomine obscuro; alis albidis, immaculatis, halteribus albis; pedibus testaceis, immaculatis. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 71. 7. ♀. Zett. Ins. Lapp. 821. 7. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 593. 9. ♂♀.

Hab. in paludosis Scandinaviæ passim, mihi a medio Junii ad finem Augusti obvius, in copula etiam observatus; scilicet in Scania ex. gr. ad Björnstorp, Esperöd (in litore maris) &c.; in Smolandia; in Ostrogothia ad Wadstena frequens; in Westrogothia ad Apelsäte, *B. Fries;* in Gottlandia ad Furillen; in Norwegia ad Thynäs non parce; in Lapponia Norwegica rarius, nempe in insula Senjen Nordlandiæ cum *C. nigritulo* captus; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Statura *Tachydromiam* mentiens. Brunnescens l. griseo-nigricans. Antennæ obscuræ, pluma in ♂ nigricante, apice albo-micante. Abdomen obscurum. Alæ in ♂ subangustatæ, in ♀ modice latæ, in utroque sexu cinereo-albidæ, immaculatæ, subnudæ l. tantum microscopice puberulæ, nervis ad costam subfuscis l. testaceis. Halteres albidi. Pedes testacei, in exsiccato flavescentes; immaculati, pubescentes. — ♀ variat fere duplo minor; in Norwegia ad Thynäs.

14. *C. communis:* niger, opacus; antennis nigricantibus, pluma in ♂ apice albo-micante; alis albido-hyalinis, immaculatis, nervis ad costam subfuscis, halteribus albis; pedibus piceis, immaculatis. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ ¾ lin.).

Meig. Dipt. I. 70. 2? ♂♀. Macqv. Buff. I. 65. 3? *Chironomus* idem Fabr. Antl. 44. 31?

Hab. in Svecia meridionali rarius; in fenestra Lundæ Scaniæ 25 Maj. & 1 Jun. unicum marem & septem feminas, has pungentes, inveni.

♂♀. Magnitudo & summa præcedentis similitudo, sed thorace abdomineque obscurioribus differre videtur. Corpus in nostris non atrum, sed nigrum & post exsiccationem nigro-brunneum, unde synonyma allata dubia.

15. *C. tessellatus:* niger; alis albidis, maculis ad costam duabus majusculis subquadratis nigricantibus; halteribus albis; pedibus nigro-brunneis. ♀. (Long. ¾ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in folio Ulmi campestris 29 Jul. 1818 specimen unicum ad Esperöd in paroecia Mellby Scaniæ detegi.

♀. Affinis proxime præcedentibus, sed alarum pictura insigni diversus. *Cer. nubeculoso* Meig. Dipt. 6. 263. 51, etiam similis videtur. Nigricans. Alæ albidæ, maculis 2 costalibus sat magnis subqvadratis obscuris, una mox ante, altera mox pone medium costæ, sitæ, macula subqvadrata alba interjecta. Alæ subnudæ (in specimine diu exsiccato) mihi videntur. Halteres albi. Pedes nigro-brunnei, tarsis dilutioribus.

16. *C. vittiger:* niger, thorace lineolis 2 albo-micantibus; alis albido-hyalinis, immaculatis; antennis pe-

dibusque flavescentibus, femoribus posticis obscuris. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab in Svecia media valde rarus, in fenestra ad Wadstena Ostrogothiæ d. 12 Aug ante plures annos marem & feminam inveni.

♂♀. *C. signato* n:o 8 valde similis, & ad illum olim a me relatus, sed alia pedum pictura aliam prodit speciem. Niger, subnitidus. Antennæ in utroque sexu flavæ. Alæ in ♂ subangustatæ, in ♀ nonnihil latiores, in utroque sexu albidæ, immaculatæ, nervis omnibus (etiam ad costam) tenuibus, albidis. Halteres mutilati. Pedes pallide flavi, femoribus posticis apice saltem ad tertiam partem totius femoris nigro-brunneis. Tibiæ posticæ etiam certo situ fuscæ videntur. Genicula anteriora etiam puncto obscuro notantur.

17. *C. fuscus:* nigro-fuscus, nitidus, antennis halteribusque concoloribus; alis cinereo-albidis, immaculatis, nervis ad costam sordide testaceis; pedibus testaceis, immaculatis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{2}{3}$, ♀ $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 71. 6. ♂.

Hab. in Scania mense Jul. rarius, etiam in copula captus; ad ambos Esperöd (& in parœcia Tranås & in parœcia Mellby), deprehensus; in Norwegia ad Gjemnäs 8 Aug. 1843 ♀ a D. *Siebke* lecta. E Dania etiam missus (♀). Specimen femineum ad Thynäs Norwegiæ Julio 1840 captum etiam huc refero.

♂♀. Parvus. Nigricans, nitidus. Antennæ obscuræ, pluma in ♂ exsiccato apice certo situ flavicante. Alæ albicantes, nervis costalibus in exsiccato testaceis. Halteres obscuri. Pedes testacei, in exsiccato straminei; immaculati. — A *C. melancholico* Meig. Dipt. 7. p. 18. 63. ♀. non multum differre videtur.

18. *C. fuscipes:* niger, subnitidus, antennis concoloribus, pluma apice in ♂ albicante; alis cinereo-hyalinis; halteribus albis; pedibus fuscis. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ fere ⅔ lin.).

Hab. in Dania, e qua sub nomine: "*C. fuscipes*" olim a D. *Stæger* communicatus; marem ad Thynäs Norwegiæ 4 Jul. 1840 semel legit D. *Dahlbom*.

♂♀. Similis videtur *C. leucoptero* Meig., sed alis magis cinereis & pedibus brunneis, nec testaceis, forte distinctus. Nigricans, subnitens. Antennæ nigræ, penicillo in ♂ apice albo. Alæ in ♂ subangustatæ, in ♀ nonnihil latiores, in utroque sexu sordide hyalinæ, nudæ, immaculatæ, nervis ad costam testaceis. Halteres albi. Pedes toti in exsiccato dilute brunnei.

19. *C. dorsalis:* niger, nitidus, pleuris ferrugineis; antennis brunneis, radicula flava; scutello halteribusque albis; alis albidis, immaculatis; pedibus rufo-flavis. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Hab. in Svecia meridionali parcissime; in Scania ad Esperöd (in parœcia Mellby) in graminosis locis aridis in pascuo Qvasa 4—21 Jul. 1818 aliquot individua mascula inveni, deinde 20 Jul. 1843 eodem loco etiam feminam deprehendere mihi contigit.

♂♀. *Cerat. laterali* Meig. Dipt. 7. 18. 61. ♀. sat similis videtur, sed præter discrimen sexus, differt etiam pedibus rufis subimmaculatis, nec femoribus tibiisque posticis nigris, &c. Gracilis, nitidus. Antennæ brunneæ. Stethidium ferrugineum, thoracis dorso nigro. Scutellum albidum. Metathorax obscurus. Abdomen nigro-brunneum, basi dilutius, sæpe indeterminate ferrugineum, ventre in ♀ flavescente. Alæ in utroque sexu albidæ, immaculatæ, nervis costalibus in diu exsiccato testaceis, in ♀ recentius capta distinctioribus, subfuscis.

Halteres albi. Pedes in ♂ toti rufo-flavi, coxis flavo-ferrugineis; in ♀ flavi, femoribus tibiisque posticis brunneis.

20. C. *villosus:* fusco-luteus, opacus, distincte hirsutus; antennis obscuris, pluma apice pallescente; abdomine nigro, annulis 4 flavis; alis cinereis, nervis costalibus fuscis, halteribus albis; pedibus flavis immaculatis, longe pilosis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad diversorium Röstånga 18 Jul. 1839 specimen descriptum inveni.

♂. Per colorem corporis sordide lutescentem & pilositatem conspicuam præsertim in abdomine & pedibus, ab aliis facile distinctus, nec specimen immaturum puto. Opacus. Caput fuscum. Antennæ nigricantes, pluma summo apice certo situ e pallido micante. Oculi nigri. Stethidium cum scutello & metathorace dilute fuscum l. dilute brunneum, supra hirtum. Abdomen angustum, longe & distincte griseo-pilosum, nigrum l. brunneo-nigrum, annulis quatuor flavis in segmentis 4 anticis locatis. Alæ angustatæ, cinereo-hyalinæ (vix detritæ), immaculatæ, nervis costali & 1:mo longitudinali approximatis, parallelis, ad medium costæ extensis, crassiusculis, fuscis. Halteres toti albi. Pedes toti pallide flavi, postici imprimis longe pallide pilosi. — A *Cer. annulato* Meig. Dipt. 1. 17. 59. ♂, cui affinis videtur, corporis colore hirsutieque differt.

21. C. *validinervis:* nigricans, subopacus, pubescens; alis aqveis, nervis distinctis, obscuris; halteribus pedibusque pallide flavis, immaculatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in insula Gottlandiæ, ubi ad Wamlingbo d. 5 Jul. 1841 exemplum unicum detegit D. *Dahlbom.*

♀. Alarum pelluciditate, nervorum perspicuitate, ut & pedum colore pallide flavo, ab affinibus præcipue dignotus. Nigri-

cans, parum nitidus, undique breviter cinereo-puberulus. Antennæ, ex parte mutilatæ, obscuræ videntur. Alæ latiusculæ, pure hyalinæ seu vitreæ, nervis omnibus conspicuis, præsertim ad marginem costalem validis & obscuris. Halteres pallide flavi, nudiusculi, validi. Sub femoribus nullas setulas observare possum.

22. C. *Stigma:* niger; alis niveis, puncto in medio costæ distincto nigro, halteribus albis; pedibus obscuris, tarsis pallescentibus. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 73. 14. Tab. 2. f. 18. ♂.

Hab. in Svecia media rarius, scilicet in Smolandia ad Skärsjö, *Ljungh;* in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg.*

♂♀. Alæ albæ, puncto costali medio solitario nigro, specimen designant. Niger, opacus. Antennæ maris pluma apice albo-micante. Alæ in ♂ modice latæ, in ♀ latiusculæ, in utroque sexu niveæ, puncto in medio costæ nigro, in ♂ parvo, in ♀ majusculo. Halteres albi. Pedes nigri, tarsis dilutioribus.

Variat, forte junior, toto corpore brunneo, antennis pedibusque testaceis l. brunneo-flavis.

23. C. *coracinus:* totus aterrimus, nitidus, antennis, halteribus pedibusque concoloribus; alis albo-hyalinis, immaculatis; tarsis fuscescentibus. ♂. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund in floribus Dauci Carotæ d. 26 Jul. 1849 semel a me inventus.

♂. Per magnitudinem exiguam & corporis partiumque colorem atrum a conspeciebus dignoscitur. Glabriculus. Totus ater. Antennarum apice non albo-micans. Thorax nitidus, postice impressus. Abdomen subcylindricum, postice puberu-

lum, ani appendiculis parvis. Alæ angustatæ, cinereo-albidæ, nudæ, nervis ad costam paullo distinctioribus. Pedes simplices, inermes, nigri, tarsis fuscis vel sordide albicantibus.

24. C. *minutus:* ater, nitidus; alis hyalinis, immaculatis; halteribus albis; pedibus pallide flavis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 263. 49. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 593. 7. ♀.

Hab. in Scandinavia valde rarus; femina in Dania mense Julio semel a D. *Stæger* capta, mas forte hujus, in prato ad Öja Gottlandiæ 8 Jul. 1841 in unico exemplo a me lectus.

♀. "Atra, nitida. Antennæ albicantes. Alæ hyalinæ, nudæ, nervis ad costam dilute brunneis, ad $\frac{2}{3}$ totius costæ extensis. Vix $\frac{1}{2}$ lin. long." Meig. l. c.

♂. Similis feminæ, sed differt antennarum pluma obscura, certo situ brunnescente, & abdomine subcylindrico. Alæ angustæ, cinereo-hyalinæ, nervis ad costam testaceis. Saltem $\frac{1}{2}$ lin. longus. Huc refero.

25. C. *niveipennis:* ater, nitidus; alis niveis, halteribus tarsisque albis. ♀. (Long. fere $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 73. 12? ♀. Macqv. Buff. 1. 66. 9?

Hab. in Scania rarissime; in graminosis litoris maris ad Lomma 21 Jun. ♀ semel deprehensa.

♀. Totus ater, nitidissimus, glabriculus. Alæ modice angustæ, cum nervis albæ, immaculatæ, nudæ. Halteres flavo-albi. Pedes nigri, tarsis albidis. Metatarsus posticus in nostro specimine non nigro.

26. C. *Pusio:* ater, opacus; alis niveis, immacula-

tis, halteribus obscuris; pedibus nigris, tarsis fuscanis. ♀. (Long. vix ½ lin.).

Hab. ad Christianiam, D. *Siebke*, qui 2 specimina mecum communicavit.

♀. Inter minutissimos. Totus ater, opacus. Alæ modice latæ, apice rotundatæ, totæ niveæ. Halteres obscuri. Pedes nigri, tarsis certo situ sordide albicantes.

27. *C. flavo-scutellatus:* niger, opacus, scutello flavo; alis albido-micantibus. ♀. (Long. parum ultra ⅓ lin.).

Hab. in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke.*

♀. Minutissimus omnium. Ater, opacus. Antennæ certo situ albo-micant. Scutellum flavum. Alæ modice latæ, apice rotundatæ, totæ cinereo-hyalinæ, nervo costali ad medium extenso, obscuriore. Halteres in specimine viso non observandi. Pedes nigri, tarsis certo situ albo-micantibus.

**. *Alæ totæ, aut saltem ex parte hirtulæ.*

28. *C. pulicaris:* nigricans, thorace cinerascente; alis albis fusco-punctatis; halteribus pedibusque pallidis, his interdum fuscis. ♂♀. (Long. parum ultra ½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 75. 20. ♂♀. Tab. 2. f. 17. ♀. Zett. Itinera Lappon. 1821. P. 2. p. 141.; & 1832. p. 66. Ejusd. Ins. Lapp. 821. 8. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 65. 7. Dahlb. Skandin. Ins. Lund 1837. p. 329. 225. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 593. 12. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 4. 8. *Culex pulicaris* Linn. Fn. Sv. n:o 1892, certe. Fabr. Antl. 36. 12. *Culicoides punctata* Latr. Gen. 4. 252. *Ceratop. punctatus* Panz. Fn. Germ. 103. 12. ♂ nimis obscure coloratus. — Svecis: *Svidknott;* Bottniensibus: *Hya, Svi-*

dan, *Gnadd*; Lapponicis: *Musiva*. (E Kilia a *Wiedemann* communicatus).

Hab. imprimis locis paludosis depressis sylvaticis, per totam Scandinaviam præcipue mense Augusto vulgatissime; femina valde pungens, tenaciter hærens, ægre pellenda, morsu maculam l. punctum nigrum relinquens. In copula sæpe captus. Plures generationes anno ponit. Mensib. Junio & Septemb. quoque obvius.

♂♀. Minutus. Subopacus. Brunneo- l. cinereo-nigricans. Antennæ pallescentes, pluma in ♂ albo-micante. Stethidium cinerascens. Abdomen obscurum. Alæ respectu corporis modice latæ, albidæ, punctis numerosis, in singula ala circiter 9—10, parvis, fuscis, plerumque discretis, harum tribus in costa paullo distinctioribus; oculo armato versus apicem tenuissime hirtulæ. Halteres albi. Pedes testacei, pubescentes.

Variat ♂ pedibus obscuris. Variat etiam junior toto corpore brunneo.

29. *C. obsoletus:* nigricans, thorace cinerascenti-brunneo; alis albidis dilute brunneo-trifasciatis, macula in medio costæ distinctiori obscura; antennis, halteribus pedibusque pallidis. ♂♀. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 76. 21? ♀ $1\frac{1}{2}$ lin. long. — Macqv. Buff. 1. 66. 8?

Hab. in Scandinavia boreali & Lapponia, priori fere frequentior; scilicet in Lapponia Umensi copiose; in Lapponia Tornensi ad Kengis; in Norwegia ad Christianiam Jul. 1844 utrumque sexum legit D. *Dahlbom*. Mihi tantum in provinciis borealibus obvius.

♂♀. Similis priori, cum quo forte commixtus fuit, sed differt magnitudine nonnihil majore & præcipue pictura alarum. Opacus. Antennæ pallidæ, penicillo in ♂ flavo-micante. Ste-

thidium in utroque sexu brunneo-cinereum, interdum brunneum. Abdomen nigrum l. brunneo-nigrum. Alæ latiusculæ, albidæ, fasciis tribus, in medio subinterruptis, dilute brunneis, obsoletis, quarum 1:ma ad basin, 2:da in medio, 3:tia pone medium alæ; in medio costæ, ubi incipit fascia 2:da, macula subquadrata vel punctum majusculum obscurum adest. Halteres albi. Pedes flavi, femorum tibiarumque apice in nostris speciminibus pluribus haud brunneo, saltem non nigro, qualis a *Meigen* l. c. describatur.

30. C. *palustris:* ater, thorace nitido; alis cinerascentibus; halteribus pedibusque piceis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{3}{4}$, ♀ $\frac{1}{2}$ lin.).

Latr. Gen. 4. 251. Meig. Dipt. 1. 71. 5. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 66. 10. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840 p. 593. 8. ♂.

Hab. in Dania, ubi femina mense Junio semel a D. *Stæger* deprehensa.

♂♀. "Antennæ maris penicillo nigro-brunneo. Stethidium nitidum. Abdomen opacum, atrum. Alæ cinerascentes, nervis costalibus obscuris." Meig. l. c.

Obs. Specimen femineum huic simile, sed pedibus flavis & halterum clava alba subtus nigra diversum, ad Thynäs Norwegiæ 4 Jul. 1840 inveni; an hujus varietas?

31. C. *nubeculosus:* niger, opacus, thorace cinereo; alis alidis, cinereo-nubeculosis, maculis 2 costalibus obscuris, halteribus albis; pedibus brunneis. ♀. (Long. fere 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 263. 51? ♀.

Hab. in Scandinavia valde rarus; tria specimina vidi, unum ad Lund Scaniæ 30 Maj. 1849 a me captum, alterum in Smolandia ad Skärsjö inventum, & tertium in Töien prope Christianiam Norwegiæ eodem die, eodem

mense eodemque anno, ac Scanicum a me, a D. *Siebke* deprehensum.

♀. Opacus. Caput cinereum. Antennæ testaceæ. Thorax hirtulus, cinereus, disco dorsali nigro-irroratus, postice depressus. Scutellum, ni fallor, pallescens. Abdomen totum nigrum. Alæ latiusculæ, albidæ, undique cinereo-nebulosæ, maculis costalibus 2 distinctioribus, una in medio oblongo-qvadrata brunneo-nigra, altera paullo pone medium costæ (interjecta alia alba subquadrata) subtriangulari, dilutius brunnea. Halteres albi. Pedes pubescentes, brunnei l. sordide testacei, geniculis summis obscurioribus, tarsis dilutioribus.

32. *C. funebris:* niger, opacus, thorace antice albo-micantibus, lineis 3 obscuris; alis albicantibus, halteribus albis; pedibus fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{3}{4}$, ♀ $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 262. 48 (teste *Stæger*). ♂. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 593. 10. ♂♀.

Hab. in Daniæ sæpibus vivis, mense Aug.; in copula frequenter observatus, D. *Stæger*, qui ex utroque sexu mecum communicavit.

♂♀ (quales a D. *Stæger* mihi missi). Antennæ in ♂ penicillo nigro, apice albo-micante; in ♀ fuscæ. Thorax niger, antice albo-micans, lineis 3 nigris; quæ pictura tamen in speciminibus exsiccatis minus distincta. Abdomen nigrum. Alæ modice angustæ, albido-cinereæ, hirtulæ, nervis costalibus fuscis. Halteres albi. Pedes fuscani.

33. *C. vexans:* cinereus, opacus; alis cinerascentibus, halteribus albis; pedibus dilute fuscis. ♂♀. (Long. vix ultra $\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 593. 11. ♂♀.

Hab. in Dania, ubi in domibus mense Junio femina valde molesta; *Stæger*, qui exempla utriusque sexus communicavit.

♂♀. Parvus, opacus. Antennæ sordide testaceæ, pluma in ♂ certo situ fusca pallide micante. Thorax in utroque sexu cinereus, dorso pallide puberulus. Abdomen fuscum, villosum. Alæ modice latæ, cinerascentes, totæ hirtulæ. Halteres albi. Pedes fuscani, articulatione obscura; in exsiccatis magis pallescentes, subimmaculati. Tibiæ posteriores sat longe pilosæ.

34. *C. pictipennis:* niger, opacus, thorace cinereo; alis cinereis albo-guttatis, halteribus albidis; pedibus pallidis. ♀. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 594. 13. ♀.

Hab. in Salicetis mense Junio, D. *Stæger*, cui aliquot exempla feminea mihi missa debeo; specimen unicum in litore maris ad Christianiam Norwegiæ, 31 Maj. 1849 captum, etiam a D. *Siebke* communicatum.

♀. Similis quodammodo *C. nubeculoso* n:o 31, sed magnitudine minore & alis aliter pictis diversus. Antennæ testaceæ. Thorax obscure cinereus, dorso lineis 3 tenuibus nigricantibus. Abdomen nigrum. Alæ latiusculæ, hirtulæ, cinereæ, guttis novem subpellucidis, albidis, nempe 3 juxta apicem, 2 majusculis ad marginem interiorem, 2 ad costam, 1 oblonga fere in medio, & 1 prope basin. Hæ vero guttæ interdum paullo difformes & minus conspicuæ. Pedes in exsiccatis pallidi l. testacei, subimmaculati, in vivis forsan albicantes, articulatione obscura.

35. *C. fascipennis:* thorace cinereo; abdomine nigro-fusco; alis cinerascentibus, fascia media abbreviata punctoque marginali albis; halteribus albis; pedibus pallidis. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 594. 14. ♀.

Hab. in Selandia, D. *Schiödte*, teste D. *Stæger*. A me non visus.

♀. "Thorax flavido-cinereus. Abdomen obscure brunneum, basi ventreque paullo flavescentibus. Alæ cinerascentes, hirtæ, medio fascia abbreviata punctoque ad marginem anticum albis; inter fasciam punctumque macula costalis brunnea. Halteres albi. Pedes pallidi". Stæg. l. c.

36. C. *bipunctatus:* niger, opacus, hirsutus; alis cinereis dense hirtis, puncto in medio costæ albo; halteribus albis; pedibus piceis. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 74. 18. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 66. 13. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 595. 15. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 4. 7. *Tipula bipunctata* Gmel. Syst. Nat. 2. 2827. 57. ♀. *Labidomyia* eadem Steph. — *Chironomus hirtulus* Zett.Ins. Lapp. 815. 35. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, præsertim tempore vernali & autumnali (sed quoque medio æstatis observatus), per Scandinaviam passim, in fenestris etiam aliquoties deprehensus; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd &c.; in Smolandia ad Skärsjö freq., *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Westrogothia ad Tubbetorp, D. *Dahlbom*; in Gottlandia ad Slitö; in Jemtlandia ad Mulfjellet & Åreskutan fere in summum cacumen adscendens; in Bottnia boreali ad Johannis Ro; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi; in Norwegiæ alpe Dowre, D. *Boheman*, & in Töien prope Christianiam non parce, D. *Siebke*; in Danorum Selandia & insula Bornholm, D. *Schiödte.* — E pupis obpyriformibus, caudatis, undique spinulosis, sub cortice Pini ad pagos Lapponicos Turtola & Pello, d. 2—3 Jun. 1821 a me captis, imagines utriusque sexus

egressæ d. 5—6 ejusdem anni & mensis. (Secundum Rossi larvæ in foliis putridis degunt).

♂♀. Totus niger, opacus. *Mas:* antennarum penicillus niger, summo apice dilutiori. Palpi nigri. Thorax dorso breviter pallide pubescens. Abdomen thorace fere triplo longius, angustum, sat longe & dense nigro-pilosum. Alæ angustatæ, cinereæ, undique tenuiter hirtulæ, costa nigricante, medio puncto distincto albo. Halteres albi. Pedes simplices, jam nigricantes, jam picei, tarsis plerumque dilutioribus; postici longe pilosi.

Fem.: similis mari, sed differt: antennis simplicibus, abdomine ovali l. oblongo, alis nonnihil latioribus & densius hirsutis. Variat nuper exclusa tota brunnea.

Var. b. ♀. pedibus totis pallide flavis; in Gottlandia ad Wamlingbo 5 Jul. 1841; in Jemtlandia ad Åsarne 8 August. 1840.

Obs. 1. Ut *Cerat. pictipennis* Meig. Dipt. 6. 266. 26. mihi communicata fuit varietas a.

Obs. 2. *Cerat. costatus* Zett. Ins. Lapp. 821. 9. ♂, est sine dubio tantum specimen detritum *Cerat. bipunctati* variet. a.

Obs. 3. *Cerat. pictus* Meig ad Holmiam inventus fuerit, teste Prof. *Wahlberg;* mihi ignotus.

Sect. 2. Femora aut antica, aut postica subtus spinulosa.

A. Femora antica leniter subincrassata, subtus spinulosa. (*Palpomyia* Steph.)

37. *C. fasciatus:* cinereus, opacus, glabriculus, thoracis dorso vittis 3 ferruginantibus; abdomine albicante nigro-fasciato; alis cinereo-hyalinis, nudis, halteribus albis; pedibus flavo-rufis, posticorum femoribus fascia latissima tibiisque totis nigricantibus; tarsorum omnium articulatione nigra. ♀. (Long. saltem 2 lin.).

Macqv. Buff. 1. 64. 15. ♀. Meig. Dipt. 1. 79. 27? ♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 595. 16. ♀. *Cer. cingulatus* Meig. Dipt. 1. 79. 28? ♀ variet. — *Palpomyia cingulata* Rossi, Dipt. Austr. 1848. 4. 1. — (Sub nomine: "*Cer. procerus* n. sp.", in collectione Friesii exstat).

Hab. in Scandinavia rarius; in Scania parce; in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke*; in Dania, D. *Stæger*. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam, & ad Putbus in Rugia 20—31 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* inventus).

♀. Inter nostrates maximus, per abdominis picturam satis dignotus. Opacus, glaber. Caput obscurum. Antennæ longiusculæ, fuscæ l. piceæ. Palpi testacei. Stethidium cinereum l. glauco-cinereum, thoracis dorso vittis 3 brunneis vel dilute ferrugineis, media gemina, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum cinerascens, sæpe rufum. Abdomen depressum, (in exsiccato) albidum, segmento 1:mo sæpe toto, reliquis basi fascia plus l. minus lata, postice sinuata, nigra, subnitente. Alæ modice latæ, nudæ, cinereo-hyalinæ, immaculatæ, nervis ad costam paullo distinctioribus, testaceis l. fusco-testaceis. Halteres albi. Pedes subnudi, rufo-flavi, coxis fuscis. Tibiæ intermediæ dilute fuscæ. Femora postica nigra, basi apiceque rufo-flava. Tibiæ posticæ totæ nigræ. Tarsi omnes articulis 3 primis albidis, summo apice nigris, 2 ultimis nigris, horum ultimo subtus nigro-crinito. Femora antica & postica parum incrassata, subtus brevissime setulosa.

38. *C. lineatus:* cinereus, opacus, glabriculus, thoracis dorso vittis castaneis; antennis basi rufescentibus; abdomine nigro-fusco, incisuris interdum dilutioribus; alis cinereo-hyalinis, nudis, nervis costalibus flavidis, halteribus pallidis, clava brunnea; pedibus flavis, articulatione nigricante. ♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 80. 30. ♀. Macqv. Buff. I. 67. 16. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 595. 17. ♀.

Hab. in plantis aqvaticis & Calamariis, mense Julio mihi obvius; scilicet in Scania ad Fogelsång & Esperöd, rarius; in pratis Gottlandiæ ad Öja 8 Jul. 1841, parce; in Dania aliquoties captus, D. *Stæger*.

♀. Similis priori, sed minor, & abdomine obscuriore, alis paullo pallidioribus & pedibus magis flavis diversus. Caput fuscum. Antennæ & palpi brunnea. Thorax læte cinereus, dorso vittis 2? castaneis obsoletis. Scutellum cinereo-brunneum. Abdomen nigricans. Alæ modice angustæ, pallide cinereo-hyalinæ. Halteres albidi, clava obscura. Pedes subsimplices, subnudi, rufo-flavi, coxis fuscis, genibus anterioribus brunneis. Tibiæ anteriores apice brunneæ. Femora postica ad apicem late, & tibiæ posticæ totæ, brunnea. Tarsi omnes pallidi l. albidi, articulatione anguste obscura. Femora antica subtus brevissime setulosa. — In speciminibus Gottlandicis thoracis dorsum postice ante scutellum lineolis 4 abbreviatis castaneis, & ante has (ad latera) puncto utrinque ejusdem coloris. Tibiæ posticæ a medio & fere ad apicem rufescentes; de cetero similis, vix diversus.

39. *C. affinis:* cinereus, opacus, glabriculus, thoracis dorso vittis fuscis obsoletis; antennis nigris; abdomine nigricante; alis cinereo-hyalinis, nudis, nervis costalibus fusco-testaceis, halteribus obscuris; pedibus nigris, anticorum femoribus tibiisque rufo-testaceis, apice nigris, tarsis omnibus albidis, articulis 3 primis apice, reliqvisque totis, nigris. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 595. 18. ♂♀.

Hab. in Calamariis mense Junio rarius; e Dania a D. *Stæger* mecum communicatus.

♂♀. A *C. lineato*, cui similis, antennis obscurioribus, halteribus totis obscure brunneis, nec petiolo albo, alarum nervis costalibus paullo magis fuscis, ut & pictura pedum, distinctus. — *Femina:* caput obscurum. Antennæ & palpi nigra. Thorax cinereus, vittis dorsalibus fuscis obsoletis. Scutellum cinereum. Abdomen nigrum, nitens. Alæ angustatæ, cinereo-hyalinæ, nervis costalibus nonnihil distinctioribus. Halteres toti brunneo-nigri. Pedes subsimplices, nudiusculi; antici: rufo-flavi, geniculis tibiarumque apice, anguste nigro-brunneis; intermedii: femoribus a basi ad medium rufescentibus, apice late nigro-brunneis, tibiis brunneis; postici nigri. Coxæ omnes obscuræ. Tarsi omnes albidi, articulis 3 basalibus summo apice, & 2 ultimis totis nigris. Femora antica subtus breviter & tenuiter setulosa.

Mas a Cel. *Stæger* l. c. etiam allatus, a me non visus.

40. C. *binotatus:* cinereus, opacus, glabriculus, thoracis dorso lineolis 2 abbreviatis castaneis; antennis basi late rufis; abdomine nigro, nitido; alis cinereo-hyalinis, nudis, nervis costalibus testaceis, halteribus pallidis, clava brunnea; pedibus rufo-flavis, geniculis summis, tibiarum summo apice, tarsorumque articulatione angusta, nigris. ♀. (Long. circit. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 596. 19. ♀. *Cerat. cinereus* Macqv. Buff. 1. 64. 1? Tab. 1. f. 7 (ala). Meig. Dipt. 7. 19. 65?

Hab. in Calamariis Daniæ Jun. Jul. sat raro, D. *Stæger*, qui specimina 4 mecum communicavit; in Norwegia ad Oestre NäsVærdaliæ Jul. 1840 feminam ipse inveni.

♀. Proxime præcedentibus affinis & similis. Caput obscurum. Antennæ fuscæ, a basi ad medium rufescentes. Thorax rotundatus, cinereus, dorso postice lineolis 2 abbreviatis casta-

neis, minus conspicuis. Scutellum cinereum. Abdomen brunneo-nigrum, nitidum, interdum (in juvenili) vitta media pallescente. Alæ angustatæ, cinereo-hyalinæ, nervis ad costam paullo distinctioribus. Halterum petiolus flavus, clava nigricante. Pedes subsimplices, posteriores puberuli, omnes rufo-flavi, coxis obscuris, geniculis summis tibiarumque summo apice brunneo-nigris. Tarsi pallide flavi, articulis 3 primis summo apice, reliquisque totis, nigris. Femora antica subtus breviter & tenuiter setulosa.

41. *C. circumdatus:* niger, thorace obscure cinereo, dorso vittis 4 obscuris; scutello rufescente; alis hyalinis, nervis costalibus flavidis, halteribus pallidis, clava brunnescente; pedibus rufis, geniculis, femorum tibiarumque annulo, nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 596. 20. ♀.

Hab. in vicinitate aqvæ, Jul. & Sept., in Dania, D. *Stæger.* Mihi tantum in Scania in paludosis ad Kjellby prope Lund 6—7 Jun. 1849 bis obvius.

♀. "Thorax obscure cinereus, vittis 4 obscuris. Scutellum rufescens, interdum brunneo-cinereum. Abdomen nitidum nigrum. Halteres pallidi, clava rufescente vel brunnea, apice alba. Alæ vitreæ, nervis costalibus flavescentibus. Pedes rufo-flavi, articulatione nigra; femoribus ante apicem & tibiis basi annulo nigro; tarsorum articulis 3 primis albis, 2 ultimis nigris". Stæg. l. c.

Obs. Indicante *Stægero* hæc species *Ceratop. annulipedi* Meig. Dipt. 6. 264. 55. ♀. prope accedit; sed *C. annulipes* vittis thoracis 3 (nec 4), scutello cinereo (nec rufo), ut & femoribus annulo nigro nullo, a *C. circumdato* differre videtur.

42. *C. posticatus:* cinereus, opacus, glabriculus, thorace subimmaculato; scutello pallido; antennis obscuris; abdomen brunnescenti-nigrum nitidum, incisuris tenuissi-

me albis; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, nudis, halteribus albis; pedibus flavis, anteriorum geniculis late, posticorum femoribus a medio ad apicem, tibiis totis, tarsorumque omnium articulatione, nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Norwegia ad Aamodt. Jul. 1848 rarissime a D. Cand. *Siebke* detectus mecumque communicatus.

♀. Per antennas fuscas, thoracem cinereum immaculatum, scutellum flavum, abdomen nigrum incisuris anguste albis, halteres albos & pedum posticorum picturam, ab affinibus dignotus. — Caput obscurum. Antennæ fuscæ, radicula nigra. Palpi sordide testacei. Thorax rotundatus, cinereus, immaculatus vel dorso vix vestigio vittarum castanearum. Scutellum pallidum. Abdomen modice latum, nitidum, nigrum, basi & supra & subtus subbrunescens, incisuris omnibus tenuissime albis. Alæ lanceolatæ, albido-cinereæ, nervis ad costam pallidis, parum distinctioribus. Halteres albi l. nivei. Pedes subsimplices, rufo-flavi, coxis cinereis; anteriores: genubus sat late, tibiarumque apice anguste, nigris; postici : nigri, femoribus a basi ad medium rufo-flavis. Tarsi omnes pallide flavi, articulis 3 primis summo apice, & 2 ultimis totis, nigris. Femora antica subtus breviter & tenuiter setulosa. Pedes posteriores tenuiter puberuli.

43. *C. leucogaster:* griseo-cinereus, opacus, glabriculus, thorace immaculato, scutello pallido; capite obscuro, antennis fuscis; abdomine albido; alis albido-hyalinis, immaculatis, nudis, halteribus niveis; pedibus albis, geniculis summis, tibiarum summo apice tarsorumque articulatione, nigris. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania in convalle Fogelsång 7 Jul, specimen unicum inveni.

♀. Similis *C. bicolori* n:o 3, sed magnitudine paullo minori,

thorace haud picto, pedibus tantum nigro-articulatis, sed non simul nigro-annulatis, & tandem femoribus anticis subtus breviter setulosis, nec inermibus, diversus. Caput obscurum. Antennæ fuscæ. Stethidium rotundatum, griseum. Scutellum albidum. Abdomen lanceolatum, album, immaculatum. Alæ modice angustæ, cinereo-albido-hyalinæ, nervis ad costam parum distinctioribus, pallidis. Halteres albi. Pedes simplices albi, ut in diagnosi picti. Tarsi articulis apice puncto nigro. Femora antica subtus parce & breviter nigro-setulosa.

44. *C. hortulanus:* niger, nitidus, glaber; antennis fuscis, radicula nigra; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, nudis, nervis ad costam nonnihil distinctioribus, halteribus albidis, clava nigro-brunnea; pedibus: anterioribus flavo-rufis, geniculis summis, tibiarumque apice nigris; posticis brunneo-nigris, femoribus basi rufis; tarsis omnibus plerumque brunnescentibus. ♀. (Long. 1—1⅓ lin.).

Var. a. ♀. femoribus posticis basi anguste, h. e. non ad medium, sed tantum ad tertiam partem rufis, tarsis omnibus brunneis.

Meig. Dipt. 1. 81. 31. ♀. Zett. Ins. Lapp. 821. 10. var. a. ex parte. ♀. *Palpomyia hortulana* Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 4. 2.

Var. b. ♀. femoribus posticis basi late, h. e. paullo ultra medium rufis, tarsis anterioribus basi (articulis 3 primis) rufis; plerumque paullo minor.

Cerat. flavipes Meig. Dipt. 1. 82. 35. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 597. 21. ♂♀.

Hab. in paludosis & Salicetis juxta aqvam, per Scandinaviam, Jun. Jul. passim; var. a. mihi in Lapponia Umensi, & insulis Nordlandiæ Norwegicæ in societate cum *Cerat. concinno* n:o 2, præsertim obvius; var. b. in Sca-

nia passim occurrit ex. gr. ad Esperöd; & in Dania var. b. ♀ sat vulgaris, teste *Stæger*.

♀. Niger, nitidus, glaber. Antennæ obscuræ, interdum piceæ, radicula nigra. Palpi nigri. Alæ angustæ, cinereo-hyalinæ, nervis ad costam paullulum distinctioribus & subfuscis. Halterum petiolus albidus, clava obscure brunnea. Pedes simplices, nudiusculi, pictura varietatum ut in diagnosi. Coxæ nigræ. Femora antica subtus breviter & tenuiter setulosa.

♂ var. b. a D. *Stæger* l. c. allatus, in Dania raro inventus; mihi ignotus.

Obs. Individuum unicum femineum variet. a. vidi abdomine basi fascia rufescente; hac nota cum *Cer. armipede* n:o 45 quidem convenit, sed halterum clava nigra, nec alba, ab hoc discrepat.

45. *C. armipes:* niger, nitidus, glaber; antennis nigris; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, nudis, nervis ad costam nonnihil distinctioribus, halteribus totis albis; abdominis basi pedibusque flavo-rufis, horum anteriorum genubus tibiarumque apice, posticorumque femoribus apice late, tibiisque fere totis, nigris, tarsis omnibus saltem apice brunnescentibus. ♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Meig. Dipt. 7. 20. 70? ♀. *Cer. hortulanus* Zett. Ins. Lapp. 821. 10. var. b. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali minus frequens, mihi tantum in Lapponia & Nordlandia Norwegica obvius; scilicet in graminosis & paludosis Lapponiæ Umensis ad Stöttingsfjellet, Næstansjö, Wilhelmina & Umenäs; in insula Senjen Nordlandiæ cum *Cer. femorato* n:o 51, rarius; etiam in Töien prope Christianiam a D. *Siebke* inventus.

♀. A priori, cui valde similis, differt præcipue halteribus totis albis & abdominis fascia basali flava. Niger, nitidus. An-

tennæ plerumque totæ nigræ, interdum piceæ, radicula semper nigra. Palpi nigri. Abdomen haud latum, nitidum, nigrum vel nigro-piceum, basi fascia rufa l. flava, quæ segmentum 1:mum totum, & sæpe etiam 2:dum ex parte ornat. Alæ ut in præcedente. Halteres albi. Pedes nudiusculi, anteriores: rufo-flavi, femoribus apice (ad tertiam partem), tibiisque apice paullo angustius, nigris; postici: nigri, femoribus a basi ad medium, tibiisque medio plus l. minus late, rufis. Tarsi omnes rufescentes, apice brunnei. Coxæ anticæ flavescentes, posteriores nigræ l. piceæ. Femora antica leniter incrassata, subtus breviter & tenuiter setulosa.

Obs. *Meigen* l. c. sui *Ceratopoginis armipedis* sat brevem & insufficientem dedit descriptionem, quæ hanc speciem a *Cer. rufipede* Meig. parum distingvit.

46. *C. tibialis:* niger, nitidus, glaber; antennis obscuris, radicula ferruginea; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, nudis, nervis ad costam distinctioribus, obscuris, halteribus nigro-brunneis; pedibus rufo-flavis, posticorum femoribus apice late, tibiisque totis nigris, tarsis omnibus pallidis, apice nigricantibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 82. 36. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 597. 22. ♀. *Palpomyia tibialis* Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 4. 5.

Hab. in graminosis & fruticibus Scandinaviæ meridionalis & mediæ passim; scilicet in Scania ad ambos Esperöd (& in parœcia Tranås, & in parœcia Mellby) 15 Jul. — 6 Aug.; in Westrogothia ad prædium Tubbetorp Jul. 1849, D. *Dahlbom;* in Dania semel, D. *Stæger.* (Ad Moabite prope Berolinum 7 Jul. 1842 feminam quoque invenit idem *Dahlbom).*

♀. Per antennarum radiculam rufam, alarum nervos costales distinctos, halteres obscuros & pedum picturam, ab aliis con-

finibus dignotus. Proxime præcedentibus paullo robustior videtur. Niger, nitidus. Antennæ nigricantes, radicula rufa. Palpi fuscescentes. Abdomen latiusculum, versus basin paullo angustatum. Alæ modice angustæ, cinereo-hyalinæ, nervis ad costam obscuris. Halteres majusculi, nigro-brunnei, petiolo interdum dilutiori. Pedes simplices, nudiusculi, rufo-flavi, anteriorum geniculis, tibiarumque apice puncto, nigris; postici nigri, femoribus a basi & paullo ultra medium rufo-flavis. Tarsi omnes pallidi l. albido-flavi, articulo ultimo nigro, intus breviter crinito. Femora antica subtus breviter & tenuiter setulosa. Coxæ omnes nigro-piceæ, anticæ interdum rufo-piceæ. — Cum *Cer. nitido* n:o 6 confundi non debet hæc species.

47. *C. erythrocephalus:* ater, paullo nitidus; antennis obscuris, radicula ferruginea; humeris ventreque rufis; alis subhyalinis, nudis, nervis costalibus nigricantibus, halteribus tarsisque flavis; pedibus rufis, articulatione ex parte nigra. ♀. (Long. 2 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 597. 23. ♀.

Hab. in sylvis Daniæ, in fruticibus d. 14 Jul. captus, D. *Stæger*. Locus specialis non indicatus; forte rarissime occurrit; mihi nec in Svecia, nec in Norwegia obvius.

♀. "Ater, nitidiusculus. Palpi rufescentes, apice obscuri. Caput, thoracis margo anticus, venter, coxæ & pedes rufo-flava. Pedum anticorum genicula, intermediorum femorum apex & posticorum femorum dimidietas postica, ut & apex omnium tibiarum, nigra. Tibiæ posticæ basi obscuræ. Tarsorum articuli 2 primi flavi, reliqvi nigri. Halteres flavi. Alæ subfuscanæ, nervis validis, costalibus nigris." Stæg. l. c.

Obs. Mensura svecana hæc species verosimiliter vix longitudinem $1\frac{1}{2}$ lin. attingit.

48. *C. flavitarsis:* "niger, nitidus, halteribus pedi-

busque nigris, tarsis sordide pallidis. ♀. (Long. 1 lin.)." *Stæg.*

Meig. Dipt. 7. 20. 71? ♀: niger nitidus; halteribus pedibusque nigris: tarsis flavis. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 598. 24. ♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, a quo tamen neque locus specialis, neque tempus vigendi indicata.

♀. "Tarsi sordide pallidi (nec ut in specie Meigeniana flavi), articulo 4:to & 5:to nigris. Alæ vitreæ, nervis costalibus validis, nigris." Stæg. l. c.

49. *C. ferrugineus:* rufo-ferrugineus, nitidus, glaber; abdomine fuscano, postice flavescente; alis hyalinis, immaculatis, nudis, halteribus albis; pedibus pallidis, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigro. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 265. 58. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 598. 25. ♀.

Hab. in Salicetis ad Hafniam Daniæ mense Julio rarissime, D. D. *Meigen & Stæger.*

♀. Ferrugineus, nitidus, nudus. Oculi nigri. Scutellum pallidum. Abdomen haud latum, in specimine a D. *Stæger* mecum communicato superne a basi ad medium obscure brunneum, deinde rufum, in exemplo vero Meigeniano (quale ab illo l. c. describatur) "fuscanum, incisuris dilutioribus". Alæ sublanceolatæ, hyalinæ, opalisantes. Halteres albi. Pedes simplices, flavi, anticorum geniculis summis, posteriorumque femoribus apice late (circiter ad tertiam partem), nigris. Tibiæ apice, anticæ anguste, posterioresque nonnihil latius, nigræ. Tarsi omnes articulo ultimo nigro. Femora antica subtus tenuiter & breviter nigro-setulosa.

50. *C. Transfuga:* niger, nitidus; alis hyalinis, halteribus fuscis; pedibus anterioribus fusco-testaceis, posticorum femoribus incurvis, subincrassatis, muticis. ♀. (Long. 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 598. 26. ♀.

Hab in Dania, D. *Stæger.* Neque locus natalis, neque tempus vigendi, neque frequentia speciei indicata.

♀. "Niger, paullo nitidus. Alæ aqveæ, irisantes. Halteres brunnei. Pedes sordide testacei, posticorum femoribus tibiisque nigris. Femora postica elongata, distincte incurvata, anterioribus paullo crassiora, inermia, præter spinulas aliquot tenues ad apicem." Stæg. l. c.

B. Femora postica incrassata, subtus spinulosa. (*Prionomyia* Steph. *Serromyia* Halyday, Catal.)

51. *C. femoratus:* niger, nitidus, glaber; alis albido-hyalinis, immaculatis, nudis, halteribus albis; pedibus: anterioribus rufo-flavis, geniculis nigris; posticis nigris, tarsis fere totis flavis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 83. 37. Macqv. Buff. 1. 67. 17. Zett. Ins. Lapp. 822. 11. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 598. 27. ♂♀. *Chironomus femoratus* Fabr. Antl. 45. 35. ♂. Latr. Gen. 4. 250. *Prionomyia femorata* Rossi, Dipt. Autr. 1848. 4. 1.

Hab. in fruticibus & graminosis, libenter locis paludosis, per totam Scandinaviam, alpibus lapponicis tantum exceptis; per totam æstatem usque ad mensem Septembrem, vulgaris, verno tempore imprimis frequens, in copula multoties captus; scilicet in Scania ubique; in Ostrogothia ad Wadstena; in Jemtlandia ad diversoria Faxelf-

ven & Skalstugan, non parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarius; in Norwegia ad diversor. Garnæs Værdaliæ sat frequens, & in insula Senjen Nordlandiæ cum *Cerat. hortulano* passim; in Dania non raro.

♂♀. Totus ater, nitidus. Antennæ nigræ, penicillo maris concolore. Palpi nigri. Abdomen in ♂ subcylindricum medio angustatum, in ♀ latiusculum subdepressum. Alæ angustæ, albo-hyalinæ, immaculatæ, lineola longitudinali in medio costæ (loco stigmatis) pallida, parum conspicienda. Halteres albi. Pedes saltem posteriores breviter pubescentes; anteriores simplices, rufo-flavi, coxis, geniculis (in ♂ sat late, in ♀ anguste), tibiarum apice anguste, tarsorumque articulo ultimo, nigris; postici elongati, nigri, tarsorum saltem articulis 3 mediis flavis, femoribus incrassatis, subtus spinulosis.

Var. b. ♂. femoribus intermediis fere totis nigris; cum variet. a. frequens.

52. C. *Morio:* niger, nitidus, glaber; alis albido-hyalinis, nudis, lineola longitudinali in medio costæ fusco-testacea, halteribus albis; pedibus nigris, aut femoribus anticis rufis apice nigris (♂), aut femoribus tibiisque rufis genubus nigris (♀), tarsis omnibus in utroque sexu albidis, metatarsis posticis obscuris. ♂♀. (Long. ♂ fere 1, ♀ $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 84. 40. ♀. Macqv. Buff. 1. 67. 18. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 598. 28. ♂♀. *Culex Morio* Fabr. Ent. Syst. 4. 402. 9. & Antl. 36. 14. Gmel. Syst. Nat. 2. 2888. 11. *Ceratopogon ater* Meig. Dipt. 1. 84. 41. ♂. *Prionomyia* eadem Rossi, Dipt. Austr. 1848. 4. 3.

Hab. in pascuis & paludosis, præsertim Jun. Jul., sed etiam Septemb., per Scandinaviam meridionalem, passim, in copula etiam aliquoties deprehensus; scilicet in Sca-

nia ad Lund, ambos Esperöd &c., non parce; in Dania sat raro, D. *Stæger*, qui marem mihi etiam communicavit; mares choreas ad paludes instituentes circa solstitium æstivale in hortis Lundensibus sæpe vidi. (Ad Gryphiam 6—12 Jun. 1843 quoque inventus a D. *Dahlbom.)*

♂♀. Valde similis priori, sed magnitudine paullo minore, alarum lineola stigmaticali subfusca, ut & pedum pictura, dignotus. Ater, nitidus. Alæ angustæ, albidæ, nervis pallidis, tantum costali & apice longitudinalis 2:di approximatis, fuscanis, unde lineola longitudinalis in medio costæ (loco stigmatis) fusco-testacea formatur. Pedes antici: simplices; postici: elongati, femoribus crassis subtus spinulosis; in ♂ omnes nigri, femoribus anticis a basi & ultra medium rufo-flavis, tarsis omnibus albidis, articulorum apice puncto nigro, metatarsis posticis obscuris; in ♀ anteriores rufo-flavi, coxis & geniculis nigris, postici nigri, tarsis omnibus pallide flavis, articulorum apice puncto nigro, metatarsis posticis obscuris. Reliqua ut in præcedente.

53. *C. flavicornis:* niger, nitidus; antennarum penicillo flavo; alis hyalinis costa pallescente, halteribus brunneo-nigris; femoribus anticis totis, intermediis basi, tibiisque anterioribus apice rufo-flavis, tarsis omnibus pallidis, articulatione nigricante. ♂. (Long. 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 599. 29. ♂.

Hab. in Daniæ silvis; in frutice 23 Jun. inventus, D. *Stæger.*

♂. "Nitidus, niger. Penicillus antennarum colore citrino. Femora antica, dimidietas anterior femorum intermediorum, & apex tibiarum anteriorum, ferruginea. Tarsi omnes albo-flavi, articulatione nigra. Alæ hyalinæ, margine antico flavo. Halteres nigri, basi rufescente". Stæg. l. c.

225. MACROPEZA Meig.

Corpus parvum, oblongum, glabriculum. Caput parvum, sessile. Antennæ in utroque sexu similes, porrectæ, filiformes, longitudine capitis thoracisque simul sumtorum, pubescentes, 14-articulatæ, articulis cylindricis, 1:mo cyathiformi nudo, 2:do 1:mo duplo longiori, 10—13 septem antecedentibus paullulum longioribus, ultimo iterum nonnihil breviori. Os parum productum. Palpi breviusculi, tenues, incurvi (propter gracilitatem numerum articulorum in speciminibus exsiccatis determinare non possum; palpi 4-articulati videntur). Oculi in fronte sat late distantes. Ocelli nulli. Thorax ovatus, convexus, capite nonnihil altior; sutura transversa nulla. Scutellum transversum. Metathorax brevis. Abdomen subcylindricum, apice acutiusculum, 8-annulatum. Alæ elongatæ, angustatæ, nudæ. Nervi omnes tenues, sed tamen sat perspicui, pauciores, pone medium simplices, horum 4 in marginem interiorem descendentes. Area tantum unica, a basi & fere ad medium costæ ducta, angustata, obscuneiformis. Halteres nudi. Pedes simplices, antici modice longi, intermedii nonnihil longiores, postici longissimi, horum articulo tarsorum 1:mo tibia fere duplo longiori, 2:do 1:mo fere triplo breviori, ultimis tribus brevissimis & simul sumtis 2:do paullo brevioribus. *Color* niger. *Habitatio* in pratis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* mihi ignota, forte vix nisi in abdominis structura quærenda.

1. *M. albitarsis:* nigra, nitida, glabra, thoracis dorso cinereo, lineis 3 nigris; alis albo-hyalinis, immaculatis; tibiis anterioribus flavescentibus, tarsis omnibus albis. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 87. 3. T. 3. f. 1. ♀. & 6. p. 266. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 69. 1. ♂♀. T. 1. f. 8. ♀.

Hab. in Svecia media rarius; in Gottlandia mense Julio 1819 quinque specimina inveni; in Ostrogothia ad Wadstena semel quoque a me lecta.

♀. Caput nigrum, nitidum, fronte lata. Antennæ nigræ, fere a basi & paullo ultra medium dense nigro-pubescentes. Thorax niger, nitidus, dorso cinereo, opacus, lineis 3 angustis obscuris. Scutellum cinereum. Abdomen nigrum; ano in quibusdam individuis acutiusculo (non vero tam longe acuminato ac in figura Meigeniana), in aliis obtuso. Alæ abdomine duplo longiores, sublanceolatæ, apice rotundatæ, totæ albohyalinæ, nervis tenuibus pallidis, ut in figura Macqvarti (nec ut in figura Meigenii) directis. Halteres nigricantes, nec albi. Pedes nigri l. nigro-picei, anteriorum tibiis flavido-ferrugineis. Tarsi omnes albi, postici albo-pubescentes.

Var. b. pedibus totis flavis, tarsis albis, cum var. a in Gottlandia capta; forte junior.

Obs. *Mas* & a *Meigen* (P. 6. p. 266) ut a. Prof. *Güde* inventus, & a D. *Macqvart* l. c., allatus, mihi ignotus, nisi inter exempla ano obtusiori quærendus.

Fam. 46. CECIDOMYZIDES Zett. (*Cecidomynæ* Rondani).

226. CAMPYLOMYIA Wied.

Corpus minutissimum, oblongum. Caput parvum, sessile. Antennæ in ♀ longitudine fere capitis thoracisque simul sumtorum, filiformes; in ♂ longitudine corporis, moniliformes; in utroque sexu porrectæ, 14—15-articulatæ, articulis 2 inferioribus crassioribus. Oculi distantes, (in viva) obscure purpurei. Ocelli 3. Haustellum curvatum. Palpi parvi, porrecti, curvati. Thorax ovatus, absque sutura transversa. Abdomen 8-annulatum. Alæ modice longæ, latiusculæ, apice rotundatæ; incumbentes, paucinervosæ, hirtulæ. Nervi: costalis in apice alæ desinit; auxiliaris seu 1:mus longitudinalis non usque ad medium costæ extensus, ad apicem per nervulum trans-

versum obliquum cum 2:do longitudinali connexus, unde quasi breviter furcatus exstat; 2:dus longitudinalis perspicuus recta in apice alæ excurrit, ex hoc mox ante connectionem nervuli transversi emittitur alius plerumque valde obsoletus & parum conspicuus, cum 2:do long. furcam ramis elongatis formans; 3:tius longit. sæpe subobsoletus, etiam furcatus, ramis inæqualibus, inferiori breviori, ambobus in marginem interiorem descendentibus (*). Halteres nudi. Pedes simplices, mutici (tibiis non calcaratis), parum elongati, tarsorum articulo 1:mo 2:do paullo longiori; coxis modice longis. *Color* corporis niger. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum &c. *Metamorphosis* non rite cognita; a *Meigen* inter gallicolas, a *Macqvart* inter fungicolas numeratur. *Discrimen sexus; mas:* antennis longitudine corporis, moniliformibus, articulis globosis, remotis, pilosulis, abdomine cylindrico; *femina:* antennis longitudine thoracis, articulis globosis, haud discretis, pubescentibus, abdomine lanceolato, ano bifido.

1 *atra* Meig. ♂. 2 *bicolor* Meig.? Macqv. ♀. 3 *pallipes* Zett. n. sp. ♂♀. 4 *Aceris* Meig. ♂♀.

1. *C. atra:* atra, abdomine obscure brunneo; alis cinereo-hyalinis, nervis ad costam obscuris, nervulo transverso ad apicem auxiliaris ducto, halteribus albidis; pedibus pallide fuscis. ♂. (Long. circit. 1 lin.).

Meig. Dipt. I. 102. 3. ♂. — & 6. 271. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 287. 1. ♂♀ (inter Tipularias fungicolas).

Hab. in Scandinavia meridionali, rarius; in Scania ad Abusa in fenestra cloacæ d. 18 Maj. 1816 inveni specimen unicum masculum, quod *Meigen* (Lundæ 1823 commoratus) ipse determinavit & nomine "*Campyl. atra*" digito proprio insignivit; in Uplandia ad Holmi-

*) conferantur Meig. I. Tab. 3. f. 6. & Macqv. I. Tab. 4. f. 2.

am, teste Prof. *Wahlberg;* in Dania uterque sexus mense Aug. aliquoties deprehensus fuerit, testante D. *Stæger.*

♂. (Exemplum in Museo meo hodie mancum). Ater. Alæ latæ, cinereo-hyalinæ, tenuiter hirtæ, nervis costali, auxiliari & 2:do longitudinali distinctis, obscuris, reliqvis obsoletis. Nervulus transversus, qui auxiliarem & 2:dum longitudinalem connectit, non longe infra apicem auxiliaris eductus. Pedes ferruginei.

Obs. Femina ut in Dania quoque inventa a D. *Stæger* l. c. sine ulteriori indicio refertur, mihi ignota, nisi exemplum totum nigrum, alis cinereis, abdomine acuminato, ad Neuenkirchen prope Gryphiam 20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* captum, huc referrem.

2. *C. bicolor:* nigra, abdomine fusco; alis hyalinis, nervis subfuscanis, nervulo transverso ad apicem auxiliaris ducto, halteribus albis; pedibus pallidis. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin., ano acuminato non computato).

Meig. Dipt. 1. 102. 2? ♀. — & 6. p. 271? ♂♀. Macqv. Buff. 1. 151. 1. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 287. 2. ♀.

Hab. in Scandinavia valde rara; in Dania semel a D. *Stæger* mense Octob. capta; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven 9 Aug. 1840 etiam a me in unico exemplo deprehensa.

♀. Nigra, subnitens. Antennæ obscuræ. Abdomen (in nostro specimine paullo corrugatum) fuscum, incisuris vix pallidioribus, stylis analibus duobus setiformibus, rectis, fuscis. Alæ latæ, cinereo-hyalinæ, tenuiter hirtulæ. Nervi costales perspicui, ramo inferiori nervi 2:di longitudinalis furcati obsoletissimo. Nervus 3:tius longit. non obsoletus ad marginem in-

teriorem furcam format ramis valde inæqualibus in margine late remotis, quorum inferior brevissimus in marginem fere perpendiculariter excurrit. Halteres albi. Pedes pallidi, nudi.

Obs. Hæsito, an nostra species rectius ad Meigeni *C. flavipedem* aut *bicolorem* sit referenda. *Meigen* suam *flavipedem* pedibus flavis (ut in nostra specie) quidem describit, sed nervus inferior furcatus hujus in figura Meigeni (ubi rami subæque longi depinguntur) non convenit. Secundum *Meigen*, pedes in *C. bicolore* brunnei l. testacei, secundum *Macqvart* pedes in eadem specie flavi.

3. *C. pallipes:* nigra, nitida, abdomine brunneo; alis hyalinis, nervis subfuscanis, nervulo transverso longe ante apicem auxiliaris ducto; halteribus pallidis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in graminosis, libenter locis uliginosis Sveciæ meridionalis, tempore autumnali, rarius; scilicet in Scania ex. gr. in hortis Lundensibus & plantatione Paradislyckan 10—15 Sept. sex specimina inveni, quorum unum par in copula junctum.

4. *C. Aceris:* nigra, abdomine piceo; pedibus pallidis l. ferrugineis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 102. 4. — & 6. p. 271. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 151. 2. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 287. 3. ♀.

Habit. in Scandinavia meridionali rarissime; feminam in Dania 16 Sept. invenit D. *Stæger;* in Scania ad Lund specimen femineum ante plures annos ipse quoque legi; in Uplandia ad Holmiam etiam deprehensa fuerit, secundum Prof. *Wahlberg;* Insectum inter Diptera minutissima numerandum. Individuum in collectione mea hodie incompletum.

♂♀. Nigra, nitens. Antennæ obscuræ. Abdomen jam obscure, jam dilute brunneum. Anus in ♀ bifidus. Alæ latiusculæ, hyalinæ, tenuiter hirtulæ. Nervi: costalis, auxiliaris & 2:dus longitudinalis sat conspicui, reliqvi obsoletiores, & ramus inferior longitudinalis 2:di non observandus. Nervulus transversus connectens paullo longius (circiter $\frac{1}{3}$) infra apicem auxiliaris educitur, quam in antecedentibus. Ex hac ratione speciem nec ad *C. flavipedem*, nec ad *bicolorem*, quibus, valde similem, referre possum. Nervus 3:tius longitudinalis furcatus, ad marginem interiorem situs, ut in *C. bicolore* formatus.

---

227. CECIDOMYZA Latr.

Corpus parvum, sæpe minutum, angustatum, tenerum, parum pilosum. Caput semiglobosum, parvum, sessile. Antennæ in ♀ longitudine circiter thoracis, l. illo paullo longiores, in ♂ sæpe longitudine fere corporis; in utroque sexu submoniliformes, articulis plerumque remotis, pilosulis, 1:mo nudo; 12—24-articulatæ. Oculi reniformes. Ocelli nulli. Thorax ovalis, absque sutura transversa. Abdomen 8-annulatum. Alæ incumbentes, latæ, rotundatæ, normaliter hirtæ, sæpissime margine interiori ciliatæ. Nervi subtres distincti; costalis in apice alæ desinit; auxiliaris seu 1:mus longitud. circiter ad medium costæ extensus, simplex (nec apice furcatus); 2:dus longitud. in apice alæ excurrit medio rectus, versus apicem plus l. minus arcuatus; hi perspicui; duo alii nervi in marginem interiorem descendunt, basi coëuntes, horum superior subrectus l. leniter tantum arcuatus, versus basin sæpe obsoletus l. evanescens, inferior plerumque distincte inflexus, hi interdum minus conspicui. Halteres proportione longiusculi, nudi. Pedes sæpe subelongati, graciles, pubescentes, tarsorum articulis 1:mo brevissimo, 2:do longissimo. *Color* nigricans, ci-

nerascens, carneus aut lutescens post mortem plerumque obscurescit. *Motu* haud agilis, at celeriter serpit. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum. *Larvæ* in Pyro, Bryonia alba, Artemisia campestri, culmis graminum, seminibus Hordei, sub foliis plantarum, &c., degere dicuntur; in stercore bovino, ligno putrido, &c., sed præsertim in gallis (*) hybernant; tempore vernali in *pupas* varii coloris & magnitudinis mutantur; in hoc vero statu 8—14 diebus manent. Pupæ quoque *Cecidomyzæ* speciei in plumis Avium & larvæ subcutaneæ a D. *Contarini* inventæ. Qvoad *metamorphosin* hujus generis conferantur præterea: *Leon Dufour*, Histoire des metamorphoses des *Cecidomyies.* — *Sundewall,* Zoolog. Årsberättelse till Vet.-Acad. 1837—1840. p. 282. — *Drewsen,* Kröjers Tidsskr. IV. p. 337. — *Guené,* Isis 1844. p. 58. — *Ratzeburg,* Forst-Insecten 3. p. 159—161. Tab. 10. f. 14. — *Boheman,* Zool. Årsberättelse 1845—1846. p. 239—241. — *Bouché,* Ent. Zeit. 1847. n:o 5. p. 144. — *Macqvart, Vallot* & plures. — Oservante *Bremi* sex generationes sub anno producit. *Differentia sexus; mas:* antennis normaliter longitudine corporis, saltem 22—24-articulatis, articulis globosis, globulis plerumque sat longe remotis, verticillatim pilosis, abdomine angusto, cylindrico, ano obtuso; *femina:* antennis longitudine circiter capitis thoracisque, 12-(secundum *Meigen)* vel 14-15-(secundum *Rondani)* articulatis (**), articulis oblongiusculis, subdepresso pilosis, abdomine apice acuto, oviductu plus l. minus longe exserto, articulato. — *Typus* generis: *C. nigricollis* (18).

Sect. 1. Alæ margine ciliatæ (in *C. læta* n:o 8 margine interiori ex parte seu tantum ante medium ciliato).

---

*) sic species *Cecidomyzæ* & *Lasiopteræ* inter Diptera analogæ sunt cum *Cynipseis* inter *Hymenoptera.*

**) in *C. monilicorni* n:o 11, antennis 22-articulatis.

*) thorace antice distincte producto; pedibus plerumque crassiusculis.

1 *rosea* Zett. Ins. Lapp. ♂. 2 *protuberans* Zett. n. sp. ♂? 3 *hirtipes* Zett. ♂♀. 4 *immunda* Zett. n. sp. ♀ (an etiam ♂?).

**) thorace antice non l. parum tantum producto; pedibus plerumque gracilibus.

†. *Alæ immaculatæ.*

5 *testacea* Zett. n. sp. ♀. 6 *hirticornis* Stæg. n. sp. ♂♀. 7 *pallida* Meig.? ♂♀. 8 *læta* Zett. n. sp. ♂ (♀?). 9 *palustris* Linn.? ♂♀. 10 *nigritarsis* Stæg. n. sp. ♀. 11 *monilicornis* Zett. ♀. 12 *nudipennis* Zett. ♂♀. 13 *laterella* Zett. Ins. Lapp. (*Tipul. Pini* Deg.?) ♀. 14 *vulnerata* Zett. n. sp. ♂. 15 *flavi-maculata* Zett. n. sp. ♂. 16 *niveitarsis* Zett. n. sp. ♂. 17 *tarseolata* Zett. n. sp. ♀. 18 *nigricollis* Meig.? ♀. (forte etiam ♂). 19 *pictiventris* Zett. n. sp. ♀. 20 *longicornis* Linn. ♂.

††. *Alæ maculatæ.*

21 *variegata* Macqv. ♂♀.

Sect. 2. Alæ margine nudæ (non ciliatæ).

22 *grandis* Meig. ♂. (♀). 23 *gibba* Zett. n. sp. ♀? 24 *lutea* Latr. Meig. ♂♀. 25 *sordida* Zett. n. sp. ♂. 26 *hilarella* Zett. n. sp. (an *C. flava* Meig. var.?) ♂. 27 *pennicornis* Linn. ♂♀.

Species inquirendæ an quoque sint Scandinaviæ incolæ:

C. griseicollis Meig. ♂♀. — *C. salicina* Deg. — *C. Loti* Deg. ♀. — *C. scutellata* Meig. ♂.

Cecidomyza.

Sect. 1. Alæ margine ciliatæ (in *C. læta* n:o 8 margine interiori tantum ante medium ciliato).

*) thorace antice distincte producto; pedibus sæpe subcrassiusculis.

1. *C. rosea:* pallida, abdomine (in viva) roseo, incisuris, thoracisque vittis tribus, obscuris; alis cinerascentibus. ♂. (Long. circiter 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 822. 1. ♂.

Hab. in paludosis Scandinaviæ septentrionalis, passim; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina & novacculum Umenäs, 7 Jul. — 2 Aug. 1832 haud infrequenter capta; in insula Dyrœn Nordlandiæ Norwegicæ 21 Jul. 1821 quoque semel inventa.

♂. Pallida, subnitida, glabricula; viva pulchra. Caput sub thorace gibbo, antice valde protuberante, insertum. Antennæ capite thoraceque paullo longiores (longitudine dimidii corporis) 26-articulatæ videntur, articulis subrotundatis, non longe discretis, pilosulis; pallidæ. Oculi nigri. Stethidium pallidum, thoracis dorso vittis 3 latis subconfluentibus nigris l. fuscis. Scutellum pallidum. Abdomen non multo angustum, in viva carneum seu pulchre roseum, in exsiccato rufo-flavum; segmentorum margine apicali nigro aut brunneo; hinc abdomen supra obscure fasciatum. Anus subobtusus. Alæ hyalinæ, hirsutie tenui cinereæ, margine interiori distincte ciliatæ. Nervus 2:dus longitud. in apice alæ excurrens nonni-

hil curvatus, nec exacte rectus. Halteres longiusculi, pallidi. Pedes modice tenues, pallidi, cinerascenti-puberuli.

Obs. 1. Antennarum brevitas & articulorum forma feminam, sed horum articulorum numerus marem prodit.

Obs. 2. In collectione mea specimen, sub nomine: *Cecid. fasciata* Meig., adest, in Svecia inferiori olim captum, quod exsiccatæ *C. roseæ* valde simile videtur, sed quoniam apex antennarum abdominisque abscissus est, identitatem ejus cum *C. rosea* asseverare non possum. Vix femina *C. roseæ?*

2. *C. protuberans:* aurantiaco-flava, immaculata, subnitida; antennis flavis, articulis subrotundatis, approximatis; alis subcinerascentibus, halteribus pallidis; pedibus pallescentibus. ♂? (Long. circiter $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia, ubi tria specimina ad Ejsta & in insula Furillen, 2—21 Jul. 1841 inveni.

♂? *C. productæ* Meig. Dipt. 6. 267. 18. similis videtur, sed antennarum structura alia discrepat. Tota saturate flava, glabricula. Antennæ capite thoraceque nonnihil longiores, pallidæ, articulis, ni fallor, circiter 24, omnibus æqvalibus, subrotundatis, approximatis, pilosulis. Oculi nigri. Thorax antice valde productus. Abdomen modice angustum. Alæ ut in præcedente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, non graciles, sed potius crassiusculi, pallidi, cinereo- vel fusco-puberuli.

3. *C. hirtipes:* lutescens, parum nitida, thorace vittis 3 brunnescentibus, obsoletis; abdomine fuscescente; antennis flavidis, nodis subrotundatis, approximatis; alis cinereis; halteribus pallidis; pedibus fusco-hirtis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 823. 2.

Hab. in Scandinavia, mihi rarius obvia; scilicet in

Lapponia Tornensi ad Kengis 22 Aug. 1821 captam; in Lapponia Lulensi in 1 mare & 4 feminis a D. *Andersson* 1843 inventam, & denique in Scania ad Räften 9 Jul. 1838 in unico individuo lectam, vidi.

♂♀. Similis priori, sed thorace lurido l. sordide flavo, nec aurantiaco, abdomine obscuriori, &c., distincta videtur. Antennæ (in speciminibus plerisque nostris abscissæ, vel apice mutilatæ) fusco-flavæ, in ♂ circiter 18-, in ♀ circiter 12-articulatæ, nodis subrotundatis, approximatis, pilosis l. pubescentibus. Oculi nigri. Stethidium sordide flavum, thorace antice distincte producto, dorso vittis 3 latiusculis dilute brunneis, in fundo flavo minus distingvendis, interdum vix conspicuis. Scutellum & metathorax flava. Abdomen in ♂ cylindricum, pilosum, ano flavo; in ♀ modice crassum, obscurum, apice breviter acutum, subpubescens, stylis analibus 2 brevibus, flavis. Alæ cinereæ, undique hirtæ, margine præsertim interiori ciliatæ. Halteres albido-flavi. Pedes modice longi, crassiusculi, distincte fusco- l. obscure hirti. Femora saltem basi sordide flava. Tarsi præsertim antici obscuri, fere nigricantes. — Var. ♂ tibiis tarsisque omnibus obscuris; in Gottlandia ad Fardhem 3 Jul. 1841 semel.

4. *C. immunda:* fusca, nitida, halteribus pedibusque concoloribus; scutello abdominisque incisuris pallidis; ano (in ♀), & oviductu exserto, nigris; alis cinereis. ♀ (♂). (Long. $1\frac{1}{4}$ lin. absque oviductu).

Hab. in Norwegia borealiori rarissime; ♀ ad diversorium Thynäs 3 Jul. 1840 semel capta.

♀. *Cec. cucullatæ* Meig. Dipt. 1. 96. 6. ♂. accedit, sed colore alio diversa videtur & vix ejus femina. Exsiccata. Glabricula, nitida. Oculi nigri. Antennæ abscissæ. Thorax cinereo-brunneus. Scutellum pallidum. Abdomen elongatum, crassiusculum, acuminatum, brunneum, incisuris pallidis; hinc

fasciæ 6 flavæ. Anus niger. Oviductus longitudine fere dimidii abdominis, ater. Alæ longitudine abdominis, modice latæ, cinereæ, hirtæ, toto margine interiori ciliato. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) non usque ad medium costæ continuatus: 2:dus in apice alæ subrectus l. lenissime tantum curvatus excurrit; 3:tius 4:tusque basi paralleli, in medio per nervulum exiguum obliquum connexi, deinde divergentes. Halteres modice longi, clava fusca, petiolo sordide albido. Pedes modice longi, validiusculi, fusci, femoribus basi indeterminate paullo dilutiores. Coxæ pallidæ.

♂ similis feminæ descriptæ, sed thorax minus productus, abdomen angustum, ano obtuso, antennæ corpore nonnihil breviores, fuscæ, nodis subrotundatis l. breviter oblongis, subapproximatis, pilosulis; ad Thynäs, atque etiam in Jemtlandia ad Skalstugan d. 16 Jul. 1840 captus, hujus mas videtur.

**) thorace antice non l. parum tantum producto; pedibus plerumque gracilibus.

†. *Alæ immaculatæ.*

5. *C. testacea:* testacea, opaca, antennis pedibusque concoloribus; scutello halteribusque pallidis; abdomine carneo; alis cinerascentibus. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd in parœcia Mellby semel inventa.

♀. Descriptio exsiccatæ. Caput testaceum, oculis nigris. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, testaceæ, articulis parvis, approximatis, pubescentibus. Thorax rotundatus, testaceus, immaculatus, pleuris paullo pallidioribus. Scutellum flavum. Abdomen proportione elongatum, modice crassum, saturate flavum l. incarnatum, lineola laterali per totam longitudinem ducta fusca; apice acutum, stylis analibus 2 brevi-

bus, pallidis. Alæ albido-cinerascentes, tenuiter hirtæ, nervis ut in prioribus directis. Halteres pallidi. Pedes mediocres, pallidi, cinereo-puberuli.

6. C. *hirticornis:* flava, opaca; antennarum nodis remotis, dilute fuscis; abdomine leniter fuscano; alis cinerascentibus; pedibus elongatis, gracilibus, pallidis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Stæg. in litt.

Hab. in Scandinavia minus frequens; in Scania ad Esperöd marem inveni; e Dania utrumque sexum D. *Stæger* communicavit.

♂♀. *Cec. pallidæ* Meig. Dipt. 6. 270. 24. ♂. valde similis & affinis videtur, & pro illa nostram olim sumsi; sed *C. pallida* tota pallide flava describitur (antennæ in specimine quod descripsit *Meigen*, "mutilatæ" dicuntur), nec abdomine saltem incisuris fuscano. — Caput flavum, oculis nigris. Antennæ in ♂ longitudine corporis, flavæ, nodis rotundatis, distincte remotis, subfuscanis, verticillatim longe pallide pilosis; in ♀ capite thoraceque paullo longiores, flavæ, nodis subrotundatis, modice remotis, subfuscanis, pilosulis. Palpi flavi. Stethidium flavum, thoracis disco dorsali antico in ♀ dilute subfuscano. Abdomen (in exsiccatis) in ♂ angustum, pilosulum, testaceum, dorso vel toto vel saltem incisuris dilute fuscum, ano subreflexo, pallido; in ♀ paullo crassius, pubescens, testaceum, ano distincte acuto. Alæ in utroque sexu cinerascentes, hirtæ, nervis ut in prioribus directis. Halteres longiusculi, pallidi. Pedes elongati & valde graciles, pallidi & breviter pallide pilosuli.

Var. b. ♂. similis var. a., sed thoracis dorso vittis 3 latiusculis, & abdomine supra toto, dilute fuscis. In horto Lundensi 12 Sept. semel. Etiam in Norwegia ad Garnäs Værdaliæ 1 Jul. exemplum unicum captum.

7. *C. pallida:* albido-flava, opaca; antennarum nodis distincte remotis, rotundatis, fuscis; abdomine aurantiaco; alis pallide flavis; halteribus pedibusque albidis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 270. 24? ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; e Dania ♂ sub nomine: "*Cecid. pallida*", & ♀ sub nomine: "*Cec. aurantiaca* Macqv." mecum a D. *Stæger* communicati.

♂♀. A priori magnitudine paullo minori & colore pallidiore differt. Gracilis. Albido- vel pallidissime flava. Oculi nigri. Antennæ in ♂ corpore fere longiores, tenues, pallidæ, nodis rotundis, distincte remotis, obscuris, verticillatim longe pilosis; in exemplo femineo, quod ante oculos habeo, apice abscissæ, sed basi ut in prioris femina constructæ videntur. Thoracis dorsum dilute aurantiacum, vittis scilicet hujus coloris confluentibus pictum. Abdomen in ♂ augustum, flavum l. dilute aurantiacum; in ♀ nonnihil crassius, aurantiacum, apice breviter acutum. Alæ pallescentes, undique hirtæ, per omnem marginem & præsertim interiorem ciliatæ. Halteres longiusculi albidi. Pedes elongati, graciles, albidi, breviter pallide pilosuli.

Obs. *Cec. flava* Meig. tantum $\frac{1}{2}$ lin. longa, antennis fuscis, & alis pure hyalinis margine interiori nudo, huc referre non potest. Character *Cer. aurantiacæ* Macqv., qui e solo colore aurantiaco desumitur, antennarum pedumque structura ut & discrimine sexus non indicatis, in dubium facile inducit.

8. *C. læta:* albido-flava, subopaca, abdomine concolore; antennarum nodis (in ♂) modice remotis, oblongiusculis, fuscis; alis pallide flavis, margine interiori tantum ante medium ciliato; halteribus pedibusque albidis. ♂(♀). (Long. circit. $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Norwegia rarissime; ad diversorium Suul Værdaliæ in jugo alpino situm 12 Jul. 1840 a D. *Dahlbom* detecta.

♂. A priori, cui similis, differt præcipue antennis nonnihil brevioribus, nodis paullo minus distantibus, oblongis, nec rotundis, modice, nec longe, pilosis, abdomine pallidiore, & denique alarum margine interiori non toto, sed tantum ex 5:ta l. 6:ta parte marginis (paullo ante medium & paullo pone basin) pallide ciliato. Exsiccata. Tenera, glabricula, parum nitida, læte flava. Oculi nigri. Antennæ circiter longitudine corporis, flavæ, nodis fuscis. Abdomen modice angustum, thorace paullo saturatius flavum. Alæ abdomine paullo longiores, latæ, albidæ, tenuiter hirtulæ, nervis ut in prioribus. Halteres elongati, pedesque longi graciles, albidi.

♀ an hujus? Similis mari descripto, sed differt: corpore intensius flavo, nec albido-flavo, antennis tantum capite thoraceque paullo longioribus, nodis rotundatis (nec oblongis), magis approximatis, ut & thoracis dorso læte brunneo, brunnedine vittas 3 latas indicante. Ad Suul eodem loco & tempore ac ♂, capta.

9. *C. palustris:* flava, thorace vittis tribus latis obscuris; antennarum nodis modice remotis, fuscis; abdomine carneo; alis dilute cinerascentibus, halteribus pedibusque pallidis. ♂♀. (Long. specim. exsiccat. $\frac{1}{2}-\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 96. 7. Ejusdem 6. p. 267. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 160. 5? ♀. — *Tipula palustris* Linn. Fn. Sv. p. 439. 1775. ♀? Fabr. Ent. Syst. 4. 251. 88. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 47. 45.

Hab. in paludosis, mihi rarius obvia; ♂ e Dania sub nomine: "*Cec. palustris* Linn." a D. *Stæger* tantum in unico exemplo communicatus. In Museo Falleniano specimen, in Scania captum, etiam sub eodem nomine as-

servatur. Feminam in jugo alpino Norwegiæ ad Suul Jul. 1840 inveni. Marem denique e Christiania a D. *Siebke* obtinui.

♂♀. Tenera, flava; vix nitida. Caput obscurum, oculis nigris. Thoracis dorsum vittis 3 subconfluentibus, obscuris. Scutellum pallidum. Abdomen carneum. Alæ hyalinæ, sed hirsutie cinerascentes, nervis ut in prioribus directis. Margo costalis & præcipue interior marginalis ciliatus. Halteres albidi. Pedes longiusculi, tenues, pallidi. *Mas:* antennis longitudine corporis, pallidis, nodis modice remotis, obscure brunneis, distincte verticillatim pilosis; *femina:* antennis capite, thoraceque paullo longioribus, flavidis, nodis breviter oblongis, minus remotis, fuscis, pubescentibus.

10. *C. nigritarsis:* fusca, opaca, antennis concoloribus, nodis (in ♀) oblongiusculis, parum remotis; alis cinereis; halteribus pedibusque pallidis, tarsis nigricantibus. ♀. (Long. 1 lin.).

Stæg. in litteris.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, qui 2 specimina mecum communicavit.

♀. *Cec. nigræ* Meig. Dipt. 1. 95. 4. & Tab. 3. f. 11. ♀. prope accedere videtur. Fusca. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, fuscæ l. obscuræ, nodis oblongiusculis, subapproximatis, pubescentibus. Oculi nigri. Scutellum, acu perforatum, pallidum videtur. Metathorax flavescens. Abdomen fuscum, pubescens, acutum, oviductu circiter longitudine abdominis, flavescente. Alæ cinereæ, hirtæ, nervis ut in antecedentibus. Margo interior distincte cinereo-ciliatus. Halteres pallidi. Pedes longiusculi, tenues, pallidi, tarsis præsertim anterioribus fuscis vel certo luminis situ nigricantibus.

Obs. Ni fallor quoque mas a D. *Stæger* inventus fuerit; mihi ignotus.

11. C. *monilicornis:* pallescens, opaca, thoracis dorso nigricante; antennis flavidis, nodis (in ♀) 22, rotundatis, approximatis, distincte hirtis; abdomine carneo; alis cinereis; pedibus sordide flavidis. ♀. (Long. saltem $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 823. 3. ♀.

Hab. in Lapponia Norwegica rarissime; in alpe Dowre a Prof. *Boheman* inventa mecumque in unico exemplo communicata.

♀. Glabricula. Caput fuscum, oculis nigris. Antennæ capite thoraceque nonnihil longiores, flavidæ, hirtæ, 22-articulatæ, articulis subrotundis, æqualibus, parum remotis, unde antennæ pulchre moniliformes. Thoracis dorsum totum brunneo-nigrum, margine tantum humerali pallido. Pleuræ pallidæ, sterno leniter fusco. Scutellum & metathorax griseo-fusca. Abdomen carneum, dorso dilute fuscum, apice longe acuminatum, oviductu non exserto. Alæ cinerascentes, hirtæ, margine interiori ciliatæ. Nervus 1:mus longitud. seu auxiliaris non usque ad medium costæ extensus; paullo ante apicem hujus ducitur nervulus transversus obliquus, qui longitudinalem 1:mum & 2:dum connectit. 2:dus vero longitudinalis omnino rectus (nec ut in prioribus apice paullo arcuatus) in apice alæ excurrit. Denique nervi longitudinales 3:tius 4:tusque ante medium marginis interioris coëuntes furcam formant ramis inæqualibus, quorum superior longior, pone medium leniter arcuatus, inferior vero brevior, fere perpendiculariter, in marginem interiorem descendunt. Halteres mutilati. Pedes breviusculi l. parum elongati, validiusculi, saltem non graciles, sordide flavi. — *Mas* ignotus.

12. C. *nudipennis:* fuscescens, thoracis dorso fusco-vittato; abdomine carneo; alis hyalinis, nudiusculis; pedibus albidis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 823. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in alpe Brattiksfjell prope Gardfjellen in ipsa nive d. 8 Jul. 1832 in unico ♂, unicaque ♀ a D. *Dahlbom* detecta.

♀. Oculi nigri. Antennæ ex maxima parte abscissæ, basi remanente albæ. Thorax pallidus, vittis dorsalibus parum determinandis, obscuris. Sternum fuscum. Scutellum acu perforatum. Abdomen oblongum, non acuminatum, nudum, carneum. Alæ abdomine longiores, hyalinæ, nudiusculæ l. microscopice tantum hirtulæ, margine interiori distincte ciliatæ. Nervi ut in *C. palustri* directi. Halteres longi, albidi, clava parum fusciori. Pedes longiusculi, subgraciles, nudiusculi, sordide albidi.

♂ similis feminæ, sed paullo obscurior, stethidio toto nigricante, abdominis dorso fusco. Antennæ (in nostra) mutilatæ.

13. *C. laterella*: sordide albida, argenteo-pubescens, thoracis dorso brunneo; antennis (in ♀) flavidis, nodis circiter 13, subrotundatis, approximatis, hirtis; abdomine pallescente; alis cinereis; halteribus pedibusque albidis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 823. 5. ♀. — An *Tip. Pini* Deg. Ins. 6. p. 417. 28. Tab. 26. f. 8—19? *Cec. Pini* Meig. Dipt. 1. 99. Add. ("nigro-brunnea, pedibus argenteo-albis".)? Ratzeb. Forst-Ins. 3. p. 159. Tab. 10. f. 14. ♂♀ forte hujus?

Hab. in Svecia, mihi rarissime obvia; specimen descriptum e pupa oblonga, pallida, foliolo Pini adglutinata, ad Haparanda Bottniæ borealis prope Torneå inventa, d. 25 Maji 1821 egressum.

♀. Descript. insecti exsiccati. Tota albo-pubescens; pedes imprimis e pube depressa argenteo-micant. Caput parvum, pal-

lescens, oculis nigris. Antennæ longitudine dimidii corporis, 13- vel 14-articulatæ, nodis rotundatis l. breviter sub-oblongis, subapproximatis, hirtis; totæ flavescentes. Palpi flavi. Thorax dorso brunneus l. piceus, pleuris albidis, sterno fusco. Abdomen pallide carneum, apice modice acutum, stylis analibus 2 brevibus, pallidis, nudis. Alæ abdomine fere nonnihil longiores, cinereæ, hirtæ, margine præsertim interiori ciliatæ. Nervi longitudinales: 1:mus (seu auxiliaris) non usque ad medium costæ productus; 2:dus in apice alæ leniter arcuatus excurrens; 3:tius cum 4:to in medio per nervulum obliquum connexus; hic (nervus 4:tus) ad connectionem per angulum rectum fractus in marginem interiorem alæ non longe a basi descendit. (In figura Ratzeburgi nervi 3 & 4 in medio coëuntes furcam ramis inæqualibus formant). Halteres longiusculi albi. Pedes longiusculi, paullo graciles, albo-argenteo-micantes.

Obs. In speciminibus senioribus & vivis thorax & abdomen forte aliter colorata.

14. *C. vulnerata:* fusca, opaca; macula pectorali sub radice alarum pallida; antennis (in ♂) longitudine fere corporis, circiter 18-articulatis, nodis rotundatis, modice remotis, obscuris, pilosis; alis cinereis, halteribus brunneis; pedibus flavis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Svecia meridionali valde rara; in Scania ad prædium Björnstorp prope Lund marem 24 Sept. detegit D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Ejsta 2 Jul. 1841 semel.

♂. Exsiccata. Tota cinereo-fusca, opaca. Antennæ corpore parum l. nonnihil tantum breviores. Nodos 18 numero, modice remotos, subrotundos, nigricantes, quorum 1—10 basales proportione majusculos, 11—13 minutos, reliquos mediocres, basalibus tamen minores. Oculi nigri. Thorax subnudus. Macula sub basi alarum majuscula flavida. Abdomen modice

angustum, subcylindricum, totum cinereo-fuscum, pubescens. Alæ cinereæ, hirtæ, margine interiori ciliatæ. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) fere ad medium costæ ductus; 2:dus in apice alæ rectus excurrit; 3:tius basi sat perspicuus, in medio furcam format, ramis inæqualibus, valde obsoletis, parum conspiciendis, quorum inferiori fere perpendiculariter in marginem interiorem descendente; hi vero rami mente nostra nervos 3:tium 4:tumque efficiunt. Halteres modice longi, nigricantes. Pedes longiusculi, tenues, pallidi, tarsis posterioribus (anticis mutilatis) obscuris. Metatarsus posticus mox infra basin annulo pallido.

15. C. *flavi-maculata:* nigro-cinerea, opaca; macula pectorali sub radice alarum pallida; antennis (in ♂) longitudine fere corporis, circiter 18-articulatis, nodis rotundatis, modice remotis, obscuris, pilosis; abdomine subfuscano; alis cinereis, halteribus albidis; pedibus pallidis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Svecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad diversorium Lund prope Åreskutan 24 Jun., & ad pagum Forsa prope Mulfjellet 27 Jul. 1840 inventa.

♂. Valde similis priori, a qua vero thorace obscuriore, abdomine dilutiore, & halteribus albidis, nec brunneis, præcipue differt. Glabricula. Caput nigrum. Antennæ ut in præcedente. Thorax nigricans, interdum margine humerali tenuissime, & semper macula sub alis majuscula, flavis. Abdomen angustum, segmentis 1:mo obscuro, reliqvis fuscanis, incisuris tenuiter albis. Alæ cinereæ, tenuiter hirtæ, margine interiori ciliatæ. Nervi fere ut in *C. laterella* (13) directi, sed longitudinales 3 & 4 basi approximati, paralleli, apice divergentes, horum 4:tus in medio subrectangulatim flexus, cum 3:tio haud connexus. Halteres longiusculi, albidi, petiolo gracili, clava distincta. Pedes longi, graciles, pallide flavi.

16. *C. niveitarsis:* dilute fusco-cinerea, opaca, scutello, metathorace, pleuris anoque pallescentibus; antennis (in ♂) corpore longioribus, nodis rotundatis, distincte remotis, verticillatim pilosis, obscuris; alis cinereis, halterum clava fuscana; pedibus fuscis, tarsorum anticorum articulis 3:tio 4:toque albis. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Norwegia boreali rarissime, nempe ad diversorium Garnæs Værdaliæ sub initio Jul. 1840 in unico exemplo inventa.

♂. Affinis videtur *Cec. albitarsi* Meig. Dipt. 6. 268. 20. ♀, sed præter discrimen sexus differt etiam thoracis abdominisque colore alio, alis ciliatis &c.; etiam a *Cecid. longicorni* Linn., cui prope accedit, tarsorum pictura discrepat. Glabricula. Frons flavida. Oculi nigri. Antennæ corpore paullò longiores (in specimine, quod ante oculos habeo, apice abscissæ videntur), nodis subglobosis, perspicue remotis, nigricantibus, articulorum basi flavida. In exemplo meo nodos tantum 13 numero, apicales nonnihil minores. Stethidium (in individuo exsiccato) sordide albidum, thoracis dorso cinereo. Scutellum pallidum. Metathorax flavidus. Abdomen angustum, dilute fusco-cinereum, ano rotundato, flavo. Alæ abdomine paullo longiores, cinereæ, undique hirtæ, costa saltem ad medium sat dense, sed breviter ciliata, margineque interiori in medio tenuiter etiam ciliato (ciliis in reliqua parte marginis forte detritis). Nervi fere ut in priori directi, ramo inferiori nervi furcati in medio marginis interioris excurrente. Halteres modice longi, albidi, clava longiuscula, basi fusca. Pedes longiusculi, subgraciles, parum pubescentes, obscuri l. saturate fusci, tarsorum anticorum articulis antepenultimo & penultimo albis, ultimo obscuro (tarsi posteriores in meo exemplo mutilati sunt). Coxæ omnes totæ, & femora basi indeterminate, flavescentia.

17. *C. tarseolata:* sordide carnea, subnitida, tho-

race vittis 3 latis subconfluentibus fuscis; antennis (in ♂) circiter 12-articulatis, nodis modice remotis, rotundato-oblongis, nigris; alis cinereis; halteribus, pedibusque gracilibus, pallidis, tarsis apice albis. ♀. (Long. 1⅓, oviductu non computato).

Hab. in Norwegia valde rara; specimen femineum in Töien ad Christianiam 14 Aug. 1846 captum, mihi benigne misit D. Candidatus *Siebke*.

♀. Exsiccata. Similis priori, sed colore paullo pallidiori, halteribus albidis, pedibus pallidis, tarsis toto apice albis, &c., differt, & vix ejus femina. — Oculi nigri. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, pilosæ, circiter 12-articulatæ, nodis modice remotis, breviter oblongis, ultimis angustioribus, omnibus, nigris, basi pallidis. Stethidium sordide flavidum, thorace supra nitido vittis 3 brunneis, latis, subconfluentibus, unde dorsum fere totum brunnescens. Abdomen sordide flavidum, pubescens, acuminatum, oviductu exserto, longitudine 4:tæ partis abdominis, fusco, basi crassiusculo, apice acuto, in mortua recurvato. Alæ abdomine paullo longiores, hirtæ, cinereæ, margine interiori distincte ciliatæ. Nervi longitudinales: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, 2:dus in apice alæ leniter curvatus excurrens, 3:tius subrectus, 4:tus liber (cum 3:tio non connexus) in marginem interiorem flexus. Inter nervos 2 & 3 vestigium nervi longitudinalis apparet. Halteres elongati albidi. Pedes longissimi, graciles, flavidi, tarsorum articulis 3 ultimis albis.

18. *C. nigricollis:* nigricans, abdomine carneo; antennarum nodis approximatis; alis cinereis; halteribus pedibusque albidis. ♀ (forte etiam ♂). (Long. circit. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 97. 8? ♀.

Hab. in Svecia meridionali, passim frequens; scili-

cet ♀ in Scania ad Fogelsång 10 Jun. 1838, & ad Lund 6 Sept., D. *Dahlbom*; in truncis Pyri Mali horto Lundensi d. 1 Maj. 1827 specimina utriusque sexus cohabitantia collegi.

♀. Exsiccata. Oculi nigri. Antennæ thorace nonnihil longiores, nigræ, pubescentes, articulis coarctatis. Thorax obscure cinereus, interdum fuscus, macula humerali sæpe pallescente. Metathorax interdum flavidus. Abdomen glabriculum, carneum, oviductu parum exserto. Alæ cinereæ, tenuiter hirtulæ, margine ciliatæ. Nervi subobsoleti; longitudinales: 2:dus in apice alæ rectiusculus excurrit, 3:tius parum conspicuus cum 4:to reflexo in medio connexus furcam formans. Halteres albidi. Pedes longiusculi, proportione modice graciles, albidi l. pallide flavi, certo situ maculis pallidissime brunneis.

♂ in societate (non in copula) cum ♀ descripta captus, eique subsimilis, sed differt antennis longitudine fere corporis, circiter 18-articulatis, nodis rotundatis, approximatis, pilosis; totis flavidis (an in junioribus?); forte hujus.

Var. b. ♂♀. Similis var. a., sed paullulum longior & differt: halterum clava subfuscana, atque in ♀ oviductu paullo exserto; in Scania occidentali ad Kullen e gallis Salicis purpureæ plura exempla præsertim feminea exclusa 23 Jul. 1838. Larva carnea.

19. *C. pictiventris:* fusca, abdomine aurantiaco, basi obscuro; antennarum nodis suboblongis; alis cinereis, margine interiori basi ciliato, nervis longitudinalibus 3 & 4 in medio connexis; halteribus pedibusque albido-flavis, femoribus in medio dilute fuscanis. ♀. (Long. vix ½ lin.).

Hab. in Scania ad Lund rarissime; in cubiculo suo d. 19 Sept. 1849 D. *Dahlbom* specimen descriptum invenit.

♀. Pusilla, fusca, vix nitida. Oculi nigri. Antennæ longitudine circiter dimidii corporis, pubescentes, nodis suboblongis, modice approximatis, obscuris, articulorum basi pallidis, unde antennæ pallide annulatæ videntur. Abdomen fulvum, segmentis 2 l. 3 basalibus nigricantibus; apice acutiusculum. Anus stylis 2 brevibus flavis. Alæ abdomine paullo longiores, latæ, cinereæ, tenuiter hirtulæ, margine interiori fere a basi & circiter ad quartam partem ciliatæ. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) non usque ad medium costæ extensus, 2:dus in apice alæ linea recta excurrit, 3:tius 4:tusque per nervulum transversum obliquum medio connexi. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, femoribus in medio late, sed leniter subfuscanis.

20. *C. longicornis:* carnea, thorace vittis brunneis; antennis (in ♂) corpore longioribus, nigris; pedibus elongatis, nigris. ♂. (Long. $\frac{1}{4}$ lin. secund. Macqv.).

Meig. Dipt. 1. p. 100. add. d). — Macqv. Buff. 1. 162. 14. *Tipula longicornis* Linn. Fn. Sv. n:o 1776. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 46. 41.

Hab. in Cnico palustri media æstate, *Linné;* mihi ignota.

♂. "Minima & Pulice fere minor. Caput nigrum, fronte albida. Antennæ corpore sesquilongiores, nigræ. Thorax dorso fuscus l. brunneus. Abdomen carneum. Alæ abdomine longiores, membranaceæ, incumbentes. Pedes longi, nigri". Linn. & Meig. l. c.

Obs. In museo meo plura adsunt hujus generis individua in Svecia partim meridionali, partim boreali collecta, quorum quædam sine dubio ad distinctas species referenda. Sed secundum hæc, una alterave parte mutilata, novas species sine metu erroris, proponere & describere non potui.

††. *Alæ maculatæ.*

21. *C. variegata:* cinerea, opaca, thorace obscure

vittato; antennis fuscis, nodis modice remotis; alis virescenti-cinereis, fusco-maculatis, halteribus albidis; pedibus fusco-alboque variegatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Macqv. Dipt. 1. 171. 3. Ejusdem Buff. 1. 160. 6. Meig. Dipt. 7. 22. 34 (ex descriptione Macqv. transscripta).

Hab. in Dania, D. *Stæger*, qui mihi 4 mares & 2 feminas communicavit, indicans, hanc speciem sub 1 ad 2 hebdomad. medio mensis Maji in ligno cæso in silvis hospitari.

♂♀. Per alas pedesque variegata ab omnibus aliis hujus generis huc usque cognitis abunde dignota. Descriptio insecti exsiccati. Oculi nigri. Antennæ, in ♂ longitudine fere corporis, nodis rotundatis, modice remotis, pilosis; in ♀ capite thoraceque nonnihil longiores, nodis breviter l. rotundato-oblongis, subapproximatis, pubescentibus; in utroque sexu fuscæ l. obscuræ. Thorax cinerascens, vittis 3 obscurioribus. Abdomen in ♂ angustum, ano rotundato flavido; in ♀ nonnihil crassius, oviductu exserto, longitudine fere abdominis, ferrugineo-flavo; in utroque sexu cinerascens. Alæ abdomine longiores, modice latæ, hirtulæ, margine præsertim interiori ciliatæ; cinereo-hyalinæ, certo luminis situ virescenti-cinereæ pulchre irisantes. Nervi longitudinales: 2:dus in apice alæ lenissime flexus excurrit, 3 & 4 per nervulum transversum valde obsoletum connexi. Halteres longiusculi, albidi, clava oblonga. Pedes longi, graciles, femoribus, tibiis tarsisque albido- & obscuro-variegatis.

Obs. Specimen, quod D. *Macqvart* l. c. descripsit, antennis nigris, abdomine rufo l. carneo &c., a nostris discrepat, sed sine dubio ad eandem pertinent speciem.

Sect. 2. Alæ margine nudæ (non ciliatæ).

22. *C. grandis:* brunnea, abdomine pallide fascia-

to; antennis pedibusque flavis; alis pallide cinereis, halteribus dilute brunneis. ♂. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 94. 1. Ejusdem 6. p. 267. ♂♀. — Macqv. Buff. 1. 159. 1. T. 4. f. 10 (totum insectum), 11 (caput cum antennis). Wiegm. & Ruthe Zool. 1843. p. 464. ♀.

Hab. in Scandinavia locis humidis rarius; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd aliquoties lecta; in Norwegia boreali ad diversorium Thynäs in parœcia Skogn d. 4 Jul. 1840 semel etiam inveni. (E Kilia a *Wiedemann* quoque in unico exemplo sub nomine: "*Cecid. grandis*" communicata).

♂. Affinis *Cec. roseæ* n:o 1, sed alarum margine interiori nudo, nec ciliato, præcipue distincta. *Cecid. fasciatæ* Meig. quoque similis videtur, defectu vero ciliarum in alis mox dignota. Descript. exsiccat. Glabricula. Caput brunneum. Oculi nigri. Antennæ longitudine fere dimidii corporis, circiter 24- vel 26-articulatæ, articulis subrotundatis, distincte approximatis, seu parum discretis, breviter pubescentibus, nec pilosis; totæ flavo-testaceæ. Thorax antice protuberans; brunneus, dorso saturatius brunneus, subnitidus (in specimine Kilensi vittæ dorsales 3 obscure brunneæ, subconfluentes, media postice abbreviata). Scutellum pallidum. Metathorax pallidus, margine apicali nigricante. Abdomen elongatum, cylindricum, nudum, pallidum, segmentis margine apicali obscure brunneo, unde 7 fasciæ brunneæ nitentes in abdomine formantur. Anus rotundatus, pallidus, immaculatus. Alæ longitudine fere abdominis, modice latæ, tenuiter puberulæ, margine nudæ, totæ pallide cinereo-hyalinæ. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) medium costæ extensus; 2:dus in apice alæ fere rectus excurrens; 3:tius & 4:tus basi paralleli, approximati, a medio divergentes. Halteres longiusculi, albidi, clava sordide albida, vix brunnescente. Pedes modice longi

& modice tenues, nudiusculi, pallescentes. — *Femina* ut similis *Cec. fasciatæ*, & tantum alarum ciliis deficientibus diversa, & mare *C. grandis* paullo minor, a *Meigen* describitur; mihi ignota.

Obs. Species meigeniana varietas obscurior videtur, thorace halteribusque saturatius brunneis, ut & pedibus testaceis prædita.

23. C. *gibba:* lutescenti-flava, opaca, thoracis protuberantis dorso pallide brunneo; antennarum nodis rotundatis, perspicue approximatis; alis cinereis; pedibus crassiusculis. ♀? (Long. circiter 1¼ lin.).

Hab. in Svecia meridionali, Scania, rarissime, duo tantum specimina vidi.

♀? Valde similis *Cec. protuberanti* n:o 2, sed alarum margine interiori nudo &c., distincta. Exsiccata. Glabricula, opaca, flavo-testacea. Antennæ (in nostris individuis apice abscissæ) flavæ, articulis rotundatis, valde approximatis, pubescentibus. Oculi nigri. Thorax gibbus, antice distincte productus, dorso dilute brunneo, brunnedine vittas 3 latas formante. Scutellum & metathorax pallida. Alæ longiusculæ, modice latæ, seu in hoc genere subangustatæ, pallide cinereæ, tenuiter hirtulæ, margine omni omnino nudæ. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) non usque ad medium costæ productus; 2:dus in apice alæ lenissime curvatus excurrit; 3 & 4 basi approximati, paralleli, in medio per nervulum tenuem obliquum connexi, pone connectionem divergentes. Halteres mutilati. Pedes modice longi, validiusculi, flavi, tibiis postice cinereis l. dilute fuscis.

24. C. *lutea:* sordide lutea, thorace vittis 3 fuscescentibus; antennis flavis, nodis in ♂ rotundis, remotis, in ♀ oblongiusculis, subapproximatis; alis cinerascentibus. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Meig. Dipt. I. 99. 16. ♂♀. & 6. p. 267. Latr. Gen. 4. 253.

In Scania ad Lund habitare fertur, scilicet in fenestra d. 9 April capta fuerit; a me neque inventa, neque visa.

♂♀. "Pallide sordide lutea. Oculi nigri. Antennæ flavæ: articulis in ♂ remotis globosis, in ♀ magis approximatis, suboblongis. Vittæ thoracis dilute brunneæ. Alæ cinerascentes, margine nudo, nervis longit. 2 & 3 (nostra mente 3 & 4) connexis. In sæpibus vivis & graminosis non raro." Meig. l. c.

25. *C. sordida:* fusco-cinerascens, subopaca, antennis concoloribus, nodis (in ♂) rotundatis, subapproximatis, hirtis; alis cinereis, subnudis; scutello, halteribus pedibusque pallescentibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia valde rara; ad diversorium Forsa prope Mulfjellet 28 Jun. 1840 inventa.

♂. Exsiccata. Glabricula, fusca, parum nitida. Antennæ corpore paullo breviores, subfiliformes, pubescentes (non pilosæ), nodis subrotundatis, parum distantibus, fuscis. Oculi nigri. Abdomen angustum, dilute fuscum, ano rotundato. Alæ abdomine longiores, modice latæ, cinereæ, subnudæ l. tenuiter tantum hirtulæ, margine omni omnino nudæ. Nervi ut in *C. immunda* n:o 4 directi. Halteres elongati albidi. Pedes longiusculi, tenues, pallidi.

26. *C. hilarella:* læte flava, subopaca; antennarum nodis (in ♂) modice remotis, rotundis, pilosulis, fuscis; alis pallescentibus, hyalinis, nudis, halteribus albis; pedibus pallidis. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Cecid. flava Meig. Dipt. 1. 99. 17? ♂. (læte flava; antennis fuscis; alis hyalinis).

Hab. in Svecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad alpem Mulfjellet 24 Jul. 1840 in unico exemplo deprehensa.

♂. Exsiccata. *Cecid. flavæ* Meig. eximie affinis videtur, sed forte non eadem, nam antennarum articuli (nodi) "valde remoti" in specie Meigeniana dicuntur. Similis quoque est nostræ *Cec. lætæ* n:o 8; hæc vero antennarum nodis oblongis, nec rotundis, & alarum margine interiori ex parte ciliato, a *C. hilarella* differt. Tenera, tota pallide flava. Oculi nigri. Antennæ corpore nonnihil longiores, circiter 18-articulatæ? nodis modice distantibus, rotundis, fuscis, breviter pilosis. Abdomen angustatum, haud elongatum, saturate flavum, nudum. Alæ abdomine saltem duplo longiores, latæ, denudatæ (vix detritæ), pallide hyalinæ, margine omni omnino nudæ. Nervi longitudinales 3 & 4 basi cohærentes, pone medium divergentes. Halteres graciles, albi, clava parva rotundata. Pedes longiusculi, sat tenues, albidi l. pallide flavi.

27. *C. pennicornis:* atra, alis albis, halteribus niveis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. p. 100. add. e). — Macqv. Buff. 1. 162. 15. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 5. 5. *Tipula pennicornis* Linn. Fn. Sv. n:o 1777. ♂. Syst. Nat. 2. 979. 61. ♂ (antennis bipectinatis, corpore atro, halteribus albis). Fabr. Ent. Syst. 4. 252. 93. ♂♀. *Chironomus* idem Fabr. Antl. 48. 49.

Hab. in Scandinavia meridionali Jun. Jul.; mihi tantum obvia in floribus Aristolochiæ Clematitis, intra quorum tubum in fundo, feminæ sæpe copiose versantur, alimentum quærentes, pollen disspargentes, & exinde fœcundationem promoventes; fœcundatione peracta, mar-

cescit corolla, pili intra tubum obstantes relaxantur, & insectum, e carcere liberatum, ita sine impedimento exit. — Marem non vidi. — Larvæ in gallis plantarum degunt, teste *Fabricio*. Secundum *Drewsen* larvæ albæ socialim vivunt in siliquis Brassicæ Napus, quæ hinc deformantur; valde perniciosæ. Kröjers Tidsskr. 4. p. 337.

♀. Minutissima, tota nigra, glabricula. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, tenues, filiformes, circiter 14-articulatæ, nodis parvis rotundatis eximie approximatis. Abdomen modice crassum. Alæ longitudine circiter abdominis, modice latæ, apice rotundatæ, totæ albo-hyalinæ, nervo auxiliari ad medium costæ extenso, nigricante, reliquis obsoletis, parum conspiciendis. Halteres albi. Pedes mediocres, nigri, interdum picei.

♂ "antennis bipectinatis" ab Auctoribus describitur, a me hactenus frustra quæsitus.

Species sequentes inter Scandinaviæ incolas quoque relatas audivi, mihi vero ignotas; nempe:

C. griseicollis: thorace cinereo; abdomine carneo; alis cinerascentibus, margine interiori ciliatis, halteribus pallidis; pedibus fuscis; antennis nigris, nodis in ♂ rotundatis, remotis, in ♀ oblongiusculis, approximatis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{1}{2}$, ♀ $\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 97. 10. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 5. 18.

In Scania ad Abusa e tuberculis ramulorum Salicis 14 April. 4 Maj. uterque sexus exclusus.

C. salicina: nigra, pubescens; antennis circiter 20-articulatis, moniliformibus, villosis; alis leniter fuscis,

hirtis, margine interiori ciliatis. (Long. secundum *Schrank* 1 lin.; secundum *Macqvart* 2 lin.)

Meig. Dipt. 1. p. 100. add. b). — Macqv. Buff. 1. 159. 3. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 5. 17. *Tipula* eadem Deg. Ins. 6. p. 412. 27. Tab. 26. f. 1—7 (larva & pupa). Schrank, Ins. Austr. 1781. p. 435. 884 (larva, pupa & imago).

Hab. in Salicibus variis, e gemmis earum lignefactis verno tempore egressa, corpore piloso pellucente rubedine. Larva rubra, maculis irregularibus albis; & pupa rubra, antennis, oculis, alis pedibusque nigris, describuntur.

C. Loti: nigra, opaca; antennis capite thoraceque paullo longioribus (♀), circiter 12-articulatis, pubescentibus, nodis rotundatis approximatis; alis abdomine crassiusculo nonnihil longioribus, trinervosis, undique hirtis, margine interiori ciliatis, halteribus longiusculis (pallidis?); pedibus elongatis, puberulis. ♀. (Long.? *Lasioptera juniperina* paullo minor).

Meig. Dipt. 1. p. 100. add. c). — Macqv. Buff. 1. 161. 13. *Tipula Loti* Deg. Ins. 6. p. 420. 29. Tab. 27. f. 1 (galla), 2 & 3 (larva), 4 & 5 (imago) (*).

Hab. in floribus. Larvæ gallicolæ albido-flavæ sociatim vivunt in floribus Loti corniculati, quorum germina in gallas vesiculosas intumescunt, e qvibus imagines mense Julio proveniunt.

---

*) in fig. 5 alæ præter nervum costalem enerves repræsentantur, sed in diagnosi & descriptione, alæ "nervis tribus" præditæ rite dicuntur.

Obs. *Cecid. scutellata:* thorace nigro, nitido; scutello ferrugineo; abdomine fusco basi ferrugineo; antennis (in ♂) longitudine fere corporis, verticillatim pilosis, nodis oblongiusculis basi incrassatis; alis cinereis, hirtis, margine interiori ciliatis; halteribus pedibusque pallidis. ♂. 2 lin. longa; Meig. Dipt. 6. 270. 25. Boie in Kröjers Tidsskr. 1838. p. 235. n:o 3. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 5. 13., cujus pupæ in culmis Arundinis Phragmitis in Holsatia & Selandia a D. *Boie* observatæ, forte etiam in Svecia occurrit, hactenus tamen non deprehensa, quantum noverim.

---

228. LASIOPTERA (*) Meig.

Corpus minutum aut minutissimum, tenerum. Caput parvum, sessile. Antennæ porrectæ, capite thoraceque parum l. paullo longiores, submoniliformes, 14-24-articulatæ, articulis globosis, sæpe parum remotis, pilosulis. Proboscis brevissima. Palpi exserti, 4-articulati, articulis 2 basalibus crassioribus. Oculi lunati. Ocelli nulli. Thorax ovalis, sutura transversa nulla. Abdomen cylindricum, 8-annulatum. Alæ incumbentes, latæ, rotundatæ, binerviæ, hirtulæ, margine interiori ciliatæ. Duo illi nervi ad marginem interiorem descendunt furcam formantes. Pedes elongati, graciles, inermes, metatarso brevissimo, aut mediocri. *Color* obscurus, aut pallidus. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in graminosis & foliis fruticum. *Larvæ* gallicolæ putantur. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, ano hamato; *femina:* abdomine crassiori,

*) *Lasioptera* Andrz. est quoque nomen plantæ generis inter Cruciferas, sed inter Diptera prioritatem habet.

ano acuto. Antennæ in ♂ quoque paullo longiores sunt, quam in ♀.

1 *juniperina* Linn. ♂♀. 2 *minuta* Zett. ♂.

1. *L. juniperina:* fusco-rufescens; antennis moniliformibus, circiter 14-articulatis, nodis subrotundatis, pilosis; alis cinereis, costa nigricante. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 92. 8. Macqv. Buff. 1. 164. 5. *Tipula juniperina* Linn. Fn. Sv. n:o 1774. System. Nat. 2. p. 977. 51. Degeer Ins. 6. p. 404. 26. Tab. 25. f. 7—10 (gallæ). 11—12 (larvæ). 13 (pupa). 15 (imago ♂). 18 (♀). — Latr. Gen. 4. 253.

Hab. in Juniperi communis triglochide, quam caussat. Larvæ in gallis hybernantes, vix 1 lin. longæ, apodæ, rubræ. Imago mense Majo provenit. (Conferantur *Linné* & *Degeer* l. c.)

♂♀. Pusilla, corpore brunneo l. fusco-rufo. Antennæ modice longæ, circiter 14-articulatæ. Oculi nigri. Alæ hirtæ. Halteres elongati. Pedes longi, graciles. *Mas:* antennarum nodi paullo remoti, distincte pilosi. Abdomen angustum, cylindricum, ano hamulis 2 brevibus munito. *Femina:* antennarum nodi approximati, minus longe pilosi. Abdomen crassum, apice acuminatum.

Obs. Fabricii *Chironomus juniperinus* Antl. 47. 42. & *Hirtea* eadem Ent. Syst. Supplem. 553. 13. generi *Sciaræ* olim addictus, jam *Lestremiæ* subjici debet, volente *Meigen.*

2. *L. minuta:* pallida; antennis circiter 13-articulatis; alis cinereis. ♂. (Long. circiter $\frac{1}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 824. 1. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, scilicet ad Lyck-

sele d. 2 Aug. 1832 in unico exemplo a D. *Dahlbom* deprehensa.

♂. Valde minuta & tenera. Subopaca, glabricula, sordide pallida. Antennæ thorace paullo longiores, pilositate fuscæ. Oculi nigri. Abdomen corrugatum. Alæ hyalinæ, tenuiter cinereo-hirtulæ, hirsutie hinc inde densiori (an casu?), unde quasi maculæ fuscæ, licet valde obsoletæ, præcipue ad costam exstant. Pedes tenues, pilosuli, pallidi, articulo tarsorum 1:mo, quantum in individuo minutissimo videri liceat, quam proximo longiori.

Fam. 47. PSYCHODIDES Zett.

229. PSYCHODA Latr.

Corpus parvum, oblongo-ovatum, undique dense villosum. *Tineam* parvam fere mentiens. Caput minutum, sessile. Antennæ porrectæ, longitudine capitis thoracisque, moniliformes, circiter 12-16-articulatæ, verticillatim pilosæ, articulis 2 basalibus crassioribus. Proboscis brevis. Palpi exserti, incurvi, pubescentes, 4-articulati, articulis æqualibus. Oculi lunati. Ocelli nulli. Thorax rotundatus. Abdomen cylindricum, 8-annulatum. Alæ obovatæ, latæ, deflexæ, valde hirsutæ, nervis longitudinalibus pluribus (8—10), quorum saltem 2 furcati, & 5 l. 6 ad marginem alæ interiorem sat longe ciliatum descendentes. Nervi transversi nulli. Halteres mediocres. Pedes breves, crassiusculi. Tibiæ muticæ; apice non calcaratæ. *Color* obscurus. *Motu* celerrima, inquieta, in plano circulatim currens. *Habitatio* larvarum in uliginosis & sub quisquiliis; imaginum locis humidis, sordidis, umbrosis, in foliis fruticum, muris, cloacis, etiam in fenestris. *Differentia sexus* in externis vix ulla.

1 *Phalænoides* Linn. 2 *palustris* Meig. 3 *trifasciata* Meig.? ♂♀. 4 *nubila* Meig. 5 *ocellaris* Latr. 6 *calceata* Meig. ♂♀. 7 *Nervosa* Meig. 8 *aurea* Zett. n. sp. 9 *humeralis* Meig. ♂. 10 *albipennis* Zett. n. sp. ♂.

Psychoda.

1. *Ps. Phalænoides:* fusco-cinerea; alis acutiusculis griseis, punctis marginalibus obscuris. (Long. ¾—1 lin.).

Latr. Dict. d'hist. nat. 24. 189. 518. Gen. Crust. 4. 251. Fabr. Antl. 49. 1. Meig. Dipt. 1. 104. 1. Macqv. Buff. 1. 164. 1. T. 4. f. 12 & 13. Zett. Ins. Lapp. 824. 1. Wiegm. & Ruthe Zool. 1843. p. 464. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 5. 1. *Tipula Phalænoides* Linn. Fn. Sv. n:o 1771. Syst. Nat. 2. 977. 47. (ubi synonyma Veterum legantur). Degeer Ins. 6. p. 422. 30. Tab. 27. f. 6—9. Fabr. Ent. Syst. 4. 251. 85. Schrank, Ins. Austr. p. 434. 883. *Trichoptera* eadem Meig. Klassif. 1. 43. 1.

Hab. in graminosis libenter locis humidis, in foliis fruticum, muris, parietibus, latrinis, etiam in floribus Umbellatarum &c., a primo vere ad serum autumnum, per totam Scandinaviam, alpibus Lapponicis tantum exceptis, vulgatissima. — *Larva* cylindrica utrinque attenuata, sordide albida, scabra, postice muricata, incisuris plabris; longit. ½ lin. Harum millia sub vegetabilibus putridis sociatim hybernant; tarde se movent. *Pupa* conica sordide flavo-brunnea, pilis solitariis vestita; long. ⅖ lin.; in statu hoc 2—3 hebdomad. manet; April. Martio excluditur. 2—3 generationes æstate procreantur. *Bouché.*

Tota fusco-cinerea seu griseo-brunnea. Antennæ circiter 14-ar-

ticulatæ, nodis modice remotis, rotundis, pilosis, pilis versus apicem antennæ directis (nec patentibus), totam antennam fere tegentibus. Oculi nigri. Alæ subacutæ, totæ griseo-hirtæ, punctis (in dimidietate posteriori alæ) ad apicem singulorum nervorum juxta marginem alæ utrinque evidentioribus. Hæc autem hirsuties & pictura in hac specie, uti in reliqvis, valde fugax facile deteritur, relicta sæpe tantum pilositate tenaciori in nervis & ciliatura in margine alarum. Ciliæ grisescentes. Pedes jam obscuri, jam pallescentes.

2. *Ps. palustris:* corpore albido-villoso; alis apice rotundatis, totis albicantibus, fasciis duabus angulatis, apiceque late, fuscis; pedibus albis, tibiarum tarsorumque apice nigro. (Long. fere 1½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 105. 2. Tab. 3 (nec 2). f. 18. Macqv. Buff. 1. 164. 2. *Trichoptera* eadem Meig. Klass. 1. 43. 2.

Hab. in plantis locis paludosis, mihi in Scania ex. gr. ad Esperöd mense Julio (ad aqvas) minus frequenter obvia; in Dania passim, D. *Stæger*, qui etiam specimina communicavit. (Secundum *von Roser* larvæ in fungis vivunt; an ita vere?).

Caput, thorax & abdomen nigra, sed villis albis undique tecta. Alæ albidæ, basi angustæ, fasciis 2, una ante medium, altera in medio, angustatis & angulatis, apiceque late fuscis l. obscuris. Ciliæ obscuræ, præsertim ad marginem interiorem sat longæ, in apice alæ albidæ. Halteres obscuri. Pedes albidi, tibiis apice, tarsorum articulis duobus apicalibus nigricantibus.

3. *Ps. trifasciata:* cano-villosa; alis apice rotundatis, totis albicantibus, fasciis tribus angulatis fuscis; pedibus sordide albidis, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 105. 3? Macqv. Buff. 1. 165. 3? Zett. Ins. Lapp. 825. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum locis paludosis umbrosis, passim, in copula etiam observata; scilicet mihi in Scania ad Esperöd in silvaticis, Aug. Sept. frequenter, & in Lapponia Umensi ad Stensele non parce obvia.

♂♀. Simillima priori, a qua vix nisi magnitudine paullo minori & alarum fasciis mediis paullo latioribus differre videtur. Alæ fasciis 3 obscuris, mediis latiusculis, angulatis, ultima apicali intus fere truncata. Ciliæ fuscæ, apice alarum albæ. Villositate detrita pleuræ testaceo-brunneæ. Corpus obscurum, villositate cana. — Synonyma Meig. & Macqv. dubia.

4. *Ps. nubila:* nigro-fusca, griseo-villosa; alis obscure brunneis, maculis pluribus sparsis albidis; pedibus obscure fuscis, femorum tibiarumque summo apice albomicante. (Long. saltem 1 vel $1\frac{1}{8}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 107. 9. Ejusd. 6. p. 272. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 8.

Hab. in Scandinavia meridionali passim; in Scania ad Esperöd mense Aug. mihi rarius obvia; in Jemtlandia etiam semel lecta; e Dania, ut ibi frequens incola, in pluribus exemplis sub eodem nomine a D. *Stæger* communicata.

Alarum pedumque pictura ab aliis facile dignota. Caput & corpus nigro-brunnea, griseo-villosa. Alæ apice rotundatæ, totæ obscure brunneæ, maculis variis albidis, quarum quædam duas fasciolas transversas formant, unam mox ante medium alæ e maculis 3 compositam, alteram paullo pone medium nonnihil arcuatam e maculis 4 conflatam. Ciliæ obscure brunneæ, sed in basi costæ & apice alæ albidæ. Halteres fusci. Pedes nigro-

brunnei, femorum tibiarumque apice puncto albo. Tarsi quoque angustissime albo-annulati.

5. *Ps. ocellaris:* nigra, cano-villosa; alis nigro-brunneis, fasciis subduabus albidis, antica distinctiori, puncto nigro notata, margine nigro-alboque punctato, ciliis obscure brunneis albo-intersectis; pedibus nigricantibus, articulatione anguste, tarsorumque articulis mediis totis, albidis. (Long. $\frac{3}{4}$—1 lin.).

Latr. Gen. 4. 251. Meig. Dipt. 1. 105. 4. Tab. 3. f. 14. 17. Macqv. Buff. 1. 165. 4.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, locis umbrosis humidis, mense Julio, per Scandinaviam meridionalem passim; scilicet in Scania ad Allerum prope Helsingburgum, & ad Esperöd in parœcia Mellby, atque aliis locis, non parce inveni; e Dania, ubi rarius obvia fuerit, sub eodem nomine etiam a D. *Stæger* obtinui.

Nigro-fusca, griseo-albo-villosa. Antennæ sordide albidæ, pilosæ, basi obscuræ, articulo 1:mo elongato, clavato. Alæ modice latæ, apice subrotundatæ, totæ obscure brunneo-villosæ, ante medium fascia modice lata, subarcuata, albida, medio puncto nigro inscripta, & pone medium alia plerumque parum conspicienda, ad utrumque marginem puncto subocellari terminata. Alarum dimidia pars apicalis margine omni (& antico & interiori) punctis 8 nigris cum 6 albis alternantibus ornatur. Ciliæ obscure brunneæ albo-intersectæ, in apice alæ albidæ. Pedes nigricantes, femorum tibiarumque summo apice, tarsorumque articulis 2 & 3 totis albis.

Var. b. paullo minor (long. circit. $\frac{3}{4}$ lin.), alarum punctis marginalibus 8 nigris cum 6 niveis alternantibus, ut & ciliis in apice alæ niveis; de cetero var. a. similis; in graminosis ad Lund Scaniæ 19 Maj. in paucis speciminibus deprehensa.

Obs. Sub nomine: "*Tipul. hirta* Linn. Fn. Sv.", ante plures annos mihi missa.

6. *Ps. calceata:* nigro-brunnea, obscure griseo-villosa; alis fuliginosis, apice albido-ciliatis, halteribus obscuris; pedibus nigricantibus, tarsorum articulis 4 ultimis albo-micantibus. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 272. 11. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 6.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis & borealis humidis minus frequens; in Scania tamen ad Esperöd in foliis fruticum juxta aqvam initio Jul. 1818 sat copiose inveni; in Norwegia ad Näs Værdaliæ 8 Jul. 1840 individua quædam deprehendi; e Dania in utroque sexu sub nomine: "*Psych. calceata* Meig." a D. *Stæger* quoque communicata. (Ad Hamburgum d. 8—26 Jul. 1838 a D. *Dahlbom* etiam lecta.)

♂♀. Corpus totum nigro-brunneum, sat dense & longe brunneo-villosum. Antennæ longiusculæ, pilosæ, griseæ, nodis modice remotis, rotundatis, obscuris. Alæ latæ, apice rotundatæ, totæ villositate obscure brunneæ, certo luminis situ basi & fascia pone medium griseo-micantes, alio situ in medio fascia interrupta nigra. Ciliæ obscure brunneæ, in apice alæ albidæ. Halteres obscuri, petiolo dilutiori. Pedes nigricantes, tarsorum articulis 4 ultimis albo-micantibus. Tibiæ sat longe brunneo-pilosæ.

Obs. Ut *Tipula hirta* Linn. in collectione Falleniana conservatur; sed vix vera. — Nomine *Psych. barbata* a beat. *Fries* olim designata.

7. *Ps. nervosa:* dilute brunnea, canescenti-villosa; alis griseis, tenuiter hirtis, immaculatis, halteribus albis. (Long. circiter ⅔ lin.).

Meig. Dipt. 1. 106. 6. Macqv. Buff. 1. 165. 7. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 4.

Hab. in Scandinavia meridionali passim; scilicet in silvis Scaniæ ad Esperöd mense Julio, & in latrinis ad

Abusa ineunte Octob. capta; e Dania sub nomine: "*Ps. nervosa* Meig." quoque a D. *Stæger* communicata.

Exsiccata. Corpus brunneum, canescenti-villosum. Antennæ capite thoraceque longiores, albidæ, pilosulæ, nodis modice remotis, rotundis, nigris. Alæ modice latæ, apice leniter subacutæ, totæ cinereæ, (in hoc genere) tenuiter griseo-hirtæ, (unde nervi magis conspicui) immaculatæ, ciliis concoloribus. Halteres albidi. Pedes testacei.

Obs. Sub nomine: "*Psych. nuda* n. sp." in collectionibus svecicis vidi.

8. *Ps. aurea:* brunnea, aureo-villosa; alis aureohirtis, fasciis 2 brunneis, halteribus fuscis; pedibus brunneis, femoribus flavidis. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Scandinavia meridonali rarius; scilicet in Scania ad Esperöd (in parœcia Mellby) mensib. Julio & Sept. 1818 aliquot specimina inveni; e Dania a D. *Stæger* etiam unicum exemplum hujus obtinui.

Per vestitum corporis alarumque flavo-aureo-nitentem a prioribus dignota. Corpus saturate brunneum, flavescenti-tomentosum. Antennæ longitudine corporis, distincte pilosæ, pallescentes, nodis modice remotis, oblongis. Alæ modice latæ, apice subrotundatæ, totæ cinereæ, aureo-villosæ, nitidæ, fasciis 2 brunnneis, opacis, una paullo ante, altera paullo pone medium locatis. Ciliæ aureo-nitentes. Halteres fusci, petiolo albido. Pedes brunnei, anticorum femoribus & tibiis, posteriorumque femoribus flavescentibus. Tibiæ posticæ pilosulæ.

9. *Ps. humeralis:* obscure fusca, thorace cinereotomentoso; alis cinereis griseo-hirtis, obscure ciliatis, costa obscura, basi alba; halteribus pedibusque obscure brunneis. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Meig. Dipt. I. 106. 7. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 5.

Hab. in Svecia meridionali hactenus rarissime ob-

servata; e Dania a D. *Stæger* specimen masculum communicatum. (*).

♂. Alarum costa obscura, basi alba, ab aliis mox dignoscitur. — Antennæ corpore fere longiores, albæ, nodis modice remotis, obscuris, unde antennæ nigro-annulatæ videntur; totæ dense, sed non longe pilosæ, pilis versus apicem antennæ directis. Thorax cinereo-tomentosus, humeris albidis. Abdomen obscure brunneum, pubescens. Alæ abdomine nonnihil longiores, modice latæ, leniter subacutæ, cinereæ, grisescenti-hirtæ, immaculatæ, ciliis obscurioribus, unicoloribus; costa obscure brunnea, basi circiter ad quartam totius costæ partem albida. Halteres (in meo exemplo abscissi) secundum *Meigen* nigro-brunnei. Pedes nigro-brunnei, tibiarum tarsorumque apice puncto albo.

10. *Ps. albipennis:* obscure fusca, thorace cano-villoso; alis cinereo-hyalinis tenuiter albo-hirtis, ciliis halteribusque albis; pedibus fuscescentibus. ♂♀. (Long. ♂ vix $\frac{1}{2}$ lin., ♀ $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali; in Töien prope Christianiam Norwegiæ d. 10 Maj. & iterum Julio a D. *Siebke* ♂ detectus, mecumque in tribus individuis communicatus; feminam in fenestra ad Skalstugan Jemtlandiæ 16 Jul. 1840 in 2 exemplis ipse inveni.

♂♀. Minuta. Corpus obscurum. Oculi nigri. Antennæ maris corpore fere longiores, hirtæ, albæ, nodis modice remotis, nigris; feminæ breviores, articulis minus distantibus. Thorax albido-villosus. Anus in ♂ appendiculis 4 breviusculis, filiformibus, hirtis, fuscis munitus; in ♀ simplex. Alæ in utroque sexu abdomine fere duplo longiores, latiusculæ, subacutæ, pallide cinereo-hyalinæ, tenuiter albo-hirtæ, nervis albis. Ciliæ totæ albæ. Halteres albidi. Pedes fusci, tarsis certo situ albo-micantibus.

*) In Austriæ silvis in truncis arborum mense Julio deprehenditur, teste *Rossi* l. c.

Appendicula
ad Tom. 1:mum.

Domin. Philos. Doctor & Reverend. Comminister *Petrus Frigelius*, e Smolandia mihi nuper communicavit specimina in utroque sexu *Clitellariæ Ephippium* Fabr., quæ anno proxime præterlapso ad Ålem detegit. De quo non minus egregio & exqvisito, quam inopinato invento, venia Detectoris, Entomologis eo libentius sine mora adnuntiare volui, quo certius scio, hoc eximium insectum e Familia Stratiomydarum, & genere & specie Faunæ Scandinaviæ esse novum.

Genus 7—8. CLITELLARIA Meig.

Corpus majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, breviter villosum, abdomine depresso, dilatato. Antennæ porrectæ, subulatæ, basi approximatæ, longitudine capitis, 3-articulatæ, articulis 2 basalibus subæque longis, horum 1:mo subcylindrico, & 2:do cyathiformi, pilosis, ultimo elongato, conico, 5-annulato, articulis coadunatis, stylo apicali biarticulato. Palpi basi proboscidis inserti, clavati, pilosuli, retracti. Oculi hirti. Ocelli 3. Thorax postice in nostra specie spina utrinque armatus. Scutellum in nostra specie bispinosum. Abdomen ovatum, 5-annulatum. Alæ incumbentes, modice latæ, nervis, exceptis costalibus, sat tenuibus. Area discoidalis ovata, 4 nervos in marginem interiorem emittens, versus apicem obsoletos. Nervus interior marginalis deest. Alula oblonga. Squamæ sub alis exiguæ, vix ullæ. Halteres nudi. Pedes breviusculi, robusti, mutici, subnudi, ungvibus tridentatis, pulvillis mediocribus. *Color* corporis niger, thoracis dorsi in nostra ferrugineus. *Larvæ* in ligno putrido degere putantur. *Differentia sexûs; mas:* oculis in fronte connexis; *femina:* oculis in fronte paullo remotis.

1. *Cl. Ephippium:* atra, thoracis dorso fulvo-ferrugineo, postice spina laterali nigra; alis nigricantibus, halteribus pallidis. ♂♀. (Long. ♂ 4½, ♀ saltem 5 lin.).

Meig. Dipt. 3. 122. 4. ♂♀. Tab. 25. f. 25. ♀. Wiegm. & Ruthe, Handb. der Zoolog. Berol. 1843. p. 473. *Stratiomys Ephippium* Fabr. Ent. Syst. 4. 264. 6. Antl. 79. 4. Geoffr. Ins. 2. 480. 3. Schæff. Icon. Tab. 47. f. 7. Panz. Fn. Germ. 8. Tab. 23. ♂. *Musca Inda* Schrank, Ins. Austr. p. 438. 891. *Ephippium thoracicum* Latr. Gen. 4. 276. Macqv. Buff. 1. 252. Tab. 6. f. 7. ♂ (male coloratus). Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 30. 1.

Hab. in silvis frondosis rarissime: in Smolandiæ parœcia Ålem prope Calmar 1849 a D. *Frigelius* inventa.

♂♀. Atra & breviter atro-villosa, nitens. Oculi hirti, in ♂ superne connexi. Frons in ♀ antice juxta oculos strigula albopilosa. Thoracis dorsum tomento brevi, nitente, in ♂ ferrugineo-flavo, in ♀ ferrugineo-fulvo vestitum; ad latera ante radicem alarum spina nigra adest. Scutellum margine apicali spinis 2 validis, conicis, suberectis, hirtis, nigris armatum. Abdomen postice brevissime & tenuiter cinereo-hirtulum, segmento ultimo in ♂ lenissime emarginato. Alæ abdomine fere longiores, nigricantes, ad costam saturatiores. Halteres albido-flavi. Pedes atri, nitentes, parum hirti, tarsis anticis subtus brevissime griseo-villosulis. Tibiæ postice leniter curvatæ.

Obs. Secundum *Macqvart* hæc species in truncis Qvercuum vetustarum deprehenditur.

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH.D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.; REGG. ORDINUM DE WASA ET DAN. DE DANNEBROG EQUITE; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS, SOCIETAT. HORTULANÆ GOTHOBURGENSIS, SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, NEC NON SOCIET. ENTOMOL. LONDINI BRITANNIÆ MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI ET SOCIET. HISTOR. NATUR. HARZIÆ CORRESPONDENTE.

TOMUS DECIMUS.

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,

SUMTIBUS REGIIS.

1851.

Celeberrimo Viro

ANDREÆ GUSTAVO DAHLBOM

amica et grata mente
dicatus.

Fam. 48. SCIARINÆ Zett.

230. SCIARA Meig.

Corpus parvum, sæpe minutum, oblongum, posterius angustius; glabriculum, molle. Caput rotundatum, sessile. Antennæ longitudine circiter capitis thoracisque simul sumtorum, subcylindricæ aut subfiliformes, porrectæ, arcuatim reflexæ, puberulæ, 16-articulatæ, articulis 2 primis crassioribus, nudis. Palpi exserti, incurvi, puberuli, articulis 3 distinctis, subæque longis. Oculi intus profunde emarginati, supra antennas paullo approximati. Ocelli 3, in fronte in triangulum dispositi, approximati; anticus minor. Proboscis breviuscula, crassa, labiis 2 magnis terminata. Thorax ovatus, convexus, sutura transversa nulla. Abdomen 7-annulatum, pubescens. Alæ majusculæ, incumbentes, nudæ (in *Sc. hirtipenni* et *testacea* n:o 20 et 21 tenuiter villosulæ). Nervi longitudinales subquinque (axillari abbreviato non computato), quorum medius furcatus, furcæ ramis subæqualibus; hinc 4 radii suo apice marginem interiorem attingunt. Halteres nudi. Pedes modice longi, simplices, breviter puberuli, inermes, tantum tibiarum apice intus sat distincte bicalcarato. Coxæ longiusculæ. Femora latere interiori leniter striata. *Color* niger, obscurus, (raro testaceus), abdomine interdum flavo. Alæ sæpe umbraticæ. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis, floribus, foliis fruticum et fungis. Larvæ cylindricæ, nitidæ, nudæ, plerumque sordide albidæ describuntur; quædam sub cortice arborum hybernant; aliæ in radice Aretii Lappæ degunt (cfr. *Sc. præcox* n:o 24). *Differentia sexus; mas:* abdomine cylindrico, ano obtuso, forcipe biarticulata terminato; *femina:* ano acuminato. Antennæ quoque in ♂ sæpe paullo distinctius pubescentes, quam i ♀. *Typus* generis: *Sc. Thomæ*.

Sect. 1. Alarum nervus auxiliaris usque ad basin furcæ nervi longitudinalis 3:tii extenditur, aut paullo ultra.

A. Halteres (saltem clava) nigricantes vel obscure brunnei (*Sc. rufiventris* halterum clava dilute brunnea sub n:o 14 quærenda).

1 *Thomæ* Linn. et Auctorum. (*Sc. Morio* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 2 *Morio* Fabr. (*Hirtea forcipata* Fabr.) ♂♀. 3 *ruficauda* Meig. var. a. b. ♂♀. 4 *carbonaria* Meig. ♂♀. 5 *humeralis* Zett. n. sp. ♀. 6 *bilineata* Stæg. ♀. 7 *nigripes* Meig.? ♂♀. 8 *flavimana* Zett. n. sp. ♂♀. 9 *scutellata* Stæg. ♂. 10 *pilosa* Stæg. ♂ (et ♀). 11 *trochanterata* Zett. n. sp. ♂♀. 12 *picipes* Zett. Ins. Lapp. ♀. — (*).

B. Halteres toti pallide flavi (in *Sc. rufiventri* n:o 14 clava halterum dilute brunnea).

a) alis nudis.

13 *bicolor* Meig. ♂♀. 14 *rufiventris* Macqv. ♀ (et ♂ ?). 15 *umbratica* Zett. n. sp. ♀. 16 *longiventris* Zett. n. sp. ♂♀. 17 *hyalipennis* Meig. ♀ (♂). 18 *sordida* Zett. ♀. 19 *sordidella* Zett. n. sp. ♀. — (**).

b) alis hirtulis.

20 *hirtipennis* Zett. ♂. 21 *testacea* Zett. ♂♀.

---

*) *Sc. vitripennis* Meig., huic Sectioni subjecta, an quoque Scandinaviæ incola?

**) *Sc. brunnipes* Meig., ad hanc subdivisionem referenda, in Ostrogothia habitare fertur.

Sect. 2. Alarum nervus auxiliaris vix vel non usque ad basin furcæ nervi longitudinalis 3:tii extenditur, sed plerumque plus minusve (interdum parum) infra basin hujus furcæ terminatur, in costam curvatus.

*) Halteres nigricantes l. obscure brunnei.

22 *distincta* Stæg. ♂♀. 23 *fucata* Meig.? ♀ (et ♂). 24 *præcox* Meig. (*Sc. fuscipes* Meig. ♀) ♂♀. var. a. b. c. — 25 *nitidicollis* Meig. var. a. b. ♂♀. 26 *variabilis* Zett. Ins. Lapp. (ex parte) ♂♀. 27 *coracina* Zett. n. sp. (an *Lestremiæ* species?) ♀. 28 *iridipennis* Zett. (*Sc. variabilis* Zett. Ins. Lapp. ex parte) ♂♀. 29 *pulicaria* Hoffmgg. Meig. ♂♀. 30 *Scatopsoides* Meig. ♀. 31 *silvatica* Meig.? ♂♀. 32 *nervosa* Meig.? ♂♀. 33 *quinquelineata* Macqv. ♀ (etiam ♂?). 34 *fenestrata* Meig. ♀. 35 *fuscipennis* Meig. ♂. 36 *strigata* Stæg. ♂. 37 *pectoralis* Stæg. ♂♀. 38 *brevicornis* Zett. n. sp. ♀ (an quoque ♂?). — (*)

**) Halteres flavi vel albidi.

a. corpore nigricante.

39 *Persicariæ* Linn. ♂♀. 40 *vittigera* Zett. n. sp. ♀. 41 *fenestralis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 42 *affinis* Zett. ♂♀. 43 *hirticornis* Meig.? ♂♀. 44 *aprilina* Meig. (non Zett. Ins. Lapp. eadem) ♂♀. 45 *vernalis* Zett. n. sp. ♂♀. 46 *nemoralis* Meig. ♂. 47 *pusilla* Meig. ♂♀. 48 *longipes* Meig. ♂♀. 49 *venosa* Stæg. ♂♀. 50 *modesta*

---

*) *Sc. minima* Meig. ut Norwegiæ incola mecum communicata, loco tamen incerto.

Slæg. ♂. 51 *nitidula* Zett. n. sp ♂♀. 52 *atomaria* Zett. n. sp. ♂.

b. thorace saltem pallescente.

53 *flavipes* Panz. ♂? ♀. 54 *lutea* Meig. 55 *testacea* Zett. n. sp. ♀. 56 *trivittata* Slæg. ♂. — (*)

Sciara.

Sect. 1. Alarum nervus auxiliaris usque ad basin furcæ nervi longitudinalis 3:tii extenditur, aut paullo ultra.

A. Halteres (saltem clava) nigricantes vel brunnei (*Sc. rufiventris* halterum clava dilute fusca sub n:ro 14 quærenda).

1. *Sc. Thomæ*: atra, opaca, thorace nitido; alis fuliginosis; pedibus nigris, femoribus anticis in ♂ testaceis, in ♀ sordide luteis; abdomine in ♀ vitta laterali crocea. ♂♀. (Long. ♂ circiter 2, ♀ fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Fabr. Antl. 56. 1. Meig. Dipt. 1. 278. 1? ♂♀. Macqv. Buff. 1. 147. 1? ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 282. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 468. 17. *Tipula Thomæ* Linn. Syst. Nat. 2. 976. 39. Fabr. Ent. Syst. 4. 250. 78. Panz. Fn. Germ. 59. 9. ♀. *Hirtea* eadem Fabr. Supplem. p. 552. 8. *Molobrus* idem Latr. Gen. 4. 263. *Sc. Morio* Zett. Ins. Lapp. 825. 1. ♂♀.

---

*) *Sc. leucophæa* Meig., etiam ad nostram Faunam numeranda, sub genere *Lestremia* (232) quærenda.

Hab. in Scandinaviæ graminosis et fruticibus, per hortos, prata et pascua, æstate, vulgaris, in copula etiam sæpe deprehensa; scilicet in Scania ubique freqvens; in Ostrogothia ad Lärketorp et Wadstena minime parce; in Uplandia Upsaliæ, *Linnê*, *Fabricius;* in Helsingia ad Ytter-Hogdal; in Norwegia circa Christianiam et in Ringerike non raro, D. D. *Siebke* et *Moë;* in Dania, D. *Stæger*. (E Finlandia etiam missa).

♂♀ Tota atra, glabricula. Antennæ in mare longitudine dimidii corporis, pubescentes; in femina tantum capite thoraceque nonnihil longiores, parum puberulæ; in utroque sexu nigræ, articulis oblongis, approximatis. Thorax nitidus. Abdomen subopacum, nigro-pubescens, in ♂ immaculatum (vel in viva vestigio punctorum fulvorum in lateribus); in ♀ viva vitta laterali crocea, medio præsertim distincta, versus apicem acuminatum evanescente; etiam hæc vitta cum vita sæpe obsolescit l. interdum omnino perit; incisuræ in ♀ tenuissime flavæ. Alæ nudæ, in ♂ fumato-hyalinæ, in ♀ paullo obscuriores, brunneæ, in utroque sexu certo situ irisantes, nervo auxiliari paullulum tantum ultra basin furcæ nervi longit. 3:tii extenso. Halteres nigri, petiolo sæpe fusco. Pedes nigri, femoribus anticis in ♂ testaceis, in ♀ sordide luteis.

Var. b. ♂♀. similis var. a., sed pedibus omnibus et totis luteis l. piceis. — Mas hujus mari *Sciar. Morionis* Meig. Dipt. 1. 278. 2. et *Sciaræ carbonariæ* Meig. Dipt. 6. 306. 31. valde accedere videtur.

Obs. 1. Synonyma Linnæi, Fabricii et Panzeri mihi certa videntur; longitudo vero "4 linear.", quam *Meigen* et *Macqvart* pro sua specie *Sc. Thomæ* l. c. affert, dubiolum quoddam de identitate excitat. — Iconem Schæfferi a *Fabricio* et *Panzero* citatam non vidi.

Obs. 2. De *Sciaræ Thomæ* larvarum migratione processionea vide: Rev. Zool. 1846, p. 14. Annal. Ent. II. Ser. IV, p. VIII.; atque *Boheman*, Zoolog. Årsberättelse 1845 och 1846. p. 21

— 23. — Larvæ congregatæ a rusticis svecicis *Härmask* vocantur.

2. *Sc. Morio*: atra; alis fuliginosis; femoribus tibiisque in ♂ brunneo-flavis, in ♀ piceis. ♂♀. (Long. 2. lin)

Fabr. Antl. 57. 2: "atra, alis nigricantibus". Meig. Dipt. 1. 278. 2. ♂♀. — et 6. p. 306. Macqv. Buff. 1. 147. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 282. 2. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 2. *Rhagio morio* Fabr. Ent. Syst. 4. 275. 18. ♀. — *Tipula forcipata* Fabr. Ent. Syst. 4. 250. 81. ♂: "abdomine cylindrico atro, alis fusco-hyalinis, ano appendiculis duobus clavatis." *Hirtea* eadem Fabr. Antl. 55. 16.

Hab. in Dania, teste D. *Stæger*; mihi non rite cognita, cum neque præcedentis, neque seqventis speciei varietates huc justo referre possum.

♂♀. Secundum *Meigen* antennæ in ♂ thorace duplo, in ♀ hoc paullo tantum longiores fuerint.

3. *Sc. ruficauda*: nigricans, subnitida; alis cinereo-hyalinis, nervis ad costam brunneis; pedibus flavo-testaceis, tarsis halterumque clava brunneis; ano in ♂ ferruginante. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ saltem $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ano maris ferrugineo.

Meig. Dipt. 1. 280. 7. ♂. — et 6. p. 306. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 282. 3. ♂.

Var. b. ano maris nigro l. piceo-nigro (in exsiccatis).

Hab. in Scandinaviæ meridionalis graminosis et fruticibus, Jul. Aug., passim; in copula etiam ter deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd (in pa-

roecia Mellby) in litore maris, etc.; in Dania, D. *Stæger*, qui specimen masculum mecum quoque communicavit.

♂♀. Nigra, nitens, glabricula. Antennæ in ♂ longitudine saltem dimidii corporis, puberulæ; in ♀ capite thoraceque parum longiores, subnudæ; in utroque sexu totæ plerumque nigræ, in exemplis quibusdam masculis basi subtus leniter flavo-maculatæ. Palpi nigri. Abdomen nitidum; in ♂ cylindricum, ano majusculo, nitido, ferrugineo l. nigro-piceo, forcipe distincta, apice nigra; in ♀ lanceolatum, acuminatum, nigrum aut piceum, incisuris sæpissime tenuiter pallidis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis brunneis, costalibus distinctioribus, reliquis tenuibus, petiolo furcæ obsoleto. Halteres obscure brunnei, petiolo albido. Pedes cum coxis flavo-testacei l. flavido-ferruginei, tarsis obscure brunneis, metatarsis flavido-testaceis. — ♂ variat rarius duplo minor.

Obs. Non dubito hanc cum specie Meigeniana identicam esse, licet antennæ in nostra etiam basi plerumque nigræ l. obscuræ sint, nec basi distincte flavidæ. Sub nomine: "*Sciara fucata* Meig.", femina in collectione Friesiana asservatur.

4. S. *carbonaria:* atra, thorace nitido; antennis longitudine thoracis, nigricantibus; alis fumatis; pedibus piceis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 306. 31. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 282. 4. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, æstate, passim, in Svecia mihi rarius obvia; in Norvegia ad Christianiam mense Julio 1844 in utroque sexu a D. *Dahlbom* deprehensa; in Dania, D. *Stæger*.

♂♀. Tota atra. Antennæ in utroque sexu capite thoraceque parum longiores, filiformes, nigræ, extrorsum sæpe piceæ l. brunnescentes. Palpi nigri. Thorax nitidus. Abdomen nigrum, opacum. Alæ fumato-hyalinæ, nervis præsertim ad

costam obscuris. Halteres obscure brunnei l. nigricantes, petiolo sordide albido. Pedes omnes et toti picei vel obscure brunnei.

5. *Sc. humeralis:* nigra, thorace subnitido, macula humerali flavescente; antennis (in ♀) thorace fere nonnihil longioribus, fuscis; alis leniter fuscanis, nervis costalibus distinctis; pedibus obscure fuscis, anticorum coxis et femoribus flavescentibus. ♀. (Long. 1¼ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarius: in Lapponia Lulensi a D. *Andersson* 1843 capta mecumque in unico exemplo communicata; in Ringerige Norwegiæ d. 4 Aug. 1845 a D. *Siebke* etiam semel inventa, mihique missa.

♀. Pictura in thoracis humeris speciem designat. Nigra. Antennæ longitudine capitis thoracisque, l. illis paullulum tantum longiores, tenuiusculæ, subnudæ, fuscæ. Palpi nigri. Thorax dorso subnitens, antice utrinque macula humerali transversa flava, in medio colli (ante verticem) breviter interrupta. Abdomen lanceolatum, opacum, nigrum l. brunneo nigrum, ano acuto, bistylato. Alæ cinereo-hyalinæ, leniter fuscæ. Nervi fusci, costales paullo distinctiores, reliqui tenuiores, petiolo albido. Pedes fusci, tarsis obscurioribus. Coxæ et femora antica sordide flava.

Var. b. ♀. similis var. a., sed differt: thorace parum nitido, obscure ferruginante, antennarum articulis 2 primis, macula utrinque humerali majuscula, et coxis femoribusque omnibus, flavis, trochanteribus fuscis; specimen juvenile hujus videtur, in Helsingia ad diversorium Kălböle (nec Kårböle) in paroecia Färila 19 Aug. 1840 inventum a D. *Dahlbom*.

6. *Sc. bilineata:* nigra, nitida; thorace griseo-pruinoso, lineis 2 approximatis nigris; antennis longitu-

dine dimidii corporis; alis cinerascentibus, nervis distinctis; pedibus pallidis. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 282. 5. ♀.

Hab. in Dania; sed neque locus natalis, neque tempus vigendi pro specie sunt indicata.

♀. Species, quam non vidi, hoc modo ab Inventore est descripta: "thorax e supero inspectus griseo-pollinosus, lineis duabus dorsalibus approximatis. Pedes sordide dilute flavi: coxarum articulo 2:do tarsisque nigris. Alæ nonnihil grisescentes; nervi omnes distincti, dilute brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis." *Stæg.* l. c.

7. *Sc. nigripes:* atra, opaca, antennis longitudine corporis (in ♂), aut thoracis (in ♀), halteribus pedibusque concoloribus; alis subfumato-hyalinis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 307. 32?

Hab. in Scandinavia minus frequens, a d. 15 Jun. ad 16 Jul. mihi obvia; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby in utroque sexu 1847 parce lecta; in Gestricia rarius; in Jemtlandia ad diversorium Forsa prope Mulfjellet, et ad diversorium Skalstugan, 1840 inventa; in Norwegia ad Oestre-Näs Værdaliæ semel.

♂: aterrimus, opacus. Antennæ longitudine fere corporis, validiusculæ, puberulæ, nigræ, versus apicem nonnihil tenuiores. Palpi nigri. Abdomen subdepressum, nigro-puberulum. Anus mediocris. Forceps e latere visa distincta, atra. Alæ subhyalinæ, leniter fumatæ, nervis ad costam distinctis, nigris, reliqvis tenuioribus, obscuris. Apex nervi auxiliaris seu 1:mi longitudinalis basi furcæ præcise oppositus. Halteres atri, petiolo basi fusco. Variat antennarum apice pedibusque piceis l. obscure brunneis.

♀: nigra, opaca. Antennæ longitudine capitis thoracisque, filiformes, subnudæ. Palpi nigri. Abdomen lanceolatum, nudiusculum, acuminatum, ano bifido. Alæ sordide cinereo-hyalinæ, lenissime tantum fuscanæ. Cetera omnia ut in ♂. — Variat pedibus nigro-piceis.

8. *Sc. flavimana:* atra, nitida; antennis longitudine corporis (♂), aut thoracis (♀), obscure fuscis; alis cinereo-hyalinis; halteribus nigris; pedibus obscure brunneis, femoribus tibiisque anticis sordide flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in Svecia media valde rara, tria tantum specimina lustravi: unum scilicet masculum in prato ad prædium Tubbetorp Westrogothiæ 27 Jul. 1849 a Dom. *Dahlbom* inventum; et utrumque sexum in graminosis horti Nähr Gottlandiæ 10 Jul. 1841 a me deprehensum.

♂♀. Similis priori, sed corpore nitido, nec opaco, maris forcipe anali majori, et denique pedibus anticis ex maxima parte in utroque sexu flavis, certe distincta; nec cohabitant. Caput, thorax et abdomen atra, nitida Antennæ in ♂ longitudine fere corporis, modice et paullo minus validæ, quam in priori, totæ puberulæ, obscure fuscæ; in ♀ longitudine vix thoracis, tenuiores, subnudæ, fuscæ. Palpi in utroque sexu nigri. Abdomen in ♂ depresso-subcylindricum, nigro-pubescens, ani forcipe magna, crassa, atra, nitida; in ♀ lanceolatum, acuminatum, puberulum, ano bistylato. Alæ in utroque sexu cinereo- hyalinæ (in viva purius hyalinæ), nervis fuscis, costalibus paullo distinctioribus, reliquis tenuioribus, furcæ petiolo tenuissimo, obsoleto. Halteres nigri, petiolo sordide albido. Pedes nigricantes l. obscure brunnei, anticorum femoribus tarsisque luteis l. sordide testaceis. Coxæ anticæ etiam fusco-lutescentes.

9. *Sc. scutellata:* nigra, nitida; scutello testaceo;

antennis maris longitudine corporis; alis infuscatis; pedibus melleis, tarsis obscuris. ♂. (Long. 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 283. 6. ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, qui tamen locum specialiorem, tempus florendi et insecti frequentiam non attulit. — Species mihi ignota.

♂. "Nitida nigra, etiam cauda; scutellum tantum brunneo-flavum. Pedes mellei, tarsis obscuris. Halterum basis flava. Alæ dilute nigricantes, nervis distinctis, tantum petiolo nervi furcati minus perspicuo." *Stæg.* l. c.

10. *Sc. pilosa:* nigra, nitida, pilosa; antennis (maris) corpore brevioribus; alis infuscatis; pedibus melleis, tarsis obscuris. ♂ (♀). (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Stæger Dipt. Dan. 1840. p. 283. 7. ♂.

Hab. in Dania, forte rarissime, mihi in Scandinavia non obvia, nec a me visa.

♂. "Nitida, nigra. Thorax paullo longe pilosus. Abdomen pilis brevibus, densis, nigris vestitum. Cauda nigra. Pedes mellei, tarsis obscuris. Halteres basi flavi. Alæ brunnescentes, nervis brunneis, ad marginem costalem crassis; duobus ultimis longitudinalibus brunneo-tinctis. Petiolus nervi furcati tenuis. Antennæ longitudine dimidii-corporis." *Stæg.* l. c.

"Individuum unicum alis paullo pallidioribus, nervis tenuioribus, et ramulo posteriori nervi furcati ante apicem alæ abbreviato præditum; — forte propria species?" Stæg.

♀. Duo individua feminea mari descripto similia, sed antennis longitudine thoracis et ano acuto diversa, unum in Rugia ad Putbus, et alterum in pinetis ad Neuenkirchen prope Gryphiam, 31 Maj. et 10 Sept. a D. *Dahlbom* inventa, ad hanc speciem referri posse videntur.

11. *Sc. trochanterata:* nigricans, parum nitida;

antennis longitudine dimidii corporis (in ♂), aut thoracis (in ♀); alis cinereo-hyalinis; pedibus testaceo-flavis, trochanteribus tarsisque obscure brunneis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{3}{4}$, ♀ 1 lin.).

Hab. in Scandinavia minus frequens; scilicet in Scania ad Lund (in fenestra cubiculi) ♀ 5 Octob. semel; in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan etiam ♀ 12 Jul. 1840 inventa; inter Kongsstuen et Höjfjeldbroe in jugo alpino Norwegiæ 16 Jul. ejusdem anni unicum marem deprehendit D. *Dahlbom*; in Töien prope Christianiam 20 Jun. 1849 individuum masculum quoque legit mecumque communicavit D. *Siebke.*

♂♀. Stægeri *Sciar. bilineatæ* (n:r 6) affinis et similis videtur, sed in thorace non pollinoso nullas lineas nigras detegere possum. Corpus quoque in nostra *trochanterata* subopacum, saltem non perspicue nitidum. — Gracilis, nigricans l. brunnescenti-nigra. Antennæ filiformes, tenues, nudiusculæ; in ♂ longitudine circiter dimidii corporis; in ♀ capite thoraceque parum longiores. Palpi nigri. Abdomen in ♂ angustum, sub-cylindricum, tenuiter griseo-puberulum, ano parvo, forcipe non magna, sed proportione potius minuscula; in ♀ lanceolatum, parum puberulum, longe acuminatum, ano bifido. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis præsertim basi pallide brunneis (in exsiccata). Nervi ad costam paullo distinctiores; petiolus nervi fuscati tenuis. Halterum clava brunnea, petiolo pallido. Pedes flavi, coxis posterioribus ima basi, et trochanteribus tarsisque omnibus brunneis. Metatarsi interdum paullo dilutiores.

12. *Sc. picipes:* nigra, parum nitida; thorace pilosulo; antennis (in ♀) breviusculis; abdomine piceo; alis fuliginosis, halteribus pallidis, clava dilute fusca;

pedibus brunneis, femoribus anticis lutescentibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 826. 2. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali, minus frequens; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Lund prope radicem alpis Åreskutan 24 Jun. 1840 quinque specimina inveni, quorum tria sub lapidibus; in Norrlandia ad Hernösand 30 Aug. 1821 rarissime inventa.

♀. Caput nigrum. Antennæ capite thoraceque fere breviores, saltem illis non longiores, filiformes, nigræ. Stethidium nigrum, vix nitidum, thoracis dorso breviter pilosulo. Abdomen lanceolatum, subnitens, leniter puberulum, acuminatum, nigropiceum, incisuris plerumque tenuissime pallidis. Anus bifidus. Alæ in viva fuliginosæ (in exsiccata dilutiores), nervis costalibus distinctis, obscuris, reliqvis tenuioribus. Halteres pallidi, clava in viva plus l. minus dilute brunnea, post mortem sordide flavida. Pedes obscure brunnei, fenoribus anticis lividis; tibiarum calcaribus pallidis.

Obs. Sc. vitripennis: nigra, glabricula, thorace nitido; antennis longitudine thoracis, obscuris; abdomine nigro-brunneo, opaco; alis cinereo-hyalinis, nervis brunneis, costalibus distinctioribus, petiolo furcæ obsoleto; halteribus brunneis, stipite albido; pedibus brunneis, tarsis obscuris. ♀. (Long. circiter 1 lin.). Meig. Dipt. 1. 281. 9. Ad Gryphiam et Neuenkirchen 15—20 Maj. a D. *Dahlbom* capta. Forsan etiam Scandinaviæ meridionali inhabitat, sed hactenus apud nos non inventa, quantum noverim.

B. Halteres toti pallide flavi (in *Sc. rufiventri* n:o 14 (*) clava halterum dilute brunnea.).

---

*) propter magnam affinitatem et similitudinem hujus speciei cum *Sc. bicolori* illam ad hanc subdivisionem retuli.

a) alis nudis.

13. *Sc. bicolor:* nigra, thorace subnitido; abdomine rufo-flavo; antennis longitudine dimidii corporis (♂), aut longitudine thoracis (♀); alis cineris (♂), aut fuliginosis (♀); halteribus pallide flavis; pedibus flavis (♂), aut testaceis (♀), tarsis brunneis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 284. 19. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 283. 8. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 9. Bohem., Öfversigt af Kongl. Vetenskaps-Akademiens Förhandlingar 1844. n:o 5. p. 102.

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali et media, Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Lindholmen locis umbrosis sylvaticis uterque sexus frequens, et ad Esperöd in litore maris; in Ostrogothia ad Lärketorp ♀ rarius; in insula Furillen Gottlandiæ 1841, ♀ parce; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, Jul. 1843, D. *Boheman*; in Norwegia ad Alstabaug et Levanger Julio 1840 ♂ rarissime; in Dania, D. *Stæger*. (Etiam e Finlandia ♀ a Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Magnitudo fere *Sc. Thomæ.* Abdominis halterumque colore ab aliis dignota. *Mas:* niger, glabriculus. Antennæ longitudine dimidii corporis, filiformes, modice angustæ, extrorsum graciliores, totæ nigræ, brevissime subpuberulæ. Palpi flavi. Thorax subnitens. Abdomen subcylindricum (in exsiccato subdepressum), tenuiter puberulum, rufo-flavum, fascia mox ante anum sæpe fusca. Cauda, cum forcipe modice magna, flava. Alæ cinereo-hyalinæ, parum fuscanæ. Nervi costales distincti, fusci, reliqui tenuiores, petiolo furcati valde tenui; auxiliaris (1:mus longitudinalis) mox pone basin furcæ in costa excurrit. Halteres toti pallide flavi. Pe-

des cum coxis pallide flavi, tarsis brunneis. (*). — Variat, forte junior, pleuris piceis et thoracis macula humerali pallida.

Femina, similis mari descripto, sed sequentibus differt: Antennæ capite thoraceque paullo tantum longiores, præsertim extrorsum fuscæ. Palpi nigri, interdum testacei. Thorax dorso pilis brevissimis sublineatus, quorum etiam vestigium in ♂ observatur. Abdomen lanceolatum, rufo-flavum, fere fulvum, incisuris interdum tenuiter pallidioribus; parum puberulum. Anus acuminatus, rufo-flavus, oviductu interdum leniter fuscano. Alæ fuliginosæ, in diu exsiccatis subflavidæ. Halteres flavi. Pedes testacei, vel fusco-testacei, femoribus anticis dilutioribus, tarsis omnibus obscure brunneis. — Reliqua ut in mare.

14. *Sc. rufiventris:* nigra, thorace subnitido; abdomine in femina rufo-flavo, segmento 1:mo ex parte anoque nigricantibus; antennis (feminæ) thorace paullo longioribus; alis fuliginosis; halteribus flavis, clava brunnea; pedibus obscuris, femoribus anticis fusco-testaceis. ♀. (♂). (Long. $1\frac{3}{4}$, oviductu non computato).

Macqv. Buff. I. 148. 3. ♂♀ (in. subdivisione halteribus brunneis).

Hab. in Scandinavia mensib. Julio et Aug., passim; mihi in provinciis mediis et borealibus præsertim obvia; scilicet femina in Scania semel, D. *Möller*; in Ostro-

*) Beat. *Meigen*, comitante *Wiedemann*, 1823 Lundæ commoratus atque collectiones entomologicas Fallenianam et meam introspiciens, declarabat etiam se ea esse mente, ut omnia illa specimina *mascula*, quæ tunc temporis in museis nostris existerent ad *Sciar. bicolorem* relata, certe pertinerent ad speciem, quam sub eodem nomine descripsit in parte 1:ma sui operis, ubi vero tantum *femina* introducta fuisset, mare ignoto.

gothia ad Lärketorp et Wadstena, parce; in Westrogothia ad Stenum parce, D. *Dahlbom* (1849); in Bottnia septentrionali (Lapponia Lulensi?), D. *Andersson*, 1843; in Jemtlandia boreali ad Mulfjellet et Skalstugan Jul. 1840 sat frequenter inveni; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger 2 specimina legit D. *Dahlbom;* in Dania quoque hospitari videtur, sed forte cum *Sc. bicolori* commixto.

♀ Simillima feminæ *Sc. bicoloris*, a qua vero abdominis basi et apice nigricantibus, halterum clava brunnea, et pedibus saltem posterioribus obscurioribus, dignoscitur, et vix ejus varietas, licet transitus non desint. — Caput cum antennis ut in priori. Palpi nigri. Thorax etiam ut in illa. Abdomen lanceolatum, rufo-flavum l. fulvum, parum puberulum, segmentis 1:mo supra aut toto aut saltem basi brunneo, et ultimo, una cum oviductu exserto articulato apice bifido, plus minusve obscuro. Incisuræ etiam interdum brunnescunt. Alæ ut in femina præcedentis. Halterum petiolus pallidus, clava brunnea. Pedes jam brunnei, jam nigro-brunnei, anticorum coxis femoribusque paullo dilutioribus, tarsis omnibus obscuris, tibiarum calcaribus pallidis.

♂, feminæ descriptæ similis, sed paullo minor, vix $1\frac{1}{2}$ lin. longus, pedibus paullo dilutioribus, abdomine etiam apice rufo, in unico individuo in societate cum ♀ ad Skalstugan Jemtlandiæ captus, verisimiliter huc pertinet.

Obs. Sub indicio: "*Sciar. fulviventris* n. sp.", femina e Svecia superiori mecum communicata fuit; sed nomen ineptum, utpote jam pro specie americana usitatum. Wiedem. aussereurop. zweiflug. Insect. 1, p. 67. 1.

15. *Sc. umbratica:* nigra, opaca; antennis feminæ thorace paullo longioribus, alis subfuliginosis; halteribus pallescentibus; pedibus brunneis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime, ad Skurup semel capta.

♀. Nigra, opaca. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, vix vero longitudine dimidii corporis. Palpi nigri. Thorax dorso nigricans, vestigio linearum nigrarum; omnium tenuisime subpuberulus. Abdomen lanceolatum, acuminatum, glabriculum, subnitens. Alæ subfuscanæ, nervis costalibus distinctis, reliquis tenuioribus, petiolo furcæ obsoleto. Halteres toti pallescentes. Pedes obscure brunnei.

16. *Sc. longiventris:* nigra, nitida, pilosula; antennis in mare dimidio corporis paullo longioribus, extrorsum fuscis, in femina thorace nonnihil longioribus; abdomine in utroque sexu elongato, in ♀ postice fusco; alis cinereis; halteribus flavo-albis; pedibus pallide flavis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia præsertim boreali mense Julio et initio Augusti, passim; scilicet in Gottlandia ad Fardhem 27 Jun. 1850 ♂ semel, D. *Dahlbom*; in Jemtlandia ad diversorium Forsa et alpem Mulfjellet versus finem Julii 1840 in utroque sexu frequenter observata; in Norwegia ad Christianiam a D. D. *Siebke* et *Moë* capta, ad Thynäs et Östre-Näs a D. *Dahlbom* deprehensa, atque in ipso jugo alpino ad Kong Carl Johans Klev, et ad Suulstuen Værdaliæ a me in copula inventa.

♂♀. Antennæ longiusculæ, abdomen elongatum (versus apicem in ♀ fuscum), alæ cinerascentes, halteres albidi, et denique pedes pallide flavi, sunt notæ, quæ simul sumtæ speciem designant. Nigra, nitida. Antennæ in ♂ ad $\frac{4}{7}$ totius corporis extensæ, filiformes, puberulæ, basi nigræ, extrorsum fuscescentes; in ♀ longitudine vix dimidii corporis, nonnihil graciliores, nudiusculæ, subfuscæ, basi nigræ. Thorax ater, tenuiter pilosulus. Abdomen in ♂ thorace fere triplo longius, cylindricum, angustum, tenuiter obscure puberulum, ni-

grum, forcipe anali breviuscula, crassiuscula, concolore; in ♀ etiam, oviductu excepto, thorace triplo longius, lanceolatum, acutum, glabriculum, nigrum, postice plerumque fuscum l. sordide testaceum, oviductu articulato sæpissime sat longe exserto, nigro aut fuscescente. Alæ in utroque sexu similes, in exsiccatis cinereo-hyalinæ, parum fuscanæ, nervis ad costam paullo distinctioribus, reliquis tenuioribus, petiolo furcæ obsoleto. Halteres toti albidi l. pallidissime flavi. Pedes subgraciles, cum coxis longiusculis pallide flavi, trochanteribus sæpe brunneo-maculatis, tarsis semper brunnescentibus. — Valde similis *Sc. hirtipenni* n:o 20, sed alis nudis distincta.

Obs. Sub nomine *Sc. pallipes* Meig. specimen femineum ad Wadstena Ostrogothiæ captum diu in collectione mea asservatum fuit, quod tamen potius *S. longiventris* videtur.

17. *Sc. hyalipennis:* nigro-fusca, subopaca; thorace obscure cinereo, nigro-lineato; antennis longitudine circiter dimidii corporis, fuscis; alis subhyalinis, nervis brunnescentibus, halteribus flavis; pedibus melleis, tarsis brunneis. ♀ (♂). (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 285. 21. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 148. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 283. 9. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 10.

Hab. in Scandinavia passim, mihi tantum ♀ obvia; ex. gr. in Scania; in Ostrogothia ad Wadstena 12 Sept.; in Töien prope Christianiam 6 Sept., D. *Siebke*; in Dania, D. *Stæger*, qui tamen neque sexum, neque locum, neque tempus florendi, neque frequentiam, pro insecto invento indicavit. (*).

---

*) In Germania et Gallia hæc species vulgaris videtur, et D. *Rossi* l. c. dicit, illam ubique in hortis et agris Austriæ, Martio, Aprili et iterum æstate inveniri.

♀. Obscura. Caput nigrum. Antennæ capite thoraceque tantum paullo longiores, fuscæ. Palpi obscure brunnei. Thorax obscure cinerascens, dorso lineis 4 nigris, nitidis; mediis approximatis. Abdomen nigro-brunneum, ventre dilutiori. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis (in exsiccata) pallide brunneis, costalibus paullo distinctioribus, reliqvis tenuibus. Halteres flavi. Pedes pallide mellei, coxis flavis, tarsis brunneis.

♂, ab Auctoribus etiam allatus, antennis longitudine dimidii corporis gaudet.

18. *Sc. sordida:* nigricans, opaca; antennis thorace nonnihil longioribus, nigris; alis cinereo-hyalinis, nervis brunnescentibus, halteribus testaceis; pedibus obscure lividis, tarsis brunneis. ♀. (Long. circiter 1 lin. absque oviductu).

Zett. Ins. Lapp. 826. 3. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, a beat. *Deutsch* olim (1821) communicata.

♀. Similis valde priori, sed antennis, halteribus pedibusque nonnihil obscurioribus differre videtur. Locus natalis quoque ambabus diversus. Caput nigrum. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, tenues, nigræ, omnium tenuissime puberulæ. Palpi nigri. Thorax nigricans, dorso brevissime griseo-puberulus, vestigio linearum nigrarum. Abdomen (in specimine diu exsiccato) lanceolatum, acutum, nigro-piceum, oviductu modice exserto, apice stylis 2 brevibus rufis munito. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis dilute brunneis, costalibus distinctioribus, reliqvis tenuibus, petiolo furcæ subobsoleto. Halteres hodie mutilati, secundum mea annotata fusco-testacei. Pedes cum coxis obscure picei, calcaribus tibiarum pallidis. Femora antica et coxæ anticæ livida l. sordide testacea.

19. *Sc. sordidella:* nigra, thorace nitido; abdomine (in ♀) fusco; antennis feminæ longitudine thoracis, gracilibus, fuscis; alis hyalinis, nervis tenuibus,

pallide brunneis, furcati petiolo obsoletissimo; halteribus flavo-albis; pedibus flavis, trochanteribus puncto obscuro, tarsis brunnescentibus. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin., demto oviductu).

Hab. in Scandinavia valde rara, tria tantum exempla lustravi, unum ad Lund Scaniæ inventum, alterum etiam in Scania ad prædium Björnstorp d. 24 Sept. a D. *Dahlbom* lectum, et tertium (descriptioni typicum) in Norwegia boreali ad diversorium Thynäs prope Levanger d. 4 Julii 1840 a me deprehensum.

♀. A *Sciar. sericata* et *glabra* Meig. Dipt. 6. 307. n:o 34 et 35, quibus accedere videtur, alis hyalinis, nec infuscatis, et magnitudine saltem duplo minore, certe diversa. Caput nigrum. Antennæ breviusculæ, longitudine tantum thoracis, valde tenues, nigricantes l. obscure fuscæ (in speciminibus Scanicis mutilatæ). Thorax niger, nitidus. Abdomen anguste lanceolatum, acutum, fuscum, basi obscurius, ventre toto flavido. Oviductus exsertus, fuscus. Alæ (in exsiccatis) cinereo-hyalinæ, nervis tenuibus, dilute brunneis, costalibus nonnihil distinctioribus, petiolo nervi furcati valde obsoleto. Halteres pallidissime flavi. Pedes flavi, tarsis brunneis. Trochanteres in specimine Norvegico puncto brunneo notati, in Scanensibus fere toti brunnei.

Obs. Sciar. brunnipes: capite nigricante, thorace cinereo (♂), aut griseo-brunneo (♀), lineis dorsalibus 4 obscuris, harum 2 mediis postice abbreviatis; antennis longitudine dimidii corporis, testaceis; alis cinerascentibus, brunneo-nervosis, halteribus pallide flavis; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. circiter 1$\frac{1}{4}$ lin.). Meig. Dipt. 1. 286. 25. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 148. 5. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 6. 11., in Ostrogothia etiam habitare fertur, mihi non obvia.

b) alis hirtulis. (*Sc. testacea* directione nervorum paullo anomala).

20. *Sc. hirtipennis:* nigra, subnitens, pilosa, thorace atro-sublineato; antennis (maris) longitudine fere corporis, fuscis, pubescentibus; alis hyalinis, hirtulis, nervis brunneis; halteribus pedibusque flavis, trochanteribus tarsisque brunneis. ♂. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 826. 5. ♂.

Hab. in Scandinavia rarissime; duo tantum lustravi specimina, unum nempe typicum, in Nordlandia Norwegica ad diversorium Björkvik juxta Ofodenfjord d. 23 Jul. 1821 detectum, alterum in Svecia meridionali, Scania, inventum.

♂. Per alas hirsutulas, corpus nigrum, pedes flavos et antennas elongatas, ab aliis dignota. Caput nigrum. Antennæ longitudine fere corporis, eo saltem dimidio distincte longiores, validiusculæ, cylindricæ, extrorsum paullo tenuiores; totæ breviter, at distincte griseo-pubescentes, fuscæ. Palpi nigri. Thorax nigricans, dorso nigro-pilosulus, lineis 4 atris, minus evidentibus. Abdomen subcylindricum, subopacum, nigrum, breviter nigro-pubescens, forcipe anali mediocri, nigra. Alæ in exsiccata hyalinæ l. cinereo-hyalinæ, nervis dilute brunneis, ad costam distinctioribus, petiolo furcati tenui; tota superficie tenuiter, sed conspicue hirtulæ, hirsutie depressa. Margo interior basi breviter ciliatus. Halteres toti flavi. Pedes flavi, brevissime subpuberuli, trochanteribus saturate, tarsis dilutius, brunneis. Coxæ sublongiusculæ, anticæ pallide pilosulæ, ima basi obscuræ.

21. *Sc. testacea:* flavo-testacea, subnitens, glabricula; antennis longitudine circiter thoracis, fuscis, basi flavis; thoracis vittis 3 subconfluentibus pallide castaneis; alis subhyalinis, tenuissime villosulis, nervis 2—5 longitudinalibus per nervulum transversum ante medium

alæ connexis; halteribus pedibusque pallide flavis, tarsis testaceis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{3}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 826. 5. ♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali rarissime: *mas* in Norwegia ad Töien prope Christianiam 31 Aug. 1839 a D. *Siebke* captus mihique in unico exemplo communicatus; *femina* in Bottnia boreali ad villam Johannis Ro (in vicinitate Torneå) d. 2 Sept. 1821 a me detecta.

Mas: alis fumosis; *femina:* alis subhyalinis.

♂♀. Species singularis a celeris *Sciaris* insigniter discrepat, et sine dubio *novum genus* constituit; sed ex unico tantum individuo masculo, unicoque femineo, in quibus exsiccatis et vetustis rationem ocellorum palporumque articulorum numerum certe determinare non possum, *tale* fingere non audeo. A *Boletophila* et *Platyura*, quibus habitu et variis notis accedit, per nervorum directionem et antennarum formationem paullo recedit, *Sciaræ* magis, quam aliis generibus, ut mihi videtur, appropinquans. — Exsiccata. Caput testaceum, vertice in ♂ nigricante. Antennæ longitudine thoracis (♂), aut illo paullo breviores (♀), filiformes, articulis 2 primis flavis, reliquis nigris l. nigricantibus, e pube omnium brevissima cinereo-micantibus. In antennarum flagello circiter tantum 12 l. 13 articulos numero, in ♀ saltem sat coadunatos ægre distingvendos. Palpi exserti, flavi, ni fallor 4-articulati? Oculi nigri. Stethidium breviusculum, rotundatum, nitidum, ochraceum, thoracis dorso vittis 3 subconfluentibus, dilute brunneis seu brunneo-testaceis, lateralibus antice abbreviatis; lateribus parce pallido piloso. Metathorax pallide brunnescens. Abdomen in ♂ thorace saltem triplo longius; subcylindricum, angustum, nitens, pallide pilosulum; ochraceum, segmentis 2 ultimis fuscis; ano subexserto, forcipe breviuscula, pubescente, pallida; in ♀ (in meo specimine ex parte læsum) sublanceolatum, ferrugineum, apice acutum. Alæ abdomine parum longiores, in ♂ præsertim ad costam fumo-

sæ, in ♀ pallide hyalinæ, in utroque sexu totæ subtilissime villosulæ, nervis costalibus (excepto secundario) distinctis, reliquis tenuioribus, sed tamen conspicuis. Nervi longitudinales: secundarius circiter ad 4:tam costæ partem ductus, tenuis, pallidus; 1:mus seu auxiliaris mox pone medium costæ desinens ad basin furcæ extensus; 2:dus validus fuscus fere in apice alæ excurrens. Furca tantum unica adest petiolata (ut in *Sciara*), sed hujus petiolus, e medio apicis areæ basalis sat late cuneatæ apiceque truncatæ oriundus, conspicuus, nec ut in plerisque *Sciaris* obsoletus. Præter hanc furcam tres alii nervi apicibus ad marginem interiorem breviter subciliatum descendunt, quorum superior rectus, distans, duo inferiores in margine alæ paullo convergunt. Directio nervorum igitur fere similis ac in Meigeni ***Platyura tipuloides*** P. 6. Tab. 65. fig. 13. (sed antennæ longe diversæ). Halteres albido-flavi, clava rotundata. Pedes pallide flavi, tarsis fuscis l. fusco-tectaceis. Tibiæ testaceæ, inermes, posteriores latere postico setulis paucis (4—6) et tennuissimis (microscopicis) munitæ. Tibiæ anticæ apice uni -, posteriores quatuor sat distincte, obscure bi-calcaratæ.

Sect. 2. Alarum nervus auxiliaris vix l. non usque ad basin furcæ nervi longitudinalis tertii extenditur, sed plerumque paullo infra basin hujus furcæ terminatur in costam curvatus.

*) Halteres nigricantes l. obscure brunnei.

22. *Sc. distincta:* nigra, parum nitida; antennis in mare longitudine fere corporis, validis, in femina capite thoraceque paullo longioribus filiformibus, in utroque sexu obscuris; alis subfuliginosis, nervis costalibus validis, halteribus brunneis; pedibus testaceis, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. ♂ fere $1\frac{1}{2}$, ♀ fere 2 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; feminam in Scania ad Lindholmen d. 10 Jul. inveni, marem e Dania a D. *Stæger* obtinui.

♂♀. Magnitudine majore, antennis longiusculis (in ♂ validis), alarum nervis ad costam crassiusculis, etc., a reliqvis Sectionis certe diversa. Nigra, subpubescens (♂), aut nigricans, glabricula (♀). Antennæ maris longitudine fere corporis, sat validæ, pubescentes, nigræ; feminæ longitudine circiter dimidii corporis, paullo tenuiores, filiformes, nudiusculæ, nigræ, extrorsum fuscæ. Os obscurum. Thorax subopacus. Abdomen in ♂ subdepressum, nigrum, forcipe anali mediocri; in ♀ conico-lanceolatum, acutum, oviductu parum exserto, apice bifido. Alæ longiusculæ, leniter fuscanæ, nervis brunneis, costali, auxiliari et 2:do longitudinali sat validis, reliqvis modice tenuibus; auxiliaris mox ante basin furcæ desinit. Halteres longiusculi, brunnei, petiolo basi flavo. Pedes in ♂ testacei, in ♀ sordide testacei, tarsis in utroque sexu obscurioribus.

23. *Sc. fucata:* nigra, subopaca, thorace cinereo-lineato; antennis circiter longitudine dimidii corporis, fuscis; abdomine nigro-brunneo; alis sordide cinereis, nervis costalibus validis, halteribus brunneis; pedibus testaceis, tarsis obscuris. ♀ (♂). (Long. ♀ 1⅓ lin.).

Meig. Dipt. 1. 280. 6? — Ejusdem 6: p. 306? Macqv. Buff. 1. 149. 11? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 12. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania ad Esperöd feminam inveni; in Dania uterque sexus, D. *Stæger*.

♂♀. Similis priori, sed magnitudine minori, thorace cinereo-lineato, etc. dignoscitur. Nigricans. Femina glabricula. An-

tennæ maris longitudine $\frac{2}{3}$ totius corporis; feminæ longitudine circiter dimidii corporis vel caput et thoracem paullo excedentes, filiformes, nudiusculæ, fuscæ, basi nigræ. Palpi nigri. Thorax niger, dorso subnitens, lineis 2 angustis e pube brevissima cinerea ortis, facile deterendis. Abdomen secundum *Meigen* (6 p. 306) "in viva (*) dorso antice brunneum, postice rufum, ventre toto miniatum; post mortem totum brunneum". In meis exemplis femineis exsiccatis abdomen lanceolatum, acutum, totum, obscure brunneum, opacum. Oviductus parum exsertus, apice bifidus. Alæ in exsiccatis sordide cenereo-hyalinæ (in viventibus forte fusciores), nervis brunneis, costalibus validis, furcato tenui. Nervus auxiliaris fere usque ad basin furcæ extenditur. Halteres longiusculi, brunnei, petiolo basi pallido. Pedes cum coxis testacei, tarsis brunneis.

Var. b. (♂? ♀?) alis pedibusque obscurioribus. Stæg. l. c.

Var. c. ♀, junior, macula humerali pallida, pleuris piceis, abdomine dilutius brunneo, incisuris tenuissime albidis, pedibus flavo-testaceis, tarsis brunneis; de cetero var. a. simillima. — In Ostrogothia ad Wadstena rarissime inventa.

24. *Sc. præcox:* atra, opaca; antennis longitudine fere corporis (♂), aut thorace paullo longioribus (♀); alis fuscescentibus, halteribus nigris; pedibus nigro-piceis vel fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $1-1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 279. 4. Ejusdem 6 p. 306. Macqv. Buff. 1. 148. 7. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 11. ♂♀. Sc. *fuscipes* Meig. Dipt. 1. 280. 5. ♀. Ejusdem 6. p. 306. Zett. Ins. Lapp. 826. 6. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 12.

---

*) utrum hoc in sexu masculo aut femineo aut in utroque obtineat, non est indicatum.

Hab. in graminosis locis paludosis, etiam in foliis fruticum Betulæ, Abietis etc., per totam fere Scandinaviam, a mense Majo usque ad Septembrem, vulgaris, in copula etiam pluries observata; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd etc., frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia ex. gr. ad diversorium Forsa prope Mulfjellet 27—28 Jun. femina copiosissime, etiam ad diversorium Skalstugañ prope jugum alpinum Norwegiæ uterque sexus Julio frequens et præsertim femina abundans; in Lappon. Tornensi af Juckasjervi passim; in Norwegia ad Smölen (D. *Siebke*), et Thynäs; in Dania, D. *Stæger*. — Larvas colore citrino, capite nigro nitido, in radice Arctii Lappæ hybernantes invenit *Stæger*. Mense Majo excluduntur imagines, pedum colore variantes. Status Nymphæ 3—4 hebdomad.

♂♀. Tota atra, glabricula, vix nitida. Antennæ maris longitudine saltem $\frac{3}{4}$ totius corporis, validiusculæ, nigræ; feminæ longitudine vix dimidii corporis, filiformes, fuscæ, basi nigræ. Palpi nigri. Abdomen in ♂ subdepressum, atrum, forcipe anali mediocri l. proportione minuscula, atra; in ♀ anguste conicum, nigro-brunneum, oviductu subexserto, apice bifido. Alæ in ♂ fusco-hyalinæ, in ♀ fuliginosæ (in exsiccatis tantum leniter fuscanæ), nervis in utroque sexu brunneis, costalibus distinctis, reliqvis et imprimis furcato paullo tenuioribus. Auxiliaris vix ad basin furcæ extensus. Halteres nigri, petiolo basi dilutiori l. sordide albescente. Pedes variant nigricantes, fusci aut lividi.

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigris l. nigro-piceis; plerumque paullo major. Hanc in Jemtlandia præsertim legi.

Var. b. ♀. pleuris halteribusque testaceo-fuscis, pedum anticorum femoribus et imprimis coxis pallidioribus, forte junior et

nuper exclusa. Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♀. In alpe Brattiksfjell Lapponiæ Umensis d. 8 Jul. 1832 capta, in ipsa nive ambulans.

Var. c. ♂♀. pedibus nigro-piceis, anticorum coxis et femoribus rufescentibus aut lividis. Stæg. l. c. (nuper e nympha declarata). *Sc. fuscipes* Meig. l. c. ♀. In Scania et Ostrogothia; etiam in Jemtlandia.

Obs. In omnibus varietatibus alæ post mortem et sub longa exsiccatione plus l. minus pallescunt, ita ut sæpe cinereo-hyalinæ videantur.

25. *Sc. nitidicollis:* nigra, thorace nitido; antennis longitudine fere corporis (♂), aut thorace paullo longioribus (♀); alis cinereo-hyalinis, nervis dilute brunneis, costalibus mediocribus, petiolo nervi furcati valde obsoleto, halteribus brunneis; pedibus dilute fuscis vel melleis, tarsis brunnescentibus. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 281. 8. (♀?) — Macqv. Buff. 1. 149. 8. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 287. 7. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 13. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 4. (*).

Hab. in graminosis et foliis fruticum, per Scandinaviam passim; mihi in provinciis mediis et borealibus præsertim obvia; in copula etiam semel capta; scilicet occurrit in Ostrogothia ex. gr. ad Wadstena, ubi 23 Aug. ♀ observata; in jugo alpino Norwegiæ ad Suul ♀

*) Doct. *Rossi* in Catal. suo systematico Dipt. Austr. nullibi sexum inventæ speciei indicavit, quod tamen, si id fecisset, valde optabile fuisset.

14 Jul.; in Bottnia septentrionali et Lapponia Tornensi sat frequenter lecta, mas tamen rarius deprehenditur. — Plures larvæ et pupæ sub cortice arborum putrescentium Pini, ad pagos Lapponicos Wittangi et Pello d. 4—15 Jun. 1821 a me inventæ. Ex his larvis variæ d. 11—12 ejusdem mensis abierunt in pupas obconicas, albidas, parcissime setulosas, e qvibus post 3 l. 4 dies (14—15 Jun.) prodierunt imagines.

♂♀. Nigra, glabricula. Antennæ in ♂ longitudinem fere ¾ totius corporis attingunt, validiusculæ, versus apicem graciliores; in ♀ thoracem parum excedunt, longitudine saltem vix dimidii corporis, filiformes; in utroque sexu fuscæ, basi obscuriores. Thorax nitidus. Abdomen opacum, in ♂ subcylindricum, forcipe mediocri; in ♀ anguste conicum, ano vaginato plerumque (non semper) longe erumpente, apice bifido. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis dilute brunneis (in exsiccatis pallescentibus), ad costam modice tenuibus, reliqvis tenuibus, furcati petiolo parum conspicuo. Nervus auxiliaris non usque ad basin furcæ longiusculæ extensus, sed tantum circiter ad medium costæ productus. Halteres brunnei, petiolo pallidiori. Pedes sordide testacei l. mellei, tarsis brunnescentibus.

Var. b. ♂♀.; nuper e pupa declarata tota dilutior, corpore scilicet brunneo, antennis pedibusque pallescentibus.

26. *Sc. variabilis:* nigra, opaca; antennis longitudine fere corporis (♂), aut thorace paullo longioribus (♀); alis subhyalinis, nervis dilute brunneis, costalibus mediocribus, petiolo furcati valde obsoleto, halteribus brunneis; pedibus flavo-testaceis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 827. 8. ♂♀ (ex parte, nempe spe-

cimina Norwegica, nam Wittangensia ad seqventem referenda.)

Hab. in Nordlandiæ Norwegicæ graminosis et fruticibus rarissime, scilicet ad diversorium Björkvik juxta Ofodenfjord 13—14 Jul. 1821 exempla aliquot inveni; ad Näs Værdaliæ ♀ etiam 10 Jul. 1840 lecta, et ad diversorium Suul semel capta.

♂♀. Exsiccata. Priori simillima, sed thorace opaco, nec nitido, et pedibus pallidioribus flavescentibus l. flavo-testaceis differt. Alarum nervi omnino ut in præcedente.

27. *Sc. coracina:* atra, thorace nitido; antennis in ♀ longitudine circiter thoracis, nigris; alis pure hyalinis, nervis costalibus distinctis, obscuris, reliqvis tenuibus, albidis, nervi furcati (non e basi alæ oriundi) ramis longiusculis, auxiliari non usque ad basin furcæ extenso; halteribus fuscis; petiolo albido; pedibus obscure brunneis. ♀. (Long. circiter 1 vel 1⅛ lin.).

Hab. in Norwegia, ubi in Töien prope Christianiam mense Majo 1845 a D. Cand. *Siebke* in unico exemplo capta, mecumque communicata.

♀. Per colorem corporis atrum, thoracem nitidum, alas pure hyalinas, nervi furcati insertionem, et tandem pedes obscure brunneos, a *Sc. præcoce* (n:o 24) et aliis affinibus mox dignota. Atra. Antennæ thorace vix longiores, validiusculæ, nigræ, brevissime griseo-subpuberulæ, unde fuscæ videntur. Stethidium nitidissimum, nudum. Abdomen lanceolatum, acutum, nigrum, opacum, ano bifido, concolore; ventre medio flavicante. Alæ nudæ, vitreæ, irisantes. Nervi costales distincti, nigricantes, reliqvi tenues, pallidi, furcati ramis sat elongatis, petiolo subobsoleto non longe ante nervulum transversum inserto; auxiliaris non usque ad medium

costæ productus et paullulum ante basin furcæ desinens. Halterum clava fusca, petiolus pallidus. Pedes toti subpicei, vel obscure fusci, coxis tantum anticis flavicantibus.

Obs. 1. Exemplum femineum, antennis vix longitudine thoracis, et pedibus totis nigricantibus, coxis anticis concoloribus, in ceteris descriptæ simillimum, forte huc referendum; Lundæ in horto proprio 6 Maj. 1850 inventum.

Obs. 2. Propter nervi furcati insertionem paullo ante apicem nervi auxiliaris et paullulum etiam ante nervulum transversum (nec in basi alæ), hæc species *Lestremiæ*, et quidem *Lestr. albipenni* Meig. Dipt. 7. 50. 3., prope accedere videtur, sed forte aptius sub *Sciara* militanda. Marem non vidi, nec in antennis numerum articulorum valde coarctatorum in femina certe determinare possum. Alæ nudæ.

28. Sc. *iridipennis:* nigra, opaca; antennis longitudine fere corporis (♂), aut thorace paullulum longioribus (♀); alis subhyalinis, metallice nitentibus, nervis costalibus modice tenuibus, brunneis, reliquis valde tenuibus, pallidis, halteribus obscure brunneis; pedibus obscure testaceis, femoribus anticis sordide flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 827. 9. ♂♀. Stæg. Grönl. Antliat. 1845. p 357. 19. ♂♀. *Sc. variabilis* Zett. Ins. Lapp. 827. 8. ♂♀ (ex parte, nempe specimina Lapponica).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; marem in unico exemplo ad Lycksele Jun. 1832, et utrumque sexum in graminosis ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis d. 14 Jun. 1821, inveni; feminam etiam e Grönlandia per D. *Westermann* obtinui. (Specimina 4 Grönlandica, quorum 1 masculum et 3 feminea lustraverit D. *Stæger*).

♂♀. A *Sc. variabili*, cui similis, differt: corpore proportione magis robusto, alis magis nitentibus et pedibus posterioribus

obscurioribus. Nigra, glabricula, vix nitida. Antennæ in ♂ longitudine circiter $\frac{2}{3}$ (vix $\frac{3}{4}$) totius corporis, validiusculæ, microscopice puberulæ, nigræ, extrorsum obscure fuscæ; in ♀ capite thoraceque parum longiores, seu vix longitudine dimidii corporis, filiformes, nudiusculæ, obscure fuscæ. Palpi nigri. Abdomen nigrum; in ♀ acutum, oviductu parum exserto, apice bistylato. Alæ in plerisque speciebus certo luminis situ irisantes, in hac vero iridis colore eximie tinctæ, præsertim in ♀; de cetero in utroque sexu subhyalinæ. Nervi ad costam sat conspicui, brunnei; reliqui tenues, pallidi, imprimis furcatus; auxiliaris breviusculus, vix ad medium costæ productus, et non ad furcæ basin extensus. Halteres obscuri. Pedes fusci, sæpe obscure testacei vel fusco-lividi, femoribus anticis (et interdum etiam coxis anticis in ♀) flavescentibus.

29. *Sc. pulicaria:* nigra, thorace subnitido; antennis subfiliformibus, longitudine fere corporis (♂), aut thorace parum longioribus (♀), alis subhyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, brunneis, reliquis valde tenuibus, pallidis, furcati petiolo obsoletissimo, halteribus clava brunneis; pedibus flavescentibus, tarsis obscurioribus. ♂♀. (Long. ♂ circiter $\frac{1}{2}$, ♀ $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 282. 12. ♂. — et 6. p. 306. Macqv. Buff. 1. 149. 13. ♂. Zett. Ins. Lapp. 827. 10. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 285. 19. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 8.

Hab. in Scandinavia, mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Lund, Majo et Aug. non parce; in Smolandia ad Berga 5 Aug. (*Dahlbom*); in Ostrogothia ad Wadstena in fenestra 12 Aug. semel; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven 9 Aug. rarissime; in Nordlandiæ Norwegicæ insula Senjen in paludosis, mense Julio 1821; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Exsiccata. Præcedenti iterum similis, sed magnitudine minori, thorace forte paullo nitidiori et denique pedibus pallidioribus diversa. Palpi saltem in altero specimine rufescentes. Antennæ filiformes, parum validæ, microscopice puberulæ, totæ obscuræ, vel extus fuscæ. Alæ subhyalinæ, certo situ leniter irisantes, nervis ut in priori directis. Nervus auxiliaris non ad basin furcæ subbreviusculæ extensus; nervi furcati rami in ♂ paullo breviores, quam in ♀. Pedes mellei l. flavicantes, tarsis brunneis.

Obs. E gallis putrescentibus Salicis pentandræ specimina utriusque sexus ad Lund 26 Maj. 1839 copiose exclusa, observante D. *Dahlbom.* — Marem nigrum, subnitidum, palpis flavis, halterum petiolo pallido, clava obscura, pedibus fuscomelleis, tarsis obscurioribus, alarum furca breviuscula petiolo vix observando, vivum inveni in fenestra cubiculi mei Lundæ 2 Martii 1851.

30. *Sc. Scatopsoides:* nigra, thorace nitido; antennis longitudine vix dimidii corporis (♀); alis hyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, obscuris, reliquis tenuissimis albidis, furcati petiolo valde obsoleto, halteribus clava brunneis; pedibus fuscis. ♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig Dipt. 1. 282. 13. ♀. — et 6. p. 306.

Hab. in Svecia passim; scilicet in graminosis horti proprii Lundæ 1 Octob. 1850 deprehendi, quoque in Scania ad Kjeflinge prope Lund 10 Sept., D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Wadstena 18—22 Aug. et 6—12 Sept., ipse; in cacumine alpis Åreskutan Jemtlandiæ feminas duas in nive ambulantes d. 2. Aug. 1840 semel quoque inveni.

♀. Exsiccata. Valde similis priori, et forsitan ejus femina, sed præter antennarum brevitatem (in hoc genere plerumque tantum notam sexualem), differt etiam pedibus obscurioribus.

A quibusdam præcedentium huic quoque affinibus, magnitudine minori discrepat. Nigra. Antennæ capite thoraceque nonnihil tantum longiores, filiformes, nigro-fuscæ. Palpi nigri. Abdomen apice acuminatum, stylis 2 brevibus terminatum. Alæ pallide hyalinæ, nervis ut in proxime præcedentibus directis. Halteres brunnei, petiolo pallido. Pedes brunnei. — Varietas feminea abdomine longe acuminato, toto griseo l. sordide albicante, quoque hujus videtur; in Norwegia ad Thynäs 4 Jul. 1840 semel capta.

Obs. In prato sylvatico ad prædium Berga Smolandiæ d. 5 Aug. 1850 specimen masculum invenit D. *Dahlbom*, quod halteribus pedibusque totis nigris præditum, de cetero feminæ descriptæ simillimum, præter antennas paullo longiores, forte ut *mas* ad hanc speciem referendum.

31. *Sc. silvatica:* nigra, subopaca; antennis filiformibus, longitudine fere corporis (♂), aut thorace parum longioribus (♀); alis cinereo-hyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, obscuris, reliquis tenuioribus, pallescentibus; auxiliari fere ad basin furcæ extenso; halteribus brunneis; pedibus sordide melleis. ♂♀. (Long. ♂ circiter $\frac{5}{8}$, ♀ fere $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 283. 15? ♂. — 6. p. 306? Zett. Ins. Lapp. 827. 11. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 285. 17. ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim, etiam in copula semel observata; in Scania ad Esperöd paroeciæ Mellby in graminosis locis aridis circa sic dictum Lilla Stenshufvud 15 Sept. plures feminæ; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele, Stensele (3 Jul. in copula) et ad Umenäs uterque sexus Jul. Aug., non raro; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi ♂ semel; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Exsiccata. Nigra, subopaca, glabricula. Antennæ in ♂ longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis, proportione sat graciles (saltem minime validæ), obscuræ; in ♀ longitudine vix dimidii corporis, fuscæ. Palpi in utroque sexu nigricantes. Abdomen in ♂ subcylindricum, forcipe anali mediocri, parum lata, nigra; in ♀ acutum, apice stylis 2 brevibus fuscis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ut in diagnosi; in ♀ vero paulisper magis conspicuis, quam in ♂. Halteres brunnei, petiolo pallido. Pedes subfusco-mellei l. sordide testacei, tarsis brunneis.

Variat præsertim femina corpore fusco et pedibus melleis; et in hac palpi rufescentes sunt. Nuper e nympha egressa.

32. *Sc. nervosa:* nigra, subopaca; antennis longitudine fere corporis et validiusculis (♂), aut thorace parum longioribus et filiformibus (♀); alis subhyalinis, nervis omnibus distinctis, brunneis, costalibus subvalidiusculis, reliquis modice tenuibus, nervi furcati petiolo obsoleto, halteribus brunneis; pedibus melleis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 283. 16.? ♀? — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 16. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, a medio Augusti ad finem Septembris mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Silfåkra, Björnstorp (*Dahlbom*), Abusa, Esperöd, etc., sat freqvens; in trunco Qvercus ad Abusa 9 Majo plura specimina feminea nuper exclusa inveni; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Exsiccata. Præcedenti sat similis. Nigra, opaca, glabricula. Antennæ in ♂ longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis, validiusculæ, puberulæ, nigro-fuscæ; in ♀ breviores et tenuiores. Abdomen et maris et feminæ ut in priori. Alæ cum nervis ut in diagnosi. Nervus auxiliaris fere ad medium costæ ex-

tensus, parum l. mox ante basin furcæ desinens, petiolo furcati valde obsoleto. Halteres brunnei, petiolo pallido. Pedes testacei l. mellei, tarsis brunnescentibus.

Obs. Specimina hujus speciei danica "alis hyalinis, nervis nigris, distinctis, maris antennis longitudine fere corporis", a D. *Stæger* l. c. describuntur. — Individua nuper exclusa corpore fusco et pedibus flavescentibus observavi.

33. *Sc. quinquelineata:* atra, thorace nitido, lineis 5 cinereis; antennis (♀) longitudine thoracis, nigris; alis subhyalinis, nervis castalibus distinctis, brunneis, reliqvis tenuibus, pallidioribus, furca elongata; halteribus obscuris; pedibus nigro-piceis, anticorum coxis testaceis et femoribus plerumque sordide melleis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Macqv. Buff. 1. 149. 10. (certe, sed sexus non indicatus). — Meig Dipt. 7. 51. 37 (ex descriptione Macqvarti transscripta). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 285. 18. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali et boreali, passim; in graminosis et foliis Salicum, (raro in fenestris), a medio mensis Septembris usque ad 10 Octobrem mihi obvia, sed etiam verno tempore observata; scilicet in Scānia ad Lund (in horto proprio mense Majo), Paradislyckan, Björnstorp etc., in pluribus exemplis deprehensa; in graminosis ad Kjellby prope Lund jam 15—17 Maj. a D. *Segrell* etiam capta; in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan 22—24 Jun. (nive adhuc non soluta), 4 specimina invenit D. *Dahlbom*, et præsertim in cacumine alpis Mulfjellet circit. 3000 ped. supra mare elevato, ♀ in ipsa nive d. 27 Jul., ipse; in Dania, D. *Stæger.*

♀. Per thoracem nitidum cinereo-lineatum, antennas (in ♀)

breviusculas, ramos nervi furcati longiusculos, et tandem pedum picturam, ab aliis facile dignota. Atra. Caput nigrofuscum. Antennæ vix thoracis longitudine, nigræ. Palpi nigri. Thorax nitidus, lineis 5, e pube cinerascente ortis facileque deterendis. Abdomen (in quo segmenta 8 apud feminam numero) opacum, acutum, oviductu parum exserto, apice bistylato. Alæ hyalinæ, nervis ad costam modice tenuibus, brunneis, reliqvis pallidis, tenuioribus, sed tamen conspicuis. Nervus furcatus adhuc paullo tenuior præsertim petiolo, ramis sat elongatis; auxiliaris circiter ad medium costæ productus et fere ad basin furcæ extensus. Halteres nigri l. obscuri, in junioribus fusci. Pedes plerumque nigricantes, tantum coxis anticis flavis, sed variat etiam sæpe pedibus obscuris, coxis femoribusque anticis flavidis vel testaceis; raro obveniunt individua etiam femoribus posterioribus fusco-testaceis.

Obs. 1. D. *Stæger* l. c. quoque *marem* affert; sed neque proportionem antennarum, quæ forte in masculo longiores, neque locum specialem, neque frequentiam pro specie indicat.

Obs. 2. In fenestra cubiculi mei Lundæ 1 Novemb. 1850 specimen inveni masculum, descriptæ feminæ subsimile, sed antennis thorace paullo longioribus, thoracis lineis cinereis haud conspicuis (an detritis?), palpis flavis, nec nigris, et præsertim alarum furca mediocri, nec elongata, certe distinctum, et sine dubio propriæ speciei, ac vix inter individua *Sc. fenestratæ* aut *strigatæ* quærendum. — Antennæ vix longitudine $\frac{2}{3}$ totius corporis, totæ nigræ. Halteres nigri. Pedes obscure fusci, tarsis nigris, coxis anticis pallide flavis. Anus niger.

34. *Sc. fenestrata:* atra, palpis pedibusque piceis; thorace nitido; antennis (♀) longitudine dimidii corporis, brunneis; alis hyalinis, nervis costalibus fuscis, reliqvis pallidis, halteribus obscuris. ♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 281. 10. ♀. — et 6. p. 306. Stæg.

Dipt. Dan. 1840. p. 284. 14. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 6.

Hab. in Scandinavia meridionali; in Dania, D. *Stæger.*

♀. Atra. Antennæ brevissime subpuberulæ, brunneæ. Palpi picei. Thorax nitidus. Abdomen fere atro-holosericeum. Alæ hyalinæ, nervis ad costam distinctioribus, brunneis, reliqvis tenuibus, pallidis. Halteres toti nigricantes. Pedes picei.

35. *Sc. fuscipennis:* atra, thorace subnitido; antennis (♂) longitudine fere corporis, obscuris; alis fuliginosis; pedibus nigro-brunneis. ♂. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 1. 282. 11. ♂. — et 6. p. 306. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 284. 15. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 7.

Hab. in Svecia meridionali et Dania rarius; in prato ad Medhamra Ostrogothiæ 17 Aug. semel quoque lecta fertur.

♀. Atra. Antennæ longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis, nigro-brunneæ. Thorax dorso paullo nitidus. Abdomen opacum. Alæ fuliginosæ. Pedes obscuri.

36. *Sc. strigata:* nigra, thorace griseo-pruinoso, lineis 2 approximatis nigris; antennis (♂) longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis; alis hyalinis, nervis costalibus validis, brunneis, reliqvis tennuibus, pallidis; pedibus piceis, anticorum coxis et femoribus rufo-brunneis. ♂. (Long. 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 285. 20. ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger.* In Svecia et Norwegia a me non observata.

♀. "Thorax (ab antico visus) griseo-pollinosus, lineis dorsalibus 2 approximatis, nigris. Pedes picei, anticorum coxis et femoribus rufo-brunneis. Cauda nigra. Alæ hyalinæ, nervis 2 anticis crassis, flavo-brunneis, reliquis tenuibus, pallidis. Antennæ circiter longitudine ¾ corporis." *Stæg.* l. c.

37. *Sc. pectoralis:* nigro-fusca, thorace testaceo, dorso fusco, nitido; antennis in ♂ longitudine corporis, in ♀ brevioribus; alis subhyalinis, nervis costalibus validis, reliqvis tenuibus, halteribus obscuris; pedibus melleis, tarsorum apice obscuro. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Stæger Dipl. Dan. 1840. p. 285. 21. ♂♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, loco speciali et frequentia non indicatis. Mihi ignota.

♂♀. "Thorax testaceus, supra nitidus, brunneus. Abdomen nigricans. Cauda maris brunneo-flava. Halteres flavi, clava obscura. Pedes mellei, tarsorum apice obscuro. Alæ fere hyalinæ, basi flavæ. Nervi 2 anteriores crassi, reliqui multo tenuiores, sed tamen conspicui. Antennæ maris longitudine corporis, feminæ breviores." *Stæg.* l. c.

38. *Sc. brevicornis:* nigricans, subopaca; antennis in ♀ thorace fere brevioribus; alis albido-hyalinis, nervis costalibus tenuibus, fuscis, reliqvis tenuissimis, pallidis, nervi furcati ramis modice longis; halterum clava obscura; pedibus melleis l. flavidis. ♀ (an etiam ♂?). (Long. circiter ½ lin.).

Hab. in Norwegia rarissime, scilicet ad Trondhjem mense Julio 1845 in unico specimine inventa, mecumqve a D. *Siebke* benigne communicata.

♀. Angusta, tenera. Opaca videtur. Caput nigrum. Antennæ thoracis fere longitudine, brevissime puberulæ, nigro-fuscæ,

articulo 1:mo nigro. Thorax nigricans. Abdomen proportione elongatum, subangustum, acutum, nigro-fuscum, stylis analibus nigris. Alæ albido- l. cinereo-hyalinæ. Nervi ad costam tenues, subfusci, reliqvi valde tenues, pallidi, furcati ramis modice longis. Margo interior tenuiter ciliatus. Halterum clava subrotundata, obscura, petiolo pallido. Pedes antici flavidi, posteriores mellei, tarsis parum obscurioribus.

♂: paullo minor, nigricans, abdomine subcylindrico, forcipe mediocri, nigra, alis cinereis, nervis ut in femina descripta, sed inferioribus forsan paullulum obscurioribus, halterum clava oblonga, obscura, petiolo pallido, pedibus flavidis, tarsis dilute fuscis, in Töien Norwegiæ prope Christianiam a D. *Siebke* mense Julio 1845 semel deprehensus mihique missus, forte huc referendus. Antennæ in specimine viso mutilatæ sunt.

Obs. Sc. minima: nigra, opaca; antennis longitudine corporis, puberulis, fuscis; alis subcinereo-hyalinis, nervis costalibus obscuris, reliqvis tenuissimis, pallidis, furcati ramis valde brevibus, petiolo obsoletissimo; halterum clava obscure brunnea, petiolo pallido; pedibus fuscis l. sordide flavidis, tarsis brunneis; ♂. (Long. circit. $\frac{1}{4}$ lin.). Meig. Dipt. 1. 282. 14? — et 6. p. 306? Macqv. Buff. 1. 149. 12? ut Norwegiæ incola mihi a D. *Siebke* communicata; sed locus omnino incertus.

**). Halteres pallide flavi l. albidi.

a. corpore nigricante.

39. *Sc. Persicariæ*: nigra, opaca; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{2}{3}$ totius corporis, filiformibus, in ♀ thorace parum longioribus, tenuibus; alis cinereo-hyalinis, nervis costalibus sat distinctis, brunneis, reliqvis tenuioribus, sed conspicuis, dilute brunneis, furcati ramis longiusculis, petiolo obsoleto, auxiliari fere ad ba-

sin furcæ extenso; pedibus subtestaceis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 1—1⅛, ♀ 1¼ lin.).

Tipula Persicariæ Linn. Syst. Nat. 2. p. 977. 49 (*) ♀. — Fabr. Ent. Syst. 4. 251. 86. (ut videtur ex descriptione Linneana transscripta). *Chironomus* idem Fabr. Antl. 47. 43.

Hab. in Svecia meridionali et media, minus frequens, semel etiam in copula deprehensa. Qvinque mares et tres feminas lustravi. Sub nomine: "*Tipula Persicariæ* Linn." etiam in museo Falleniano asservatur. — Specimen masculum, quod in summo cacumine alpis insignis Kälahög (4000 ped. supra mare elevato) in jugo alpino Norwegiæ sitæ, die 22 Julii 1840 invenit D. ***Dahlbom***, hujus quoque videtur.

♂♀. Nigra, opaca. Antennæ maris dimidio corpore paullo longiores, parum validæ, vix pubescentes, fuscæ, basi nigricantes; feminæ thorace parum longiores et non longitudine dimidii corporis, fuscæ, basi obscuræ. Abdomen in ♂ subdepressum, nigricans l. fuscum, acutum, ano breviter bistylato. Alæ (in diu exsiccatis) cinerascentes, nervis omnibus brunneis, costalibus mediocribus, reliquis tenuioribus, sed omnibus sat perspicuis, auxiliari fere ad basin furcæ continuato. Nervi furcati rami sat elongati, petiolo subobsoleto. Margo interior tenuiter ciliatus. Halteres toti albi-

---

*) ***Linné*** l. c. speciem ita adumbrat:

"***Tip. Persicariæ:*** alis incumbentibus subciliatis.

Hab. sub Persicariæ amphibiæ foliis revolutis rubris. ***Petr. Hernqvist*** (Svecus, Lector in Scara).

Corpus paullo majus Pulice, totum cum alis incumbentibus pellucidis atratum.

Alæ subciliatæ. ***Antennæ*** corpore triplo breviores, moniliformes. ***Pedes*** longitudine corporis." ***Linné.***

di. Pedes cum coxis in ♂ flavi l. flavo-testacei, ad basin femorum sæpe puncto brunneo; in ♀ testacei l. mellei; tarsis in utroque sexu brunneis.

40. *Sc. vittigera:* cinerascens, opaca, thorace vittis 3 latis obscuris; antennis longitudine thoracis, nigricantibus; abdomine obscuro; alis subhyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, fuscis, reliqvis tenuissimis, furcati petiolo obsoleto, ramis elongatis, auxiliari vix ad basin furcæ extenso; halteribus pallidis; pedibus flavescentibus, tarsis brunneis. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin. absque oviductu).

Hab. in Norwegia; a D. *Moë* 1845 mecum communicata.

♀. Thoracis pictura ab affinibus præcipue distincta. Caput cinerascens. Antennæ validiusculæ, nigræ, extus subfuscentes. Stethidium opacum, cinereum, thoracis dorso vittis 3 latis nigricantibus, per lineolas tenues cinereas separatis. Abdomen longum, subangustatum, acutum, nigro-brunneum, opacum, ano rufescente, apice bifido, stylis fuscis. Alæ subcinereo-hyalinæ, irisantes. Nervi ad costam modice tenues, distincti, obscuri, reliqui valde tenues et dilutiores, auxiliaris fere ad basin furcæ productus. Nervi furcati rami sat elongati, petiolo valde obsoleto, parum conspicuo. Halteres toti albido-flavi. Pedes posteriores flavo-testacei, antici paullo pallidiores, tarsis omnibus brunneis, metatarsis testaceis.

41. *Sc. fenestralis:* nigricans, subopaca; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{2}{3}$ totius corporis, gracilibus, fuscis, in ♀ thorace parum longioribus, tenuibus, obscuris; alis cinereo-hyalinis, nervis costalibus subdistin-

clis, brunneis, reliqvis valde tenuibus, pallidis, furcati ramis sublongiusculis, petiolo obsoleto, auxiliari fere ad basin furcæ extenso; pedibus flavis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. ♂ fere $\frac{2}{3}$, ♀ circiter $\frac{3}{4}$—$\frac{7}{8}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 827. 12. ♂♀.

Hab. in Svecia boreali et Lapponia, ab initio Junii ad medium Augusti mihi obvia, in fenestris sæpe deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Forsa, et alpem Mulfjellet, ubi feminæ usque in regionem nivalem (3000 ped. supra mare) adscendunt, nec non ad diversorium Skalstugan; in Lapponiis Umensi et Tornensi ex. gr. ad Lycksele, Wilhelmina, Kengis et Karesuando, non parce.

♂♀. Exsiccata. Similis *Sc. Persicariæ* (39), sed fere duplo minor, et minus nigra, alarum nervis nonnihil forte tenuioribus et pallidioribus, nervi furcati ramis paullulum brevioribus, et denique pedibus saltem in ♂ paullo pallidioribus, diversa. — Nigricans, glabricula, thorace cinereo-subpollinoso. Abdomen in ♂ subcylindricum, tenuissime puberulum, obscure fuscum, ano et ventre interdum pallescentibus, forcipe mediocri, jam obscura, jam rufescente; in ♀ lanceolatum, obscurum l. fuscum, acutum, ano breviter bistylato. Alæ pallide hyalinæ, irisantes, nervis (in diu exsiccatis) dilute brunneis, costalibus non validis, reliquis valde tenuibus, omnibus tamen sat perspicuis; furcati ramis modice elongatis. Halteres toti pallidi. Pedes cum coxis pallide flavi (♂), aut flavi (♀), tarsis brunnescentibus, et sæpe etiam puncto minuto brunneo ad basin femorum.

42. *Sc. affinis:* nigricans, thorace subnitente obsolite obscure lineato; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{2}{3}$ totius corporis, gracilibus, fuscis, in ♀ thorace nonnihil longioribus, tenuibus, obscuris; alis hyalinis, ner-

vis costalibus tenuibus, approximatis, pallide brunneis, reliqvis tenuissimis, albidis, furcati ramis modice longis, petiolo obsoleto, auxiliari vix ad basin furcæ extenso; pedibus pallide flavis, tarsis apice dilute brunneis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{1}{2}$, ♀ $\frac{2}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 828. 13. ♂♀.

Hab. in graminosis Sveciæ borealis et Lapponiæ, Jul. Aug., parce; in copula etiam bis capta; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan 16 Jul. 1840 ♂, et ♀ ad Åreskutan 1 Aug.; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponia Umensi ad Lycksele et Wilhelmina passim; in Lapponia Tornensi rarissime; in Norwegia ad diversorium Näs Værdaliæ 8 Jul. in copula.

♂♀. Exsicc. Simillima præcedenti, et varietatem ejus facile putarem, sed magnitudine paullo minori, alarum nervis adhuc tenuioribus et pallidioribus, costalibus approximatis, ut et pedibus totis pallide flavis, tarsis tantum apice dilute brunnescentibus, differe videtur. — Nigricans, thorace leniter cinereo-pruinoso, dorso lineis obscurioribus parum conspiciendis. Antennæ graciles, nigræ, apice fuscæ. Alarum nervi omnes valde tenues, interiores albidi, omnes tamen sub lente bene distingvendi. Pedes pallide flavi, puncto ad femorum basin minuto brunneo. Tarsi vix nisi apice dilute brunnescentes.

43. *Sc. hirticornis:* nigra, thorace nitido; abdomine nigro l. obscure fusco; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis, subvalidiusculis; puberulis, fuscis; in ♀ thorace paullo longioribus, tenuioribus, obscuris; alis subcinereo-hyalinis, nervis costalibus tenuibus, approximatis, dilute brunneis, reliqvis tenuissimis, subpallidis, furcati ramis modice lon-

gis, petiolo obsoleto, auxiliari fere ad basin furcæ extenso; pedibus testaceis l. flavis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. ♂ ½ vix ⅔, ♀ ⅔ lin.).

Meig. Dipt. 1. 287. 26? ♂. — et 6. p. 306? Zett. Ins. Lapp. 828. 14. ♂♀.

Hab. in Sveciæ et Lapponiæ graminosis et fungis terrestribus, Jul. et Aug., valde rara; scilicet in Svecia meridionali semel; in Jemtlandia ad Skalstugan 16 Jul. 1840, ♀; etiam in cacumine alpis Åreskutan 2 Aug. ♀ semel; in Lapponiis Umensi et Tornensi ad Wilhelmina et Kengis bis in copula capta; in Norvegia ad Suul ♂ 14 Jul. semel.

♂♀. Exsiccata. A priori, cui valde affinis et similis, vix nisi antennis in ♂ paullulum validioribus et thorace in utroque sexu nitidiori, differt. Alarum nervi costales subapproximati, nec distincte remoti. Palpi flavescentes. Pedes in nostris (vetustis) flavi, nec ut in specie Meigeniana picei, unde de identitate dubium. Abdomen obscurum l. fuscum.

44. *Sc. aprilina:* nigra, thorace nitido, cinereolineato; antennis fuscis, dimidio corpore nonnihil longioribus (♂), aut paullo brevioribus (♀); alis hyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, brunneis, reliquis tenuioribus, pallidis, furcati ramis brevibus, petiolo obsoletissimo, auxiliari non ad basin furcæ extenso; pedibus testaceis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. circiter ⅔—¾ lin.).

Meig. Dipt. 1. 285. 22. — et 6. p. 306. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 23. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 6. 16.

Hab. in Scandinavia meridionali, verno tempore ra-

rius; in Scania rarissime obvia; in Dania mense Majo, minus freqventer, D. *Stæger*, qui etiam exempla mecum communicavit.

♂♀. Thorace nitido, lineato, sed imprimis nervi furcati ramis solito brevioribus, ab aliis facile dignoscitur. Caput nigrum. Antennæ brunneæ. Thorax niger, nitidus, dorso lineis 3 tenuibus, cinerascentibus. Abdomen et supra et infra nigrum, opacum. Alæ hyalinæ, nervis ut in diagnosi. Nervi furcati rami ab apice vix ad tertiam partem totius alæ extensi. Nervus auxiliaris vix ad medium costæ productus. Halteres flavi. Pedes testacei (in exsiccat. flavi), tarsis brunneis.

Obs. *Sciara aprilina* in Insectis Lapponicis 828. 15. descripta, vix *Sciaræ* generis est, sed potius ad *Lestremiam* (gen. 232) pertinet, ut l. c. jam autumavi.

45. *Sc. vernalis:* nigra, thorace subnitido; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{2}{3}$ totius corporis, subvalidiusculis, puberulis, nigris; alis in utroque sexu subcinereo-hyalinis, nervis brunneis, costalibus modice tenuibus, reliquis paullo tenuioribus, omnibus conspicuis, furcati ramis brevibus, petiolo absoletissimo, auxiliari vix ad basin furcæ extenso; pedibus fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $\frac{2}{3}$, ♀ $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, quatuor tantum specimina comparavi, unum (masculum) in Scania captum, duo (marem et feminam) e Dania a D. *Stæger* ante plures annos (1837) missa, et 4:tum (masculum) in Jemtlandia ad urbem Östersund 20 Jun. 1840 lectum.

♂♀. Exsicc. Duabus proxime antecedentibus valde similis, sed a *S. hirticorni* nervis inferioribus paullo magis distinctis,

furcati ramis brevioribus, etc.; a *S. aprilina* thorace non cinereo-lineato, alis minus pure hyalinis, et nervis inferioribus brunneis, nec pallidis; et ab ambabus pedibus nonnihil obscurioribus, differt. Atra. Antennæ in ♂ dimidio corpore paullo longiores, nigræ; in ♀ in exemplo, quod ante oculos habeo, mutilatæ. Thorax dorso subnitidus, vix detritus. Abdomen nigrum, in ♂ subcylindricum, in ♀ lanceolatum. Alæ subhyalinæ, nervis sat perspicuis, brunneis, petiolo furcati tantum obsoletissimo, ramis vero ut in priori. Nervus auxiliaris fere ad basin furcæ productus. Halteres in omnibus nostris speciminibus hodie abscissi, sed secundum meas annotationes in individuo masculo, nuper capto, pallidi. Pedes brunnei l. obscure testacei.

36. *Sc. nemoralis:* nigra, thorace nitido; antennis in ♂ longitudine fere corporis, obscuris; alis hyalinis, nervis costalibus nigricantibus, reliqvis pallide brunneis; halteribus flavis; pedibus rufescentibus, tarsis obscurioribus. ♂. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 287. 27. ♀ (an potius ♂?). — et 6. p. 306. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 25. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 17.

Hab. in Scandinavia meridionali valde rara; in Dania mensib. Septemb. et Octob. obvia, observante *Stæger*. (In Austria verno tempore lecta, secundum *Rossi.*)

♂. Atra, thorace nitido. Antennæ nigro-brunneæ. Alæ hyalinæ, nervis ad costam distinctioribus, obscuris, reliqvis tenuioribus, dilute brunneis. Halteres pallidi. Pedes rufescentes, tarsis obscure brunneis, metatarsis tantum rufescentibus.

47. *Sc. pusilla:* nigra; antennis in ♂ longitudine fere corporis, in ♀ thorace parum longioribus, in utro-

que sexu fuscis; alis hyalinis, nervis tenuibus, costalibus brunneis, reliquis pallidis l. albidis, omnibus tamen sat conspicuis; halteribus albis; pedibus melleis l. flavis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. circit. $\frac{1}{3}$ l. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 286. 23. ♂. — et 6. p. 306. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 26. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 18.

Hab. cum priori, æque rara; observantibus: *Stæger*, hæc species in Dania tempore autumnali legitur; *Rossi* vero, in Austria vernali tempore occurrit. Specimina feminea alis hyalinis, albis, irisantibus, nervo auxiliari vix ad basin furcæ extenso, nervi furcati ramis modice elongatis, ano acuminato; in Scania ad prædium Björnstorp 24 Sept. a D. *Dahlbom*, et in Qvercubus ad Esperöd in paroecia Tranås 2 Jul. et 1 Aug. a me, capta, quoque huc refero.

♂♀. Minuta, tenera, nigra. Antennæ brunneæ, subpuberulæ. Palpi in ♀ flavi. Alæ hyalinæ, nervis ad costam tenuibus, distinctioribus, brunneis, inferioribus adhuc tenuioribus, albidis. Halteres albi. Pedes sordide testacei, l. (in exsiccata) flavi, tarsis brunneis.

48. *Sc. longipes:* nigricans, opaca, thorace cinereo, vittis 3 obscuris; antennis in ♂ longitudine circiter $\frac{3}{4}$ totius corporis, in ♀ thorace paullo longioribus, in utroque sexu nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, nervis costalibus modice tenuibus, brunneis, reliquis paullo tenuioribus, dilute brunneis, omnibus sat conspicuis, furcati ramis modice longis, petiolo obsoleto; auxiliari (in ♂) non ad basin furcæ extenso; halteribus pallidis; pedibus dilute melleis; tarsis brunneis. ♂♀. (Long. ♂ circiter $\frac{1}{2}$, ♀ circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 286. 24. ♂♀. — et 6. p. 306. Macqv. Buff. 1. 150. 15. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 29. ♂♀.

Hab. in graminosis, per hortos et prata Scandinaviæ meridionalis et mediæ, mensib. Jul. et Aug. vulgaris, sub Muscis jam initio Maji aliqvoties etiam deprehensa; scilicet in Scania passim copiose, ex. gr. ad et circa Lund; in Westrogothia ad Tubbetorp 20 Jul. ♂, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Wadstená minime raro; in Jemtlandia ad diversorium Forsa prope Mulfjellet 27 Jun. uterque sexus non parce; in Norwegia ad Töien 5 Sept. D. *Siebke*; in Dania frequens, D. *Stæger*, qui specimina utriusque sexus etiam communicavit.

♂♀. Exsiccata. Per picturam thoracis præcipue dignota. Pusilla. Caput obscurum. Antennæ in ♂ longitudine parum ultra ⅔ corporis, basi proportione subvalidiusculæ, extrorsum paullo tenuiores; in ♀ longitudine vix dimidii corporis, filiformes; in utroque sexu nigræ; versus apicem brunneæ. Thorax griseo-fuscus, vittis 3 latiusculis obscuris, interdum minus distinctis. Abdomen in ♂ subcylindricum, fuscum l. obscurum, forcipe mediocri, obscura; in ♀ lanceolatum, acutum, nigrum, ano stylis 2 brevibus nigris. Alæ cinerascenti-hyalinæ, nervis omnibus sat perspicuis, ut in diagnosi directis et coloratis, costalibus subapproximatis. Rami nervi furcati in ♀ paullo longiores sunt, quam in ♂. Nervus auxiliaris in ♀ fere ad basin furcæ extensus. Tantum petiolus nervi furcati subobsoletus. Halteres albidi, clava pallide flava. Pedes proportione sublongiusculi, in exsiccata pallidi l. pallide flavi, in viva forsan mellei.

49. *Sc. venosa:* nigra, nitida; antennis in ♂ longitudine fere corporis, in ♀ capite thoraceque vix longioribus; alis fusco-vitreis, nervis distinctis, nigris; halte-

ribus pallidis; pedibus flavis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. ♂ circiter $\frac{3}{4}$—1, ♀ circiter 1—1$\frac{1}{4}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 285. 22. ♂♀.

Hab. in Dania, ubi uterque sexus in Ordrupskrat mense Sept. copiose inventus, teste D. *Stæger;* mihi tantum obvia in Jemtlandia boreali ad Åreskutan, Mulfjellet et Skalstugan, ut et in jugo alpino Norvegiæ ad Suulstuen mense Julio 1840; etiam in Töien prope Christianiam Norwegiæ ♀, D. *Siebke.*

"♂. Nitida, grisescenti-nigra. Palpi, halteres et pedes pallide flavi; sub trochanteribus puncto nigro; tarsis obscuris. Forceps tenuis, ferruginea. Alæ vitreæ, paullulum fuscanæ, nervis validis, tantum petiolo furcati obsoleto".

"♀. Palpi obscuri. Alæ paullo obscuriores, nervo longitudinali 1:mo (auxiliari) paullo longiori, quam in ♂, nempe fere ad basin furcæ extenso." *Stæg.* l. c.

Obs. Specimina nostra Jemtlandica et Norwegica pro comparatione cum Danicis, describere volo. *Mas:* fere $\frac{3}{4}$ lin. longus. Niger. Antennæ longitudine fere $\frac{3}{4}$ corporis, subvalidiusculæ, nigricantes, brevissime pilosulæ. Palpi flavi. Thorax nitidus, brevissime seriatim griseo-pilosulus. Abdomen cylindricum, opacum, forcipe mediocri, jam nigra, jam fusca. Alæ sordide hyalinæ, nervis omnibus sat conspicuis, obscuris, furcati ramis modice longis, petiolo obsoleto. Nervus auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, distincte ante basin furcæ cessans. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis brunneis. Sub trochanteribus punctum brunneum.

Femina: fere 1 lin. longa. Nigra. Antennæ thorace parum longiores, nigricantes, paullo tenuiores et minus pubescentes quam in ♂. Thorax nitidus. Abdomen lanceolatum, acutum subbrunnescenti-nigrum, opacum, oviductu exserto, nigro. Alæ subfuscanæ, nervis ut in ♂, sed furcati ramis paullo longioribus et auxiliari longiori fere ad basin furcæ extenso.

Halteres pallide flavi. Pedes flavi, tarsis brunneis. — Variat corpore fusco; junior.

50. *Sc. modesta:* griseo-fusca, opaca; antennis in ♂ longitudine fere corporis, albido-puberulis; alis hyalinis, nervis costalibus dilute brunneis, reliqvis tenuioribus, pallidis; halteribus pallide flavis; pedibus testaceis, tarsis apice obscuris. ♂. (Long. circiter 1 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 24. ♂.

Hab in Dania mense Majo, D. *Stæger;* neque loco specialiori, neque frequentia speciei indicatis. Mihi in reliqva Scandinavia non obvia.

♂. "*Sciaræ hirticorni* Meig. proxima, sed thorace opaco griseo-nigro. Antennæ albido-hirtulæ, longitudine fere corporis. Alæ hyalinæ, nervis ad costam brunneo-flavis, reliqvis pallidis, tenuibus. Halteres pallide flavi. Pedes testacei, apice tarsorum obscuro." *Stæg.* l. c.

51. *Sc. nitidula:* atra, thorace nitido, antennis filiformibus, in ♂ longitudine fere corporis, in ♀ thorace haud longioribus; alis subalbido-hyalinis, nervis costalibus tenuibus, dilute brunneis, reliquis tenuissimis, pallidis, furcati ramis longiusculis, auxiliari vix ad basin furcæ extenso; halteribus pallidis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. ♂ vix $\frac{1}{2}$, ♀ circiter $\frac{5}{8}$ lin.).

Hab. in Norwegia boreali litorali rarius, nempe in graminosis ad diversorium Thynæs et urbem Levanger in paroecia Skogn, mense Julio 1840 duo mares totidemque feminas inveni.

♂♀. Exsiccata. Corporis parvitas, nigredo et nitor, alarum nervorumque palliditas, nervi furcati ramorum longitudo,

tarsorum obscuritas, etc., sunt notæ, quæ simul consideratæ speciem ab affinibus distingvunt. Atra. Antennæ in ♂ longitudine saltem $\frac{3}{4}$ totius corporis, sat graciles, extrorsum fuscæ; in ♀ circiter longitudine thoracis, filiformes, nigræ, extrorsum fuscescentes. Stethidium nitidissimum. Abdomen maris subcylindricum, forcipe mediocri, nigra; feminæ anguste conicum, acutum; in utroque sexu nigrum, opacum. Alæ subalbicanti-hyalinæ, nervis ad costam tenuibus, pallide brunneis, reliquis adhuc multo tenuioribus et pallidioribus. Nervi furcati rami in ♂ modice longi, in ♀ multo longiores; inde nervus auxiliaris, qui in ♂ vix ad medium costæ productus paullulum ante basin furcæ desinit, in ♀ fere ad medium costæ continuatus fere etiam ad basin furcæ extensus. Halteres toti pallidi. Pedes flavi, tarsis brunneis.

52. *Sc. atomaria:* nigra, subopaca; alis subalbido-hyalinis, nervis costalibus tenuibus; dilute brunneis, reliquis tenuioribus, pallescentibus, sed tamen conspicuis, furcati ramis in ♂ subbreviusculis, petiolo obsoleto, auxiliari non ad basin furcæ extenso; halteribus pallidis; pedibus flavis, tarsis subfuscis. ♂. (Long. circiter $\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Norvegia, rarissime mihi obvia, tantum ad diversorium Thynäs in unico exemplo d. 4 Jul. 1840 deprehensa.

♂. Exsiccata. Similis priori, sed magnitudine adhuc fere duplo minore, et thorace non nitido, alarum nervi furcati ramis brevioribus, etc., satis superque distincta. Nigra, nec atra. Antennæ in specimine nostro apice mutilatæ, basi nigræ. Abdomen ut in præcedente. Alæ hyalinæ, leniter subalbicantes. Nervi ad costam tenues, dilute brunnei, reliqui adhuc tenuiores, sed dilute brunnei (nec albidi), unde in alis elevatis versus lumen visi paullo magis perspicui sunt, quam in præcedente. Nervi furcati rami breviusculi (in ♀

ignota forte longiores), longitudinem circiter $\frac{1}{3}$ totius alæ tantum attingunt. Nervus auxiliaris non omnino ad medium costæ extensus aperte ante basin furcæ disinit. Halteres flavescentes. Pedes pallescentes, tarsis (in specimine exsiccato) vix l. parum tantum sub-brunnescentibus.

b. saltem thorace pallescente.

53. *Sc. flavipes:* testacea, collari pallido; abdominis dorso fuscescente; antennis (in ♂ longitudine fere corporis) in ♀ thorace tantum paullo longioribus (in utroque sexu obscuris), radicula flava; fronte nigra; palpis pallidis; alis subalbido-hyalinis, nervis costalibus dilute brunneis, reliqvis tenuibus, pallidis, furcati ramis modice longis, auxiliari fere ad basin furcæ extenso; halteribus flavis; pedibus flavis, tarsis brunneis. ♂? ♀. (Long. circiter 1—1$\frac{1}{4}$ lin.).

Panz. Fn. Germ. 103. 15. ♂? (*) (abdomine nimis obscuro). — Meig. Dipt. 1. 283. 17. ♂? (ob antennas "corpori longitudine æquales"). — et 6. p. 306. — Macqv. Buff. 1. 150. 14. ♂? — Stæg. Dipt. Dan. 1840. 286. 27. ♀. Ejusdem Grönlands Antliater, 1845. p. 357. 20. ♀. (in exemplo læso).

Hab. in Scandinavia meridionali, sat rara; scilicet in Scania australi in silva faginea ad Lindholmen d. 9—10 Jul. 1838 aliquot feminas deprehendi; e Dania specimen femineum sub nomine: "*Sciar. flavipes* Meig." a D. *Stæger* etiam obtinui.

♀. Exsiccata. Caput nigricans. Antennæ thorace nonnihil lon-

*) in figura forceps analis *marem*, sed antennæ thorace parum longiores *feminam* repræsentare videntur.

giores, tenues, nigro-fuscæ, articulo 1:mo et 2:do magnis, flavis. Palpi flavi. Thorax testaceus l. ochraceus, vix nitidus, margine antico pallidiori. Abdomen lanceolatum, acuminatum, supra plus minusve intense fuscum, interdum tantum sordide testaceum, linea utrinque laterali obscura; ventre flavo. Alæ hyalinæ, leniter albido-tinctæ. Nervi costales modice tenues, dilute brunnei, reliqui tenuiores et pallidiores; auxiliaris fere ad medium costæ productus et fere ad basin furcæ extensus. Nervi furcati rami potius longiusculi, quam breviusculi, dicendi, petiolo subobsoleto. Margo interior tenuiter ciliatus. Halteres flavi. Pedes pallide flavi, tarsis brunneis, trochanteribus subtus puncto nigro.

Obs. Meigeni et Macqvarti species a nostra distingvitur: capite flavo (nec nigro), palpis brunneis (nec flavis), ut et antennis longitudine corporis (nec tantum thorace paullo longioribus), verosimiliter *mas.*

54. *Sc. lutea:* "lutea; antennis fuscis, articulis 2 basalibus flavis; alis hyalinis; tarsis brunneis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)." (*) *Meig.*

Meig. Dipt. 1. 287. 28. — et 6. p. 306. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 286. 28. ♂♀.

Hab. in Dania mensib. Jun. et Septemb., in pratis non raro, teste D. *Stæger.* A me numquam inventa, neque cognita.

55. *Sc. testacea:* rufo-testacea, opaca, collari pallidiori; capite, antennis in ♀ longitudine circiter thoracis totis, palpisque, nigris; alis subalbido-hyalinis, nervis costalibus dilute brunneis, reliqvis tenuibus, pallidis, furcati ramis modice longis, auxiliari fere ad basin furcæ extenso; halteribus flavis; pedibus flavis, tarsis brunneis. ♂. (Long. 1 fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

---

*) 1 vel $1\frac{1}{4}$ lin. secundum mensuram svecanam.

Hab. in Scandinavia boreali minus frequens; scilicet in Jemtlandia boreali ad alpem Mulfjellet et diversorium Skalstugan (prope jugum alpinum), 16—30 Jul. 1840 septem feminas inveni; in Norwegia ad Smölen d. 10 Aug. 1843 specimen femineum captum mihi quoque misit D. *Siebke*; in Bottnia boreali ad Torneå semel, beat. Doct. *Deutsch*.

♀. *Sc. flavipedi* (n:o 53) valde similis et affinis, sed colore thoracis saturatiori, abdominis dorso haud infuscato, et præsertim palpis antennisque totis nigris, sine dubio diversa. *Sc. flavipes* quoque tantum Scandinaviæ regionem meridionalem, *Sc. testacea* vero tantum regionem magis borealem inhabitare videntur. — Caput cum palpis nigrum. Antennæ thorace parum longiores, filiformes, extrorsum nigro-fuscæ, articulis 2 basalibus magnis, atris. Stethidium rufescenti-testaceum, thoracis dorso in bene conservatis certo situ lenissime cinereo-micante. Margo anticus (collare) in medio angustissimus, ad humeros latior, totus flavus; hinc in humeris quasi 2 puncta majuscula pallida prominent (uti etiam in *Sc. flavipede*). Abdomen lanceolatum acuminatum, totum rufo-testaceum. Alæ exacte ut in *Sc. flavipede*. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis brunneis.

Obs. Hanc speciem ad *Sciar. luteam*, cui licet proxima videatur, referre tamen non possum, cum *Meigen* l. c. expressis verbis dixit *Sc. luteam* antennarum articulis duobus basalibus flavis gaudere (*"an den braunen Fühlern sind die beiden Wurzelglieder gelb"*). In nostra specie hi articuli constanter atri sunt.

56. *Sc. trivittata:* thorace testaceo, vittis dorsalibus 3 nigris; capite antennisque nigris, his basi palpisque flavis; abdomine fusco; alis hyalinis, nervis pallidis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 287. 30. ♂.

Hab. in Dania, mense Septembri, D. *Stæger*, qui tamen neque locum specialiorem, neque frequentiam pro hac nova specie indicavit. — Mihi ignota.

♀. "Caput nigrum, facie albo-cinerea. Palpi et antennarum radicula flava. Thorax testaceus, vittis 3 latis, nitidis, nigris, media postice abbreviata. Scutellum testaceum. Abdomen sordide brunneum. Halteres, coxæ et femora flava; tibiæ obscuriores; tarsi et punctum sub coxarum articulo 2:do, nigra. Alæ hyalinæ: nervis costalibus flavis, reliqvis tenuibus, pallidis." Stæg. l. c.

Obs. 1. *Sciaram leucophæam* Meig. Dipt. 1. 288. 30. seu *Tipul. juniperinam* Fabr., ad *Lestremiæ* genus sub n:o 232 relatam invenies.

Obs. 2. *Sciara bimaculata* Fabr. Antl. 59. 12. in genere *Mycetophila* sub n:o 3 (*Mycetoph. bimaculata*) quærenda.

231. ZYGONEURA. Winth. Meig.

Corpus minutum, oblongum, glabriculum. Caput sessile. Antennæ corporis fere longitudine (♂), aut illo paullo breviores (♀); arcuatim reflexæ, 16-articulatæ (19-articulatæ secundum *Macqvart*), articulis 2 basalibus brevibus, crassiusculis, reliquis in ♂ remotis, ovatis, in ♀ approximatis. Palpi haud exserti. Oculi reniformes. Ocelli 3, inæque magni. Thorax ovatus, convexus, lævis, absque sutura transversa. Abdomen subcylindricum, 7-annulatum videtur (secundum *Macqvart* 8-annulatum). Alæ sat magnæ, latiusculæ, incumbentes, parallelæ, nudæ. Nervi longitudinales qvinque, quorum medius (3:tius) furcatus, unde 4 radii in marginem interiorem descendunt. Nervus furcatus fere e basi alæ oriundus, ra-

mis inæqualibus, superiori basi valde arcuato (*). Halteres elongati, nudi. Pedes mediocres l. longiusculi, tenues, nudiusculi, inermes, præter tibiarum anticarum apicem uni- et posteriorum apicem breviter bi-calcaratum. Coxæ mediocres. *Color* corporis niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in plantis, sæpe in societate cum *Sciara*. *Metamorphosis*: larvæ in radice Arctii Lappæ hybernare dicuntur. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* antennæ longitudine corporis, nodis 2 basalibus coadunatis, nudis, sequentibus distincte remotis, oblongis, verticillatim pilosis, abdomen subcylindricum, ano subcrassiusculo, forcipato; *femina:* antennæ corpore breviores, articulis subapproximatis, breviter puberulis; abdomen lanceolatum, acuminatum.

1. *Z. sciarina:* nigra, subnitida; alis hyalinis; halteribus fuscis, petiolo pallido; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 305. 1. ♂♀. Tab. 65. f. 15. ♂. Macqv. Buff. 1. 158. 1. ♂. Tab. 4. f. 8. 9.

Hab. in Daniæ Arctio Lappa mense Augusto, D. *Stæger*, qui specimina plura ex utroque sexu mihi benique communicavit; in Svecia etiam inventa, testante Prof. *Wahlberg*, loco incerto.

♂♀. Nigra. Antennæ in ♂ longissimæ, nodosæ, nodis verticillatim pilosis, perspicue distantibus, interstitiis fere longitudine nodorum; in ♀ breviores, puberulæ, articulis approximatis. Thorax nitidus. Abdomen opacum, in ♂ subcylindricum, ano forcipato, fusco l. flavido; in ♀ longe acuminatum. Alæ hyalinæ, nervis costalibus modice tenuibus, brun-

*) Nervorum directio fere similis est ac in *Sciara*, præter nervum furcatum, cujus præcipue ramus superior basi valde curvatus quasi ventricosus deprehenditur.

neis, reliqvis nonnihil tenuioribus, sed tamen perspicuis, excepto furcati petiolo valde obsoleto, fuscis. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) non ad medium costæ extensus et distincte ante basin furcæ desinens; 2:dus elongatus fere ad apicem alæ productus paralleliter cum costali et non longe ab illo remotus; 3:tius furcatus, ramis modice longis, horum præsertim superiori basi valde arcuatim flexo, et inferiori basi quoque leniter flexo, hinc furca basi eximie dilatata; 4:tus 5:tusque in medio marginis interioris excurrentibus, 4:tus leniter, 5:tus vero distincte arcuatus. Halterum clava brunnea, petiolo pallido. Pedes flavi, tarsis brunnescentibus.

---

232. LESTREMIA. Macqv.

Corpus minutum, oblongum, glabriculum. Caput sessile. Antennæ (in exemplis a me lustratis) in ♂ longitudine fere corporis, remote articulatæ, articulis pilosis; in ♀ longitudine circiter capitis et thoracis, filiformes, pilosulæ; 14—15-articulatæ (12-articulatæ secundum *Meigen*), articulis 2 basalibus brevibus, coarctatis, nudis. Oculi reniformes. Ocelli conspicui nulli. Thorax ovatus, convexus, absque sutura transversa. Abdomen subcylindricum, 8-annulatum. Alæ majusculæ, modice latæ, incumbentes, plerumque hirtulæ. Nervi longitudinales quinque, quorum medius (seu tertius) furcatus, unde 4 radii in marginem interiorem descendunt. Nervus auxiliaris sæpissime breviusculus; furcatus paullo ante medium costæ insertus (nec e basi alæ oriundus), ramis subæqualibus, superiori basi leniter curvato, unde furca basi parum dilatata, minime ventricosa (*). Pedes longiusculi, te-

*) Nervorum directio in alis *Lestremiæ* igitur similis fere ut

nues, nudi, inermes, tibiis apice non calcaratis. Metatarsi elongati. *Color* corporis ferrugineus, nigricans, niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in plantis variis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* antennæ longitudine fere corporis, nodosæ, nodis 2 basalibus coadunatis, nudis, sequentibus distincte remotis, oblongis, verticillatim pilosis; abdomen subcylindricum, ano forcipato; *femina:* antennæ (in speciminibus a me visis) longitudine thoracem parum excedentes, filiformes, articulis approximatis, pubescentibus; abdomen modice latum, apice subacutum. — *Typus* generis: *Lestr. leucophæa.*

1 *leucophæa* Meig. (*Tipula juniperina* Fabr. non *Linn.*) ♂♀. 2 *cinerea* Macqv. (*Lestr. fusca* Meig.) ♂♀. 3 *brevinervis* Zett. (*Sciara aprilina* Zett. Ins. Lapp.) ♀.

1. *L. leucophaea:* flavo-testacea, opaca, thoracis disco dorsali cinerascente; antennis brunneis, alis hyalinis, hirtulis, nervis pallescentibus, furcati ramis elongatis; halteribus pallidis; pedibus flavis, tarsis dilute brunneis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 308. 1? ♂. Tab. 65. f. 16. Macqv. Buff. 1. 158. 2? ♂. — *Sciara* eadem Meig. Dipt. 1. 288. 30. certe. — *Tipula juniperina.* Fabr. Ent. Syst. 4. 251. 83 (exclus. syn. Linn. et Degeer.). *Chironomus* idem Fabr. Antl. 47. 42.

Hab. in Scandinavia meridionali et media, valde rara; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia

---

in *Sciara*, præter insertionem nervi furcati aliam. Metatarsus quoque elongatus ut in *Sciara*. Qvoad vero antennarum structuram *Lestremia Cecidomyzæ* accedit, ut rite admonuit *Macqvart.*

ad Holmiam, teste Prof. *Wahlberg;* e Dania sub nomine: "*Lestrem. leucophæa* Meig. *Chiron. juniperinus* Fabr.", in utroque sexu 1839 communicata a D. *Stæger*, qui mares versus finem Septembris in truncis arborum muscis vestitis invenit.

♂♀. Exsiccata. Opaca, tenera, glabra. Caput obscurum. Antennæ in ♂ longitudine fere corporis, nodosæ (nodos 13 in singula antenna numero, præter articulos 2 basales coadunatos), nodis subrotundatis, verticillatim pallide pilosis, obscuris, interstitiis pallidis; in ♀ capite thoraceque parum longiores, sordide testaceæ, pubescentes. Oculi nigri. Stethidium flavo-testaceum, thoracis dorso dilute brunnescenti-cinereo (vix vittato), margine antico pallido. Abdomen in ♂ cylindricum, sordide testaceum, ano breviter forcipato, flavo; in ♀ rufo-testaceum, subacutum. Alæ in utroque sexu hyalinæ, tenuiter hirtulæ, nervis costalibus modice crassis, dilute brunneis, reliquis tenuioribus. Margo interior ciliatus. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) non usque ad medium costæ productus, et 2:dus non usque ad apicem alæ (circiter $\frac{1}{6}$ ante apicem cessat) extensus, cum nervo costali paralleli et ei approximati; 3:tius furcatus mox ante apicem auxiliaris insertus, petiolo breviusculo, lenissime flexo, ramis distincte elongatis, æqualibus; superiori leniter flexuoso; 4:tus subrectus, et 5:tus arcuatus, in marginem interiorem descendunt, liberi. Halteres sordide albidi, petiolo longiusculo. Pedes pallide flavi, tarsis dilute brunneis. Metatarsus anticus tibia tantum circiter $\frac{1}{4}$ brevior. Tibiæ omnes apice muticæ, non calcaratæ.

Obs. Synonyma Hoffmanseggii et Meigenii *Sciaræ leucophææ* (in Dipt. 1. 288. 30: "thorace fusco; abdomine livido; pedibus pallidis; alis hyalinis") mihi certa; sed *Lestremia leucophæa* Macqvarti et Meigeni (in Dipt. 6. 308. 1: "lutea, thorace vittis tribus fuscis") dubia videntur.

2. *S. cinerea:* obscure cinerea, opaca; antennis

brunneis; alis hyalinis hirtulis, nervis pallescentibus, furcati ramis elongatis; pedibus flavis, tarsis brunneis. ♂♀. (Long. circit. $\frac{7}{8}$ lin.).

Macqv. Dipt. du Nord, 1823, 1. p. 173. 1. Tab. 4. f. 3 (ala). — et Buff. 1. 157. 1. ♂♀. Tab. 4. f. 6. 7. — *Lestrem. fusca* Meig. Dipt. 1830, 6. 309. 2. ♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger*, a quo marem missum possideo.

♂. Exsiccata. Similis priori, sed magis obscura et forte paullo minor. Opaca, tenera, glabra. Caput cinereum. Antennæ ut in mare præcedentis, sed nodi, ni visu fallor, 14 præter articulos 2 basales coadunatos. Oculi nigri. Stethidium obscure cinereum, collari angusto, pallido. Abdomen cylindricum, nigro-brunneum, forcipe parva, dilutiori. Alæ exacte ut in præcedente. Halteres (clava abscissa) petiolo pallido. Pedes pallide flavi, tarsis brunneis. Metatarsus anticus tibia circiter $\frac{1}{2}$ l. fere dimidio brevior. Tibiæ omnes absque calcaribus apicalibus.

♀ a *Macqvart* et *Meigen* l. c. etiam affertur, mihi ignota.

Obs. Hæc species a *Macqvart* in pratis mense Majo, et a *Meigen* in hortis Augusto, habitare dicitur.

3. *L. brevinervis:* canescens, opaca; abdomine testaceo; alis cinereo-hyalinis, nudis, nervis pallescentibus, furcati ramis brevissimis; pedibus flavis. ♀. (Long. $\frac{7}{8}$ lin.).

Sciara aprilina Zett. Ins. Lapp. 828. 15. ♀ (immerito ♂), exclusis synonymis.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, mihi tantum ad Wilhelmina d. 15 Jul. 1832 in fenestra semel obvia.

♀ Exsiccata. Per nervorum figuram facillime dignota. Tenera, opaca, glabra. Caput cinereum. Antennæ mutilatæ. Oculi

nigri. Stethidium testaceum, thoracis dorso cano. Abdomen anguste conicum, sordide testaceum, ano acuto. Alæ majusculæ, abdomine multo longiores, nudæ, in diu exsiccata albido- l. pallido-hyalinæ, nervis costalibus mediocriter validis, dilute brunneis, reliqvis paullo tenuioribus, flavidis, omnibus sat perspicuis. Margo interior tenuiter ciliatus. Nervi longitudinales: 1:mus (auxiliaris) saltem ad medium costæ productus (nec ut in Insectis Lappon. male dicitur "*vix tantum ad tertiam partem costæ extensus*"); 2:dus fere ad summum apicem alæ continuatus, cum costali parallelo et ei approximato; 3:tius furcatus nonnihil ante medium costæ insertus, petiolo longissimo, lenissime flexo, ramis brevissimis, petiolo saltem triplo brevioribus, æqualibus; 4:tus omnino rectus, et 5:tus distincte deflexus in marginem interiorem descendunt. Halteres hodie abscissi. Pedes longiusculi, tenues, subnudi et inermes, tibiis apice minime calcaratis; toti flavi. Metatarsus tibia fere duplo brevior.

Obs. 1. Qvando plura specimina, quæ inter se comparari possunt, in posterum detegantur, et antennarum structura differentiaque sexualis cognitæ fiant, hæc species (in genere *Lestremia* satis anomala) sine dubio novum constituere possit genus, *Sciaræ* et *Lestremiæ* affine.

Obs. 2. *Lestremia albipennis*, quam *Meigen* in Dipt. 7. 50. 3. breviter ita adumbravit: "nigra, nitida; pedibus fuscis; alis albis; 1 lin. long.", affinis et subsimilis videtur nostræ *Sciaræ coracinæ* p. 3739 n:o 27, quæ conferatur.

Fam. 49. TIPULIDES Zett.

233. ERIOPTERA Latr.

Corpus in hac familia mediæ aut minoris magnitudinis (ab $1\frac{1}{2}$ usque ad $2\frac{1}{2}$ lin. long.), elongatum, tenuiter pubescens. Ca-

put parvum, globosum. Os parum productum. Antennæ porrectæ, in utroque sexu simplices, filiformes l. subsetiformes, pilosulæ, 16-articulatæ, articulis: 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi (in n:o 2 magno), reliquis parvis, ovatis. Oculi rotundati, distantes, in viva atro-purpurei, in mortua nigri. Ocelli nulli. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, pubescentes, 4-articulati, articulis subæqualibus. Thorax in medio sutura transversa, sinuata. Abdomen subcylindricum aut subfusiforme, puberulum, 8-annulatum. Alæ incumbentes, parallelæ, longiusculæ, modice latæ, nervis plus minusve dense, interdum parce villosis, tantum 6 longitudinalium apice in marginem interiorem ciliatum descendentibus. Nervus longitud. 1:mus pone medium costæ extensus. Area basalis intermedia elongata, gemina, e cujus apice nervi subquinque emittuntur, quorum 2 furcati. Halteres elongati, nudi. Pedes longi, intermedii paullulum breviores, omnes graciles, fragiles, puberuli, inermes, nec tibiis apice calcaratis. Coxæ non elongatæ. *Color* pallidus aut cinereus. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis et fruticibus, per prata et silvas, libenter locis paludosis. Imagines innocuæ. Lavæ sub terra degunt. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano stylis 2 corneis munito. *Typi* generis: *Er. maculata* et *flavescens.*

Sect. 1. Alarum areola discoidalis (*) adest.

Nervi transversi omnes aut in medio aut mox pone medium alæ siti, lineolam subperpendicularem formantes; hinc areæ ambæ basales subæque longæ.

1 *maculata* Meig. ♂♀. 2 *cinerascens* Meig. (var. a. b.) ♂♀. 3 *imbuta* Meig. ♂♀. 4 *fuscipennis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 5 *denudata* Zett. ♀.

---

*) conferatur Dispositio in Tomo 1:mo p. 94.

Sect. 2. Alarum areola discoidalis deest.

*). Nervi transversi in medio alæ siti; hinc areæ basales subæque longæ.

6 *flavescens* Linn.? Meig. (*Eriopt. lutea* Zett. Ins. Lapp. ex parte) ♂♀. 7 *lutea* Meig.? ♂. 8 *montana* Meig. 9 *tænionota* Meig.? (*Eriopt. analis* Zett. Ins. Lapp. ♀) ♂♀. 10 *flavipennis* Stæg. ♀. 11 *fuscipennis* Meig.? ♂♀. 12 *lineata* Meig. ♂♀. 13 *nodulosa* Macqv. ♂♀. 14 *similis* Stæg. ♂♀. 15 *trivialis* Meig. ♂♀. 16 *varia* Meig. ♂♀. 17 *hæmorrhoidalis* Zett. ♂♀. 18 *obscuripés* Zett. n. sp. ♂♀. 19 *sordida* Zett. ♀. 20 *ruficauda* Zett. ♀. 21 *diluta* Zett. n. sp. (an *Er. cinerascens* Stæg.? ♂) ♂♀.

**). Nervi transversi dissiti, unum nempe in medio l. mox pone medium, alter nonnihil ante medium alæ ductus; hinc areæ basales inæqvaliter longæ, harum interior (l. postica) brevior.

a. corpore flavescente.

22 *ochracea* Meig. ♂♀. 23 *appendiculata* Stæg. ♂♀.

b. corpore obscuro.

24 *murina* Meig. ♂. 25 *atra* Meig. (*Tipula erioptera* Fabr.) ♂♀. 26 *grisea* Meig. ♂♀. 27 *obscura* Meig. ♂♀.

Erioptera.

Sect. 1. Alarum areola discoidalis adest.

Nervi transversi omnes aut in medio aut mox pone

medium alæ siti, lineolam subperpendicularem formantes; hinc areæ ambæ basales subæque longæ.

1. *E. maculata:* testacea, antennis concoloribus; alis maculis numerosis ocellaribus ferruginantibus, petiolo furcæ anterioris illo posterioris breviori; pedibus flavis, femoribus anticis annulo medio, omnibusque apice, obscure brunneis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 108. 1. (certe, licet inter areola discoidali destitutas relata). Macqv. Buff. 1. 110. 1. vera. Stæg. Dipt. Danica (in Kröjers Tidskrift 1840) p. 52. 1. ♂♀. Wiegmann et Ruthe, Handb. der Zool. 1843. p. 465. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 1.

Hab. in fruticibus præsertim ad aqvas aut locis humidis, per hortos, prata et silvas Scandinaviæ meridionalis, passim frequenter; alibi rarius; mihi Julio et Augusto imprimis obvia; scilicet in Scania ad Fogelsång, Abusa, Skarhult, ambas villas Esperöd (in paroeciis Tranås et Mellby), etc., non parce lecta; e Dania a D. *Stæger* etiam communicata.

♂♀. Species valde distincta. Tota testacea l. sordide flava, opaca. Oculi in viva obscure virescentes, in mortua nigri. Palpi brunnei. Abdomen linea utrinque laterali, et media plerumque obsoletiori, fuscis. Anus in ♂ crassiusculus, flavidus, puberulus, in ♀ stylis 2 corneis ferrugineis nitidis. Alæ pallide hyalinæ, nervis omnibus flavis, et totis hirtis. In singula ala maculæ adsunt plures brunneæ l. ferruginantes, plus minusve distincte ocellares, quædam discretæ, aliæ cohærentes; harum costales subquinæ, liberæ et perspicuiores, discoidales magis obsoletæ. Areola discoidalis oblonga, irregularis. Areæ basales subæque longæ (anterior paullulum altior); ex his nervi 5 ad marginem alæ tendunt, quorum 2

furcati, et horum anterioris (costæ proximi) petiolus brevior, unde rami valde elongati, posterioris vero nonnihil longior, unde rami paullo breviores evadunt. Non longe a basi furcæ anterioris conspicitur nervulus parvus perpendicularis (*), qui hujus furcæ ramum superiorem et nervum longitudinalem 2:dum connectit. Nervorum longitudinalium 9:nus (ad marginem interiorem basi proximus seu nerv. *axillaris* Macqv. (**) breviusculus, subrectus, apice tantum deflexus, et 8:vus longior rectus, basi cohærentes, extus sensim divergunt, apice (ad marginem alæ) longe remoti. Halteres pallidi, clava saturatiori. Pedes pallide flavi, femoribus anticis annulo fere in medio l. mox ante medium, et omnibus annulo ad apicem, modice latis obscure brunneis.

Obs. Hanc speciem quoad nervorum directionem sat fuse descripsi, ut typica fuerit.

2. *E. cinerascens*: dilute cinerea, opaca; abdomine fuscescente; alis cinereo-hyalinis, pedibus brunneis, basi dilutioribus; antennarum articulo 2:do crasso. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 114. 15. T. 4. f. 6 (antenna). — Macqv. Buff. 1. 110. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 831. 11. (ex parte). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 14? (ad species absque area discoidali relata). ♂. *Cheilotrichia* eadem Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 12. 2.

Hab. in paludosis et agris demessis, per Scandinaviam mihi tempore autumnali passim obvia; scilicet in Scania ad Lund etc. 1—25 Sept. sat frequens; in Westrogothia ad Tubbetorp ♀ 20 Jul., D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, D.

*) qui *nervulus connectens* a me vocatur.

**) hic nervus etiam a quibusdam *septimus* nominatur.

Prof. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi rarissime; in Nordlandia Norwegica ad diversorium Björkvik juxta Ofodenfjord, semel.

♂♀. Læte cinerea. Antennæ obscuræ, extrorsum graciles, articulo 2:do præsertim grosso. Thorax linea laterali pallida. Abdomen vitta dorsali obscura. Anus flavus. Alarum nervi perspicui, fere ut in priori directi, sed areola discoidalis brevior, ovata l. subcuneata, nervusque longitudinalis 9:nus multo longior, leniter flexuosus et 8:vo magis approximatus, unde horum nervorum apices ad marginem alæ interiorem non longe remoti. Præterea duorum nervorum furcatorum petioli fere æque longi sunt. Nervulus transversus furcam superiorem et nervum longit. 2:dum connectens adest. Nervi in disco alæ nudi, versus apicem tenuiter hirti. Halteres albidi. Pedes brunnescentes, trochanteribus femoribusque basi flavis. — Valde similis *Er. triviali* n:o 15, et præter areolam discoidalem parum discrepat.

Var. b. ♂. similis var. a., sed duplo minor et nervo long. 9:no seu axillari breviori diversa; ad Lycksele 3 exempla 1832 legi.

Obs. 1. In ala altera areola interdum aperta, nervulo scilicet transverso obsoleto aut deficiente.

Obs. 2. Sub nomine: "*Er. trivialis* Meig." specimen masculum hujus e Dania ante plures annos (1837) obtinui.

3. *E. imbuta:* pallide flava; geniculis, et tibiarum tarsorumque apice brunneis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 114. 14. ♂. T. 4. f. 8. ♂. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 13. ♂♀. *Cheilotrichia* eadem Rossi, Diptera Austr. 1848. p. 12. 1.

Hab. in Dania ad Charlottenlund Jun. Jul., D. *Stæger*, qui mihi specimina utriusque sexus communicavit. Mares frequenter sole occidente choreas ducunt, feminæ rarius obveniunt. — Marem ad Töien prope Christiani-

am Norwegiæ 6 Jul. 1849 captum quoque misit D. candidatus *H. Siebke.*

♂♀. Tota albido-flava, opaca. Antennæ (in exsiccata) fuscæ. Oculi nigri. Thoracis dorsum et abdomen paullo saturatius flavum. Abdomen pallide pubescens, in ♂ forcipis ungvibus ovatis, incurvis, pilosulis. Alæ in utroque sexu pallidæ et pallide nervosæ, nervis in disco tenuissime, versus apicem distinctius villosulis. Areola discoidalis oblongo-ovata, subpentagona. Furca antica posteriori multo brevior. Nervus longitudinalis 9:nus modice remotus. Nervulus connectens adest. Halteres flavi, petiolo albido. Pedes albidi, geniculis anterioribus non late, tibiarumque omnium apice subanguste, sat determinate obscure brunneis. Genicula postica pallidissime brunnea. Tarsorum omnium articuli duo l. tres primi summo apice, reliqui toti dilute fusci.

4. *E. fascipennis:* grisea; antennis obscuris; alis cinereo-hyalinis, undique villosulis, fascia nubeculari abbreviata, brunnea; halteribus albidis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ saltem 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 831. 9. ♂♀. Stæg. Grönlands Antliater in Kröjers Tidskrift 1845. p. 355. 16. ♂♀. — Bohem. Öfversigt af Vet. Akad. Förhandl. 1844. p. 102.

Hab. in inferis alpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ, rarissime: ad Tromsoe d. 24 Jul. 1821 unicam femineam inveni; marem e Grönlandia per D. *Westermann* obtinui. — In Lapponia Lulensi ad Qvickjock, teste Prof. *Boheman* l. c.

♂♀. Tota griseo-fusca, opaca, pubescens. Antennæ obscuræ. Oculi nigri. Palpi fusci, articulo 2:do incrassato. Thoracis limbus humeralis pallidus. Scutellum testaceum. Abdomen distincte pallide pubescens, in ♂ linea utrinque laterali et

unica media dorsali obscurioribus, in ♀ stylis caudalibus ferrugineo-flavis. Alæ sordide albidæ, irisantes, undique pube brevissima tenuissima vestitæ, nervis brunneis. Nubecula distincta, saturate brunnea; ex hac descendit fere ad medium alæ fascia angusta indeterminata valde obsoleta fusca, nervos transversos transiens; hæc vero pictura in ♀ paullo perspicuior, quam in ♂. Areola obovata nervos 3 simplices emittit. Nervus longitudin. 9:nus longiusculus, leniter flexuosus, apice ad marginem interiorem alæ non longe ab 8:vo remotus. Nervulus connectens adest. Halteres albidi. Pedes pubescentes, fusci, femoribus basi paullo dilutioribus.

Obs. Specimen ad Alstahaug Norwegiæ 8 Jul. 1840 inventum, speciei genuinæ simillimum, sed alis tantum magis denudatis aberrans, huc ut varietatem detritam refero.

5. *E. denudata:* cinerea; antennis fuscis; alis cinereo-hyalinis, nudis, postice nervis tenuiter hirtis, stigmate pallide fusco, halteribus albidis; pedibus fuscis, coxis totis femoribusque basi flavis. ♀. (Long. circiter 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 831. 10. ♀. (ex parte).

Hab. in Lapponiæ paludosis rarissime; ad novaccolum Umenäs Lapponiæ Umensis 8 Jul., et ad pagum Wittangi mense Junio inventa; in Norwegia ad Alten Finmarkiæ etiam semel.

♀. Obscure cinerea, subopaca. Abdomen fuscum, incisuris certo situ tenuiter albo-micantibus. Styli anales rufi. Alæ albido-hyalinæ, nervis gracilibus, pallidis, nudis, tantum pone transversorum seriem tenuiter hirtis. Areola ovato-oblonga nervos tres emittit, quorum anticus furcatus. Furca antica posteriori duplo longior. Nervus longitudinalis 9:nus breviusculus, apice ad marginem interiorem alæ deflexo longe ab 8:o remotus. Nervulus connectens nullus Macula stigmaticalis oblonga pallide fusca. Halteres albi. Pedes brun-

nescentes, coxis fere totis, femorumque basi flavis. — An *Limnobiæ* speciei? sed alæ postice nervis hirtulis.

Sect. 2. Alarum areola discoidalis deest.

*). Nervi transversi in medio alæ siti; hinc areæ basales subæque longæ.

6. *E. flavescens:* pallide flava, opaca, alis cum nervis concoloribus, nervo 9:no longitudinali elongato, furca anteriori et posteriori subæque longis; antennis extrorsum, lineaque dorsali abdominis sæpe obsoleta, fuscis; pedibus pallide flavis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 109. 2. T. 4. f. 9. (ala). Zett. Ins. Lapp. 829. 1. ♂♀. (ex parte). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 54. 9. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 7. *Tipula flavescens* Linn. Fn. Sv. n:o 1753? Fabr. Antl. 31. 37. *Eriopt. lutea* Zett. Ins. Lapp. 829. 2. ♂♀. variet.

Hab. in fruticibus libenter locis paludosis, per hortos et prata Scandinaviæ, a mense Majo usque ad Septembrem, vulgaris, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ubique frequens; in Westrogothia ad Tubbetorp; in Ostrogothia ad Wadstena et Gusum; in Gottlandia ad Thorsborg; in Jemtlandia ad Mulfjellet etc. frequens; in Lapponiis Umensi et Tornensi minime parce; in Norwegia ad Christianiam, Trondhjem, Näs, Thynäs, etc. copiose; in Dania non raro. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam, ♂ et ♀ 20 Maj. 1842, D. *Dahlbom*).

♂♀. Tota pallide flava, subopaca, pallide pubescens. Antennæ longitudine thoracis, sæpe fuscescentes, basi pallidæ. Oculi in viva purpurascentes (♂), aut ænescentes (♀). Thorax dorso vittis 3 saturatioribus. Abdomen dorso plus l. minus infuscato, sæpe tantum linea media fusca notato, et interdum

(in mortua) totum flavum, immaculatum. Forceps maris crassiuscula. Alæ pallide hyalinæ. Nervi pallidi, toti pallide villosi; transversi arcum formantes; longitudinalis 9:nus elongatus, paullo flexuosus, apice ad marginem interiorem alæ non longe ab 8:o remotus. Furca anterior posteriori tantum paullulum longior; inter ambas nervi duo paralleli in apice alæ excurrunt. Nervulus connectens adest. Halteres pallidi, clava saturatiori. Pedes toti pallide flavi, tarsis tantum apice dilute brunnescentibus. — Mares choreas ducentes copiose vidi.

7. *E. lutea;* flava; antennis palpisque brunneis, illarum basi flava; alis subfuscescentibus, nervis brunneis, longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori parum longiori; pedibus dilute fuscis, basi pallidioribus. ♂. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 110. 3? Macqv. Buff. 1. 110. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 10. ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali verno tempore rarius, mihi in Scania ad Lund obvia; in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke*; in Dania, D. *Stæger;* in Ostrogothia ad Gusum, testante Prof. *P. Fr. Wahlberg.*

♂. Priori sat similis, sed paullo minor et obscurior. Antennæ fuscæ, articulis 2 primis flavis. Palpi fusci. Thorax flavidus, vitta dorsali brunnea. Abdomen flavidum, linea dorsali irregulari, brunnea. Forceps analis crassiuscula, rufa, hirta. Alæ sordide hyalinæ. Nervi brunnescentes, villosi; transversi arcum formantes; longitudinalis 9:nus elongatus, paullo flexuosus, apice ad marginem interiorem non longe ab 8:vo remotus. Furca anterior posteriori tantum paullulum longior. Nervulus connectens adest. Halteres pallidi, clava brunnescente. Pedes flavescentes, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco.

8. *E. montana:* sordide flava; antennis longitudine dimidii corporis, palpisque brunneis, illarum basi flava; alis dilute cinerascentibus, nervis brunneis; pedibus fuscis, femoribus basi flavescentibus. (Long. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 110. 4. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 11. 3.

Hab. in Uplandia ad Holmiam, affirmante Prof. *Wahlberg;* mihi in Scandinavia non obvia, nec a me visa.

Priori affinis et valde similis videtur, sed duplo minor et colore corporis pedumque nonnihil diverso forte distincta. Flavicans. Antennæ fuscæ, articulis 2 basalibus flavis. Palpi fusci. Alæ pallide cinereæ, fusco-nervosæ. Halteres flavi, clava brunnea. Pedes fusci, femorum basi flavida.

Obs. Secundum *Meigen* hæc species in montibus ad Imgenbroich locis humidis valde frequens.

9. *E. tænionota:* testacea, opaca; thorace brunnescente, margine antico albido; antennis longitudine dimidii corporis, fuscis, basi flavidis, abdomine supra fuscescente, ano rufescente; alis subhyalinis, nervis pallide brunneis, longitudinali 9:no brevi, furca anteriori posteriori parum longiori; pedibus pallide fuscis, femoribus basi flavidis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 111. 5? Macqv. Buff. 1. 110. 4? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 11? ♂♀. *Eriopt. analis* Zett. Ins. Lapp. 830. 8. ♀.

Hab. in fruticibus et pratis humidis, per Scandinaviam, mens. Jun. Julio, passim rarius; scilicet in Scania ad Skarhult rarissime; in Norwegia ad diversorium Oestre-Näs (4 mares), et in Nordlandia ad diversor.

Björkvik juxta Ofodenfjord, bis; in Dania sat frequens, D. *Stæger.*

♂♀. Pallide rufescens. Caput albidum, macula verticis fusca. Antennæ in ♂ moniliformes, modice pilosæ, in ♀ filiformes, in utroque sexu fuscæ, articulis 2 primis flavidis. Palpi brunnei. Stethidium brunnescens, thoracis margine antico albido. Abdomen testaceum, dorso infuscatum. Anus rufo-flavus. Alæ (in exsiccatis) cinereo-hyalinæ, nervis dilute brunneis, villosis, 9:no brevi, leniter arcuato, apice ad marginem interiorem sat late a longitudinali 8:vo recto remoto. Furca antica postica tantum paullulum longior, unde illius petiolus hujus petiolo nonnihil brevior; inter ambas nervus solitarius in apice alæ excurrit. Nervi transversi lineam parum arcuatam formant. Nervulus connectens adest. Halteres pallidi, clava apice brunnescente. Pedes testacei, femoribus, tibiis tarsisque versus apicem brunneis. — Individuum masculum, in cujus altera ala areola discoidalis adest, in Jemtlandia ad Mulfjellet 30 Jul. 1840 semel inveni.

10. *E. flavipennis:* fusca, alis cum nervis, halteribus femorumque basi flavis; alarum furca antica et postica subæque longis. ♀. (Long. 2 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 12. ♀.
Hab. in Dania, D. *Stæger.* Mihi ignota.

♀. "Fusca. Pleuræ, coxæ et metathorax dilute cinerea. Abdomen magis flavo-brunneum, ano rufo-flavo. Alæ flavescentes, flavo-villosæ, nervis flavis. Halteres pallide flavi, clava apice puncto brunneo. Femora basi et trochanteres flava." *Stæg.* l. c.

11. *E. fuscipennis:* fusco-cinerascens, opaca; thoracis vitta dorsali fusca; antennis longitudine thoracis, obscuris; alis sordide hyalinis, nervis dilute brunneis,

villosis, longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori parum longiori; halterum clava abdomineque fuscis; pedibus brunneis, coxis femorumque basi flavidis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 111. 6? Macqv. Buff. 1. 111. 5? ♂♀. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 50. 8. ♂.

Hab. in silvis Daniæ Aug. et Sept. rarius, D. *Stæger*, a quo etiam specimen masculum obtinui; in Scaniæ graminosis ad Lund (in horto proprio), Lomma, Esperöd, etc., utrumque sexum Jun. Jul. Sept. parce legi.

♂♀. Exsiccata. Fuscescens. Antennæ breviusculæ, filiformes, fuscæ, basi nigricantes. Palpi obscure brunnei. Thorax cinerascenti-fuscus, vitta dorsali obscuriori, margine antico tenui, pallido. Abdomen nigro-fuscum, maris forcipe anali breviuscula, sordide flavida; ano in ♀ brunneo-flava. Alæ sordide hyalinæ (secundum *Meigen* "fuliginosæ"), nervis subbrunneis, totis sordide villosis. Nervi longitudinales: 7:mus validus; 9:nus elongatus, subflexuosus, apice ad marginem interiorem ab 8:vo subrecto non longe remotus. Furca antica postica tantum paullulum longior, petiolo ambarum breviusculo; inter ambas nervi 2 in apice alæ excurrunt. Nervulus connectens adest. Halteres brunnei, petiolo pallido. Pedes fusci, coxis femoribusque basi flavidis. — *Er. triviali* n:o 15 valde affinis.

12. *E. lineata:* cinerea, opaca, thoracis linea dorsali fusca; antennis dimidio corpore nonnihil longioribus, nodosis, obscuris, nodis remotis, distincte pilosis (♂), aut thorace parum longioribus, subfiliformibus, fuscis, pubescentibus (♀); abdomine nigro-brunneo; alis subhyalinis, undique villosulis, nervis conspicuis, brunneis, longitudinali 9:no brevi, furca anteriori posteriori

multo longiori, stigmate obscuro; halteribus albidis; pedibus testaceis; femoribus ad apicem late brunneis. ♂♀. (Long. circiter 2, fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 111. 7. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 111. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 53. 3. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 11. 6.

Hab. in graminosis ad aqvas, Maj. Jun. et iterum Sept., per Scandinaviam præsertim meridionalem et mediam, passim; in copula quoque observata; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd, etc., non parce; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Mulfjellet Jul. rarius; in Norwegia ad Christianiam, D. *Siebke*, ad Alstahaug frequens, ipse; in Dania, D. *Stæger*. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam 15—20 Maj. 1842 plura specimina utriusque sexus legit D. *Dahlbom*).

♂♀. Antennis in ♂ longioribus, nodosis, et in utroque sexu nervorum directione et crassitudine, ut et stigmate obscuro, præcipue a priori dignoscitur. Cinerea. Antennæ totæ obscuræ (in junioribus fuscæ), in ♂ nodosis, nodis distantibus, perspicue verticillatim pilosis; in ♀ paullo brevioribus, subfiliformibus, extrorsum tenuioribus, totis pubescentibus. Palpi obscuri. Thoracis linea dorsalis angustata, fusca. Abdomen pubescens, in ♂ obscurum, ano interdum fusco l. rufescente; in ♀ fuscum, stylis analibus ferrugineo-flavis. Alæ sordide hyalinæ, totæ villosulæ, nervis distinctis, fuscis, stigmate oblongo, obscuro. Nervi longitudinales: 9:nus breviusculus, 8:vus longiusculus, ambo recti, ad marginem interiorem sat late remoti. Furca antica postica aperte longior, et hinc illius petiolus petiolo hujus fere duplo brevior. Ramus inferior furcæ posterioris basi valde curvatus. Nervus solitarius inter duas illas furcas (ab area discoidali ad sum-

mum apicem alæ ductus) præ ceteris validus. Nervi transversi lineam fere rectam formant. Nervulus connectens adest. Halteres albidi. Pedes testacei, femoribus apice sat late brunneis, basi cum coxis fere totis flavis. Tibiarum tarsorumque apex etiam fuscus.

Var. b. ♀. simillima var. a., sed thoracis linea dorsali fusca valde obsoleta, vix ulla; sequenti (*E. nodulosæ*) prope accedit. E Dania a *Stæger*, et e Neuenkirchen a *Dahlbom*, 2 specimina obtinui.

13. *E. nodulosa:* læte cinerea vel cana, thorace immaculato; antennis longitudine fere corporis, nodosis, obscuris; nodis distincte remotis, verticillatim pilosis (♂), aut longitudine thoracis, subfiliformibus, fuscis, pubescentibus (♀); palpis abdomineque obscuris; alis cinereo-hyalinis; undique villosulis, nervis subconspicuis, dilute brunneis, longitudinali 9:no brevi, furca anteriori posteriori multo longiori, stigmate obscuro; halteribus albidis; pedibus testaceis, femoribus ad apicem brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Macqv. Dipt, du Nord, p. 164. 5. Tab. 3. f. 8 (ala). Ejusdem Buff. I. 111. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 24. 20. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 53. 4. ♂♀.

Hab. in vicinitate aqvarum Majo et Septembri, in Dania interdum copiose, D. *Stæger*, qui etiam exempla utriusque sexus mecum communicavit.

♂♀. A priori, cui valde similis, magnitudine sæpe paullulum minori, colore thoracis in utroque sexu lætius cinereo, fere cano, linea dorsali nulla, et antennis in ♂ longioribus, nodis distincte remotis et nonnihil crassioribus, sine dubio distincta. Nec cohabitant. Caput canum. Antennæ in ♂ longitudine fere corporis, obscure brunneæ, nodis perspicue distantibus (interstitio nodo fere longiori), majusculis, subro-

tundatis, sat longe verticillatim pilosis; in ♀ longitudine fere thoracis, subfiliformes l. submoniliformes, fuscæ, pubescentes. Thorax in ♂ canus, in ♀ rufescenti-griseus, in utroque sexu albido-pubescens, immaculatus, margine antico albido. Abdomen obscurum, griseo-pubescens, ano in ♂ fusco l. flavido, in ♀ rufescenti-flavo. Alæ in exsiccata sordide cinereæ, nervis omnino ut in præcedente directis, sed paullo dilutioribus et ramo inferiori furcæ posterioris basi modice tantum curvato. Stigma fuscum. Halteres albidi. Pedes testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. Coxæ et femorum basis flavæ.

14. *E. similis:* flava, subopaca, thoracis dorso lutescente; antennis longitudine fere corporis, nodosis, fuscis, nodis distincte remotis, verticillatim pilosis (♂), aut longitudine thoracis, subfiliformibus, testaceis, pilosulis (♀); alis flavidis, nervis pallescentibus, longitudinali nono brevi, furca anteriori posteriori multo longiori, stigmate luteo; pedibus flavis, femoribus ad apicem dilute brunneis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 53. 5. ♂.

Hab. in Dania (♂ in Ordrupskrat initio Octobris) rarissime, D. *Stæger;* in Svecia meridionali nempe in Scania in silva Lindholmen prope prædium Börringe 10 Jul. 1838 marem deprehendit D. *Dahlbom;* in Norwegia vero borealiori ad diversoria Thynäs, Suul (in jugo alpino), et imprimis ad Oestre-Näs Værdaliæ 4—12 Jul. 1840, 10 mares, 13 feminas et duo paria in copula juncta inveni.

♂♀. Magnitudo et formatio partium ut in priori, sed colore flavo mox dignota. Antennæ in ♂ longitudine fere corporis, ut in præcedente constructæ et pilosæ, sed nodi magis oblongi minusque crassi; totæ fuscæ, articulis 2 basalibus flavis; in ♀ longitudine thoracis, subfiliformes, brevius pilosu-

læ, testaceæ. Palpi fuscescentes, basi flavi. Thoracis dorsum subferrugineum, pleuris pallide flavis. Abdomen rufoflavum, pallide pubescens, dorso nunc toto subfuscescente (plerumque in ♂), nunc linea tantum media fusca (plerumque in ♀); raro totum immaculatum. Anus flavidus. Alæ pallide hyalinæ, flavo-villosæ et flavo-nervosæ, nervis omnino ut in præcedente directis. Stigma dilute fuscum. Halteres albidi. Pedes flavo-testacei, coxis femoribusque basi pallidius flavis, femorum tarsorumque apice dilute brunnescente.

15. *E. trivialis:* cinerea, opaca; antennis in utroque sexu longitudine thoracis, subfiliformibus, obscuris, pubescentibus; alis subhyalinis, nervis dilute brunneis, tenuiter hirtis, in disco nudis, longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori parum longiori; halteribus albidis; pedibus dilute fuscis, coxarum articulo 2:do femorumque basi flavescentibus. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 112. 8. Macqv. Buff. 1. 111. 7. ♂♀. T. 2. f. 13. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 52. 2? ♂♀. (inter species areola discoidali præditas relata). — Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 5.

Hab. in Scandinavia locis humidis, Majo et iterum Aug. Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund (in horto proprio), Esperöd, etc.; in Norwegia ad Smölen 12 Aug. 1843 marem etiam invenit D. *Siebke.* Mares choreas ducunt.

♂♀. Exsiccata. Similis *E. cinerascenti* (2) et *fuscipenni* (11), sed ab illa alarum areola discoidali nulla, et ab hac nervis tantum versus apicem, nec simul in disco, tenuiter villosis, furcarum petiolo paullulum longiori, ut et halteribus totis albidis, nec clava brunnea, diversa videtur. Obscure cinerea. Antennæ breviusculæ vix thoracis longitudine, subfili-

formes, nigricantes, extrorsum paullo tenuiores et fuscescentes. Palpi obscuri. Thoracis margo anticus tenuis, albidus, in medio interruptus. Abdomen griseo-pubescens, ano flavido; in ♀ sæpe fuscum, linea dorsali obscura. Alarum nervi fere ut in *E. fuscipenni* directi, sed vix nisi postice h. e. pone seriem transversorum leniter hirti, ut et petioli furcarum nonnihil longiores. In apice nervi longit. 2:di punctum stigmaticale in individuis bene conservatis observatur. Pedes testacei l. dilute fusci, apice femorum late, tibiarum tarsorumque angustius, obscuriori. Coxarum articulus 1:mus cinerascens, 2:dus (trochanter) et femorum basis flavescens.

16. *E. varia:* subfusca, opaca; lineola humerali albida; pleuris rufescenti-cinereis; ano flavicante; antennis in utroque sexu longitudine thoracis, subfiliformibus, fuscis; alis fusco-albidoque variis, undique villosis, nervo longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori multo longiori; halteribus dilute griseis, clava apice pallida; pedibus flavidis, femorum tibiarumque apice, tarsisque totis, brunneis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 115. 16. ♀. — et 6. p. 273. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 54. 6. ♂♀.

Hab. locis humidis versus finem Aug. et initio Septembris, per Scandinaviam meridionalem, passim; scilicet in Scania ad Silfåkra in paludibus turfosis 26—30 Aug. utrumque sexum etiam in copula junctum inveni; in Dania ad Charlottenlund non raro, D. *Stæger*, qui etiam specimina utriusque sexus misit.

♂♀. Antennis non longis, pectore rufescenti-cinereo, alis variegatis undique villosis, nervo 9:no longitudinali longo, furcarum petiolis inæque longis, halteribus grisescentibus, etc., ab affinibus facile dignota. Exsiccata. Fuscescens, nitida, gri-

seo-pubescens. Antennæ pilosulæ. Palpi fusci. Thoracis margo anticus albidus. Pleuræ plerumque rufo-cinereæ. Anus in ♂ majusculus, in utroque sexu flavus. Alæ cinereo-hyalinæ, in parte posteriori maculis aliquot fuscis, quarum stigma et macula minor ad apicem rami superioris furcæ anticæ præ ceteris perspicuæ. Nervi transversi etiam distincte infuscati, lineam subrectam formantes. Denique nervus 4:tus a nervis transversis ad apicem alæ ductus (inter ambas furcas solitarius), validus et quoque obscurus. Furca antica postica circiter $\frac{1}{3}$ longior. Nervus longitud. 9:nus elongatus et flexuosus ut in *E. flavescente* (6) et *fuscipenni* (11). Nervulus connectens etiam adest. Halterum clava dilute fusca, apice albicante. Coxæ totæ (ambo articuli) femoraque flava, horum apice non late fusco. Tibiæ testaceæ, apice brunneo. Tarsi plerumque toti obscuri.

17. *E. hæmorrhoidalis:* griseo-cinerea, opaca; lineola humerali albida; ano flavicante; antennis in utroque sexu longitudine thoracis, subfiliformibus, fuscis; alis cinerascentibus, undique villosis, nervis transversis leniter, stigmateque distincte, fuscis, nervo longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori multo longiori; halteribus totis albido-flavis; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ circiter 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 831. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 54. 7. ♂♀. *Er. sordida* Zett. Ins. Lapp. 829. 3. ♀. (ex parte, nempe specimina ex Ångermannia).

Hab. in silvaticis, locis paludosis, per Scandinaviam præsertim autumno (toto mense Septembri et ineunte Octobri), passim, vulgatissima, in copula multoties capta; in vicinitate maris imprimis degens, in terris interioribus rarius observata; scilicet in Scania ad Tranås, Esperöd, etc., freqventissima; in Jemtlandia ad al-

pem Mulfjellet (24—29 Jul. 1840), minime parce; in Ångermannia ad Hernösand (29 Aug.) rarius; in Norwegiæ convallibus paludosis ex. gr. ad Drivstuen in alpe Dowre, D. *Boheman*, et in Nordlandia ad Björkvik semel, ipse; in Daniæ silvis copiosissime, D. *Stæger*.

♂♀. A priori, cui quidem valde similis, tamen magnitudine plerumque nonnihil majori, alis, stigmate excepto, immaculatis, halteribus totis albidis, nec clava grisescente, et denique pedibus forte paullo crassioribus, certe distincta. Caput cum antennis et palpis, thorax et abdomen cum ano ut in præcedente constructa, colorata et vestita. Nervi alarum etiam omnino ut in illa directi, sed, præter stigma obscurum et nervos transversos anguste infuscatos, alæ immaculatæ. Halteres toti albidi l. pallidissime flavi. Pedes cum coxis ut in *E. varia*, sed nonnihil validiores; tarsi basi sæpe flavidi.

18. *E. obscuripes:* cinerea, opaca; antennis longitudine fere thoracis palpisque nigricantibus; alis cinerascentibus, nervis hirtis, longitudinali 9:no brevi, furcis subæque longis; stigmate in ♀ nigricante; halteribus pallidis; pedibus totis obscuris. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, rarius; in Norwegia ad Suul et in alpe Kälahög utrumque sexum Jul. 1840 inveni, et marem ad Christianiam captum misit D. *Siebke;* specimina utriusque sexus in Bottnia boreali circa Luleå lecta (1843) a D. *Andersson* obtinui; in Jemtlandia ad Skalstugan parce etiam observata.

♂♀. Per pedes obscuros ab aliis affinibus dignoscitur. Præterea nervo longitudinali 9:no breviusculo ab *E. fuscipenni* (11) et *triviali* (15) diversa, et furcis subæqualibus ab *E. nodulosa* (13) distincta. — Exsiccata. Cinerea, parum pubescens.

Antennæ breviusculæ, vix longitudine thoracis, subfiliformes, pubescentes, nigræ, extrorsum graciliores, articulis 2 basalibus majusculis, atris. Palpi toti nigri. Thoracis dorsum fuscum. Abdomen obscurum, ano in ♂ jam fusco, jam fusco-rufescente, in ♀ rufo. Alæ in ♂ subangustatæ, cinereæ, immaculatæ; in ♀ modice latæ, cinerascentes, stigmate oblongo, sublibero, plus l. minus determinato et obscuro; nervis in utroque sexu tenuiter hirtis, brunneis, longitudinali 9:no brevi, recto, transversis lineam subarcuatam, nec rectam, formantibus. Furca antica posteriori paullulum longior, hinc illus petiolus petiolo hujus nonnihil brevior. Duo nervi (nec solum unus) inter furcas e serie nervorum transversorum in margine alæ paralleliter exeunt, et nervulus connectens adest. Halteres albidi. Coxæ et femora obscura, hæc basi interdum leniter dilutiora. Tibiæ tarsique fusco-testacea, apice obscuriora.

19. *E. sordida:* subrufescenti-cinerea, opaca; lineola humerali albida; ano flavo; antennis (in ♀) longitudine thoracis, subfiliformibus, fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis subflavidis, villosis, longitudinali 9:no elongato, furcis subæque longis; halteribus pallidis; pedibus flavis, femoribus versus apicem brunneis. ♀. (Long. circit. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 829. 3. ♀. (ex parte).

Hab. in Scandinavia rarissime; duo tantum specimina lustravi, unum (typicum) in Nordlandia Norwegica ad diversorium Björkvik 14 Jul. 1821 a me captum, et alterum in Scania ad Kjellby prope Lund 15 Sept. 1837 a D. *Dahlbom* inventum.

♀. Exsiccata. Cinerascens, pubescens. Antennæ sordide flavescentes, pubescentes. Palpi fusci. Stethidium subrufescenti-cinereum, thoracis dorso obscuriori, vittis nempe 3 confluen-

tibus fuscis, margine antico albido, in medio interrupto. (In individuo scanico stethidium paullo obscurius, lineolis humeralibus albidis). Scutellum flavidum. Abdomen rufo-fuscum, linea dorsali obscura. Alæ (in diu exciccata) pallide hyalinæ, nervis flavis, omnibus (præter longitudinalem 7:mum) distincte villosis; 9:no longitudinali elongato, flexuoso, transversis lineam arcuatam (minime rectam) formantibus. Furca antica et postica subæque longæ; unde etiam harum petioli longitudinem habent æqualem. Inter furcas duo nervi paralleli in apice excurrunt. Nervus connectens adest. In exemplo scanico recentiori nervi magis brunnei sunt. Pedes longi, graciles, toti cum coxis flavi, solum femoribus apice sat late brunneis. Tibiarum tarsorumque apex vix fuscescit.

20. *E. ruficauda:* læte cinerea, opaca; abdomine sordide rufo-flavo; ano flavo; antennis (in ♀) longitudine fere thoracis, fuscis; alis cinereo-hyalinis, undique villosis, nervis pallescentibus, stigmate dilute fusco, nervo longitudinali 9:no brevi, furca anteriori posteriori multo longiori; halteribus albidis; pedibus brunneis, basi flavis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 830. 5. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime: in monte subalpino Stöttingsfjellet d. 1 Aug. 1832 in unico exemplo deprehensa.

♀. *E. lineatæ* et *nodulosæ* affinis. Exsiccata. Antennæ breviusculæ, subfiliformes, pilosulæ, extrorsum tenuiores, totæ fuscescentes, articulis 2 basalibus dilutioribus. Palpi fusci. Stethidium (in diu exsiccata) rufescenti-cinereum, thoracis dorso læte cinereo, pubescente. Abdomen rufescens, distincte pallide hirtum, ano flavo. Alæ pallescentes, undique distincte pallide hirtæ, nervis flavidis, ut in *E. lineata* (12) directis. Stigma elongatum, dilute fuscum. Nervus inter

furcas solitarius. Halteres albidi. Pedes fusco-testacei, coxis totis, femoribusque basi, flavis.

21. *E. diluta:* læte cinerea, lineola humerali albida; pleuris rufescentibus; ano flavo; antennis longitudine thoracis, testaceis; alis albido-hyalinis, nervis pallidis, apice tenuiter hirtis, longitudinali 9:no brevi, furca anteriori posteriori multo breviori; halteribus albis; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

An *Er. cinerascens* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 14? ♂. (exclus. synonymis).

Hab. in Scandinavia rarius; mihi in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås (in frutice horti) 8 Aug. 1820 obvia; in Ostrogothia ad Lärketorp 14 Aug. 1833 utrumque sexum legi; in Töien ad Christianiam mense Julio etiam a D. *Siebke* inventa mecumque communicata.

♂♀. Variis priorum valde similis; sed ab *E. cinerascenti* (2) alarum areola discoidali nulla, nervo 9:no longitudinali brevi, etc., a *fuscipenni* (11) et *triviali* (15) colore lætiori, nervo longit. 9:no brevi, nec elongato, a *ruficauda* (20) alarum tantum nervis postice tennuiter hirtis, nec alis totis et undique villosis, et denique ab his omnibus furca antica quam postica multo breviori, abunde differt. Exsiccata. Caput canescens. Antennæ breviusculæ, vix thoracis longitudine, basi validiores, extrorsum subsetaceæ, totæ rufo-testaceæ, pilosulæ. Oculi nigri. Stethidium rufescens, leniter cano-micans, thoracis dorso læte cinereo, margine antico tenui, albido. Scutellum rufescens. Abdomen sordide cinerascens, albido-hirtum, ano flavicante. Alæ pallide hyalinæ, immaculatæ, nervis pallescentibus, nudis, tantum pone transversorum seriem tenuissime hirtis. Nervi: connectens adest; transversi lineam parum arcuatam formant; longitudinales 9:nus

brevis et 8:vus longiusculus, recti, apice (ad marginem interiorem) late remoti. Furca antica postica multo brevior, hinc illius petiolus petiolo hujus multo longior. Inter furcas ducuntur 2 nervi paralleli. Halteres albi. Pedes graciles, sordide testacei, femoribus ad apicem dilute brunnescentibus.

Obs. Eriopt. Nyblæi: sordide albida, pilosa; thoracis vittis 3, media gemina, metathoracisque macula didyma, brunneis; alis albido-hyalinis, fusco-punctatis, nervis distincte villosis, transversis ante medium alæ retractis, arcum formantibus; halteribus pedibusque albidis, geniculis et tibiarum tarsorumque apice fuscis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.). Zett. Ins. Lapp. 830. 7., in graminosis in alpe Dowre Norwegiæ inventa, non est hujus generis, sed certe *Corethræ* species, et *Corethra Nyblæi* vocanda.

**). Nervi transversi dissiti, unus nempe in medio 1. mox pone medium, alter nonnihil ante medium alæ ductus; hinc areæ basales inæqualiter longæ, harum interior (seu postica) brevior.

a. corpore flavescente.

22. *E. ochracea:* pallide ochracea, opaca, pubescens, pleuris ferrugineis; antennis longitudine thoracis, flavis; alis pallidis, nervis distincte villosis, longitudinali 9:no elongato, furca anteriori posteriori nonnihil longiori; pedibus fusco-testaceis, basi pallidioribus; ano *maris* absque appendiculis filiformibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 114. 13. Macqv. Buff. 1. 112. 12. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 15. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 9.

Hab. in Scandinavia meridionali valde rara; in silvis Daniæ locis humidis mense Junio inventa a D. *Stæ-*

ger, qui specimina utriusque sexus mecum communicavit; mihi tantum in Scania ad Lund parcissime obvia.

♂♀. Exsiccata. Ochracea l. lutea. Antennæ breviusculæ, filiformes, flavæ, apice interdum dilute fuscæ. Palpi obscuri. Oculi nigri. Thoracis dorsum et pleuræ ferruginea. Alæ longiusculæ, subangustatæ, pallidæ. Nervi flavi, omnes et toti longe et dense pallide villosi, longitudinalis 9:nus subelongatus, apice non late ab 8:vo remotus; inter furcas excurrunt in apice alæ duo nervi paralleli. Margo interior longe pallide ciliatus. Halteres albidi. Pedes flavi l. testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice plus l. minus brunnescente.

Obs. Specimina *Er. ochraceæ*, quæ scripsit Cel. *Wahlberg*, se in Ostrogothia ad Gusum invenisse, forsitan ad seqventem speciem referenda.

23. *E. appendiculata:* flava, opaca, pubescens, antennis longitudine thoracis, concoloribus; alis pallidis, nervis distincte villosis, longitudinali 9:no elongato, furcis æque longis; pedibus fusco-testaceis, basi pallidioribus; ano *maris* incurvato, apice appendiculis qvatuor filiformibus nigris. ♂♀. (Long. 1⅓ fere 1½ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 55. 16. ♂♀.

Hab. in graminosis et fruticibus Scandinaviæ, per hortos, prata et silvas, vulgaris, mihi Augusto et Septembri præsertim obvia, in copula etiam multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Abusa, Skarhult, Esperöd (in paroeciis et Tranås et Mellby), Lindholmen, etc., frequens; in Smolandia ad Berga, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Wadstena, raro, (ad Gusum?); in Gottlandiæ plantis aqvaticis ad Stenkyrka, Storugns et Nähr, 24—26 Jun., in copula non parce; in

Jemtlandia ad Mulfjellet; in Norwegia ad Suul, Näs, Levanger et Thynäs, mense Julio 1840, frequens; in Dania cum præcedente, sed copiosius, mense Junio, D. *Stæger.*

♂♀. Exsiccata. Priori simillima, cum illa sine dubio sæpe confusa, at secundum Inventorem differt: pleuris pallide flavis, unicoloribus, nec ferrugineis, alarum furcis æque longis, nec antica quam postica paullo longiori, et imprimis ano maris crassiori, incurvo, apice appendiculis 4 filiformibus, nigris, nitidis, quarum 2 superioribus brevioribus, 2 inferioribus longitudine segmenti analis, munito. — In meis speciminibus variat color jam totius corporis flavus jam ochraceus, jam denique thorace testaceo, abdomine fusco, ano semper flavo, et in ♂ appendiculis nigris, perspicuis. Antennæ 1. totæ flavidæ, 1. dilute fuscæ, articulis 2 basalibus flavis. Palpi obscuri. Halteres albidi. Pedes plerumque testacei, coxis femorumque basi, flavis, femorum apice late, tibiarumque apice, fusco, tarsis plerumque totis brunnescentibus. Anus in ♂ valde flavo-pilosus.

b. corpore obscuro.

24. *E. murina:* obscura, opaca, pubescens; antennis longitudine thoracis palpisque fuscis; alis longiusculis totis dense nigricanti-villosis, halteribus obscuris; pedibus brunneis, basi paullo dilutioribus. ♂. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 113. 11. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 17. ♂.

Hab. in Dania rarius; ad Charlottenlund mares d. 9 Jun. choreas ducentes semel observati a D. *Stæger*, a quo etiam specimina obtinui.

♂. Exsiccata. Nigro-brunnea, pilosa. Antennæ longitudine cir-

citer thoracis, filiformes, fuscæ, pilosæ. Abdomen basi fuscum, ano obscuro. Alæ abdomine paullo longiores, angustatæ, præsertim basi; totæ dense nigro-villosæ, certo situ irisantes, margine interiori distincte ciliato. Halteres obscuri, petiolo dilutiori. Pedes longi, tenues, fusci, coxis femorumque basi pallescentibus.

25. *E. atra:* aterrima, subnitida, puberula; antennis longitudine circiter thoracis, nigris; alis brevibus, nigro-villosis, halteribus albissimis; pedibus obscuris. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ 1¼ lin.).

Meig. Klassif. 1. 50. 1. Tab. 3. f. 8. 9. — et Dipt. 1. 113. 10. ♂♀. Zett. Act. Holm. 1819. 84. 40. ♂♀. — et Ins. Lapp. 830. 6. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 112. 10. ♂. *Tipula erioptera* Fabr. Antl. 33. 45. *Limonia atra* Latr. Gen. 259.

Hab. in graminosis locis paludosis umbrosis cæspitosis, per totam fere Scandinaviam, vulgaris, sub tota æstate mihi obvia, in copula quoque pluries deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa (versus finem Maji), frequens; in Wermelandia ad Åraås; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Mulfjellet et Skalstugan Julio, frequens; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina et Stensele Jul., copiose; in Lapponia Lulensi; in Norwegia ad Christianiam, Suul et Nordlandiæ diversorium Björkvik, haud parce.

♂♀. Per colorem insecti atrum et alas breves, a reliqvis facile dignota. Atro-puberula. Frons nigro-cinerea. Palpi antennis saltem dimidio breviores. Antennæ vix longitudine thoracis, extus tenuiores, subsetaceæ. Alæ pilis depressis dense vestitæ, basi sæpe denudatæ. Halteres nivei, petiolo fusco. Pedes brunnei, graciles, elongati, intermedii paullo brevio-

res. Femora versus apicem leniter incrassata. — *Mas:* antennæ paullo longiores, articulo 2:do magno. Alæ breviores. Forceps caudæ subtus dentata, sub qua genitale situm, basi appendiculis 2 curvatis munitum. — *Femina:* antennæ paullo breviores, articulo 2:do parum incrassato. Alæ breviusculæ, sed tamen longiores, quam in ♂. Oviductus ensatus, vaginis brunneo-flavis.

Obs. 1. Hæc species in Svecia et Norwegia, ut dictum, vulgaris, e Dania exsul videtur, saltem in Catalogo Dipteror. Daniæ 1840 a D. *Stæger* non enumeratur.

Obs. 2. Specimina duo feminea, quæ ad Neuenkirchen prope Gryphiam 20 Maj. 1842 collegit mecumque communicavit D. *Dahlbom*, a descripta specie non differunt, nisi corpore magis nitido et alis paullulum longioribus (longitudine abdominis), forte *Er. atra* Meig. et Macqv. genuina.

26. *E. grisea:* cinerascens, opaca, thoracis vitta laterali pallida; abdominis linea dorsali interrupta, obscura; ano flavo; antennis longitudine circiter thoracis, fuscis, basi flavis; alis cinereo-hyalinis, halteribus albidis, pedibus flavidis, femorum tibiarumque apice tarsisque brunneis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 112. 9. Macqv. Buff. 1. 111. 9. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 18. ♂♀.

Hab. in Dania mens. Aug. et Sept., rarius, D. *Stæger;* mihi in Svecia et Norwegia non obvia, sed in Smolandia in pratis sylvaticis prope Emm-ån ad prædium amoenissimum Berga, cujus Possessor hodie est Cubicularius cum clava aurea, Nobilis Dom. *H. O. af Harmens*, Mæcenas illustris et liberalis, die 6 Aug. 1850 plura individua feminea invenit D. *Dahlbom*. (Ad Neuenkirchen in Megalopoli 20 Maj. 1842 ab eodem *Dahlbom* quoque lecta, mecumque communicata).

♂♀. Cinerascens. Caput cinereum. Antennæ fuscæ, basi flavæ. Palpi fusci. Thorax utrinque vitta laterali (in exsiccata) albido-flava. Abdomen fuscescens, linea media interrupta obscuriori. (Secundum *Meigen* incisuræ pallide flavæ). Anus flavus. Coxæ pallide flavæ. Femora et tibiæ testacea, apice brunnescentia; tarsi brunnei. In meo specimine Germanico pedes fere toti flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice saturatiori; sed in Smolandicis exemplis, quæ etiam paullulum majora sunt, pedes ut in diagnosi colorati.

27. *E. obscura:* cinerea, opaca, thoracis linea laterali pallida; abdomine nigricante; ano fusco-flavo; antennis totis obscuris; alis cinerascentibus, halteribus albidis; pedibus obscure brunneis, coxis femorumque basi flavidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 113. 12. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 112. 11. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 12. 10.

Hab. in Svecia media, ut in Ostrogothia ad Gusum, testante Prof. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Sanda d. 25 Jun. 1850 plura exempla mascula deprehendit mecumque communicavit Doct. *Dahlbom.*

♂♀. Similis priori. Caput fusco-cinereum. Antennæ et palpi tota obscure brunnea. Thorax fusco-cinereus, linea laterali albicante. Abdomen obscurum, ano in ♀ obscure brunneo, interdum in utroque sexu testaceo. Alæ fusco-cinereæ, obscure villosæ, nervis brunnescentibus. Halteres albi. Pedes nigro-brunnei, coxis flavidis. Femora pone medium nonnihil incrassata; basi flavicantia. Anus maris præter forfices flavas appendiculis 4 breviusculis, filiformibus, nigris munitus.

Obs. In Gallia et Germania hæc species locis uliginosis vulgaris fuerit. In tota Austria vere et autumno etiam pratis humidis occurrit, mares tempore vespertino choreas sæpe instituentes.

234. PEDICIA Latr.

Corpus maximum, elongatum, crassiusculum, glabriculum. Caput proportione parvum, rotundatum l. subobpyriforme. Os modice productum. Antennæ porrectæ, capite parum longiores, in utroque sexu simplices, basi crassiusculæ, apice setaceæ; 16-articulatæ, articulo 1:mo longiusculo, crasso, cylindrico, nudo, 2:do cyathiformi, crassiusculo, nudo, reliquis rotundatis, sensim decrescentibus, pilosulis. Palpi exserti, crassiusculi, cylindrici, incurvi, pilosuli, 4-articulati, articulis 3 primis æqualibus, ultimo longiusculo, flexili. Oculi laterales, rotundi, remoti, tenuissime puberuli. Frons antice pone antennas tuberculo subgemino. Ocelli nulli. Thorax postice sutura transversa. Abdomen elongatum, subdepressum, 8-annulatum. Alæ divaricatæ, subangustatæ, nudæ, nervis 7 apicibus ad marginem interiorem descendentibus. Nervi transversi pone medium alæ lineam formant obliquam. Pone hanc lineam adest areola sat magna, ovata, emittens tres nervos, qvorum superior furcatus. Nervus longitudinalis 9:nus (seu a basi marginis interioris numeratus 1:mus) (*) elongatus, subrectus, apice tamen ab 8:o sat late remotus. Margo interior brevissime et tenuissime ciliatus. Halteres segmento abdominis 1:mo nonnihil longiores, nudi. Pedes longi, modice tenues, fragiles, puberuli, inermes præter calcaria 2 parva in apice tibiarum posteriorum. Coxæ non elongatæ. *Color* læte cinereus; alæ fusco-pictæ. *Motu* haud agilis. *Habitatio* in graminosis etc. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, forcipe brevi, lata, dentata; *femina:* oviductu stylis 2 corneis acutis vaginato.

1. *P. rivosa:* dilute cinerea, thoracis vittis 3, abdominisque unica dorsali, obscuris; antennis pedibusque luteo-brunneis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscurioribus; alis hyalinis, costa inæqualiter, vittaque

---

*) *nervus axillaris* Macqv.

angustata, angulata, fuscis. ♂♀. (Long. circiter 10 lin. et ultra).

Latr. Gen. 4. 255. Macqv. Buff. 1. 92. 1. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 26. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 1. *Tipula rivosa* Linn. Fn. Sv. n:o 1738. ♀. Syst. Nat. 2. 971. 2. Act. Holm. 1739. T. 3. f. 8. ♂. Degeer Ins. 6. p. 341. 2. T. 19. f. 1. ♀. *Limnobia rivosa* Meig. Dipt. 1. 118. 1. T. 4. f. 14. (ala). — et Klass. 62. 23. T. 3. f. 14. Zett. Ins. Lapp. 832. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 465. Schummel, Ent. Beitr. 1829. p. 191. 61. ♂♀. *Tipula triangularis* Fabr. Ent. Syst. 4. 236. 10. et Antl. 27. 14.

Hab. in Scandinaviæ pratis et silvis, a mense Junio usque ad Septembrem, passim, plerumque in graminosis umbrosis juxta aqvam, et fere semper solitarie; scilicet in Scania ad Lund, Kullen, Esperöd in paroecia Tranås, etc.; in Gottlandia ad Fåhrön, rarius; in Westrogothia ad Sparresäter, D. *Kinberg*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia ad diversorium Rörshyttan; in Jemtlandia ad Mulfjellet et Forsa, non parce; in Uplandia: ad Holmiam, *Wahlberg*, ad Upsalam rarius, *Linné*, ad Löfstad, *De Geer*; in Bottnia ad Umeå frequenter, *Linné*; in Lapponia Umensi ad Lycksele et Stensele, D. *Dahlbom*; in Lappon. Lulensi, D. *Andersson*; in Norwegia: ad Töien prope Christianiam et ad Aamodt, D. *Siebke*; ad Dowre (*Boheman*); ad Kälahög, Garnäs Værdaliæ, et Giebostad Nordlandiæ, ipse; in Dania in Ordrupmose raro, D. *Stæger*. (Larvæ in aquis fluviorum degunt, observante *Scheffer*, teste *Rossi*).

♂♀. Inter Nemocera maxima, pictura alarum pulchra. Opaca. Caput cinereum. Antennæ rufescenti-brunneæ. Palpi crassi, jam obscuri, jam rufescentes. Oculi nigri. Thorax dorso canus, vittis 3 cinereis, media linea fusca notata, lateralibus abbreviatis; limbus anticus rufescens. Pleuræ albido- l. cano-micantes. Scutellum testaceum. Metathorax canus. Abdomen læte cinerascens, et supra et subtus vitta subgemina, lata, inæquali, obscura l. in diu exsiccatis testacea. Maris forceps analis breviuscula, reflexa, lata, dentata, fusca, pubescens et ciliata; feminæ oviductus stylis 2 (longitudine unius segmentorum mediorum) vaginantibus, corneis, acuminatis, nitidis, rufo-flavis. Alæ hyalinæ. Vitta costalis a basi ad apicem alæ, latere interiori inæqvalis, tota obscura l. in exsiccatis fusco-testacea; et linea determinata ejusdem coloris, nervum longitud. 3:tium (a margine interiori numeratum) nervosque transversos transiens, angulum obtusum in disco alæ paullo pone medium formans. Ipsa costa a basi ad medium angusta hyalina, puncto obscuro notata. Halteres pallidi, clava versus apicem sæpe fusca. Pedes brunnei l. testacei. Coxæ cinereæ. Femora basi plerumque flavida. Femorum tibiarumque apex, tarsique toti, obscure brunnea.

Var. b. ♀. monstrosa, alarum area discoidali deficiente et loco ejus excurrunt ex apice areæ basalis duo nervi furcati, petiolo elongato præditi. Specimen e Lapponia Lulensi.

Obs. *Tipula rivosa* Fabr. pro *Tipula varipenni* Meig. habetur (*Meigen*) — Secundum vero *Stæger* *Tipula vittata* Meig. (nobis n:o 3 infra) sub nomine: *Tipula rivosa* Fabr., in museo Sehestedto-Lundiano Hafniæ asservatur.

235. LIMNOBIA. Meig.

Corpus magnum, medium, raro parvum; elongatum, sublineare, glabriculum. Caput parvum, obpyriforme. Os modice

productum. Antennæ porrectæ, capite sæpe parum longiores, in utroque sexu simplices, basi crassiusculæ, apice setaceæ; 15—16-articulatæ, articulo 1:mo longiusculo, crasso, cylindrico, nudo, 2:do cyathiformi, crassiusculo, nudo, reliqvis rotundatis, sensim decrescentibus, pilosulis. Palpi exserti, crassiusculi, cylindrici, incurvi, pubescentes, 4-articulati, articulis subæqvalibus. Oculi laterales, rotundi, remoti. Ocelli nulli. Thorax postice sutura transversa. Abdomen elongatum, subdepressum (præsertim in ♂); 8-annulatum. Alæ incumbentes, angustato-elongatæ, sæpissime nudæ, aliquando tenuissime hirtulæ, saltem versus apicem; nervis 6 l. 7 apicibus ad marginem interiorem descendentibus. Nervi transversi pone medium alæ plerumque formant lineam obliquam vel arcuatam, areas 2 basales terminantem. Immediate pone hanc lineam adest areola discoidalis, major l. minor, subpentagona, emittens normaliter tres nervulos aut omnes simplices, aut superiorem furcatum. Nervus longitudinalis 9:nus (seu 1:mus a basi marginis interioris numeratus) (*) plerumque longiusculus, subrectus, apice leniter flexus. Margo interior brevissime ciliatus. Halteres nudi. Pedes longi, sæpissime graciles, fragiles, puberuli, inermes, exceptis calcaribus subbinis parvis in apice tibiarum posteriorum. Coxæ non elongatæ. *Color* cinereus, testaceus, flavidus, luridus, vix umquam l. tantum rarissime in nostris niger. *Motu* non agilis; vento tamen secundo strenue volat; ægre ambulat. Vespere exiens, toto fere die quiescit. Plures minorum choreas ducunt sub arborum coma. Multæ vero species etiam diurnæ. *Habitatio* in graminosis, fruticibus, etiam floribus, per hortos, prata et silvas, libenter locis paludosis et umbrosis. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, forcipe brevi, lata, dentata; *femina:* oviductu stylis 2 corneis acutis vaginantibus munito. *Typi* generis: *L. fasciata* et *punctata.*

---

*) *Nervus axillaris* Macqv.; *nervus longitudinalis septimus* Schummel.

Divisio Prima: alarum areola discoidalis adest.

Sect. 1. Alarum areola discoidalis emittit nervos tres, quorum superior furcatus. Nervi septem longitudinales (apicibus) marginem interiorem attingunt. Nervus longitudinalis 3:tius (a costa numeratus) etiam furcatus. Antennæ 16-articulatæ.

A. Alæ pictæ. Nervus transversus ordinarius aut medio aut basi areolæ discoidalis inseritur. In disco alæ, nonnihil ante medium, adest etiam nervulus alter transversus (huic subdivisioni proprius et fere notam privam præbens). Meig. Dipt. 1. p. 121. Subdiv. C. Tab. 4. f. 16. Schummel, Dipt. Siles. Subd. Q. Tab. 4. f. 4. — *Idioptera* Macqv.

1 *fasciata* Linn. (*Idioptera maculata* Macqv. ♂. — *Limnobia pulchella* Meig. ♂.) ♂♀. 2 *marmorata* Meig. ♂♀. 3 *trimaculata* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 4 *varinervis* Zett. n. sp. ♂.

B. Alæ pictæ. Nervus transversus ordinarius medio areolæ discoidalis inseritur. In disco alæ ante medium nervulus transversus nullus. Nervi furcati rami modice longi aut breviusculi. Meig. Dipt. 1. p. 119. Subd. B. Tab. 6. f. 1. et p. 122. Subd. D. Tab. 4. f. 15. — *Limnophila* Macqv.

5 *pictipennis* Meig. (var. a. b.) ♂♀. 6 *angustipennis* Meig. ♂. 7 *punctata* Meig. (*Tipula ocellaris* Linn.?) ♂♀. 8 *picta* Fabr. ♂♀.

C. Alæ haud pictæ seu subimmaculatæ (nervi transversi interdum infuscati, et sæpe punctum unum alterumve fuscum ad costam). Nervi fere ut in B. di-

recti, nempe transversus ordinarius medio l. fere medio areolæ discoidalis insertus. Nervi furcati rami modice longi, raro breviusculi. Meig. Dipt. 1. 125. Subd. E. Tab. 6. f. 2. et Subd. G. Tab. 4. f. 20. — *Limnophila* Macqv. Stæg.

†. corpore obscuro (pleuris in *L. discicolli* n:o 11, et abdomine in *L. abdominali* n:o 17, ferrugineis).

9 *Lucorum* Meig. (var. a. b.) ♂♀. 10 *placida* Meig. ♂♀. 11 *discicollis* Meig. (var. a. b.) ♂♀. 12 *subtincta* Zett. n. sp. ♂♀. 13 *decolor* Zett. (*L. unicolor* Ins. Lapp.) ♀. 14 *arctica* Zett. (*L. nigricans* Macqv.? *L. phæostigma* Schumm.?) ♂♀. 15 *squalens* Zett. ♂♀. 16 *nigricollis* Meig.? Stæg. (*L. nervosa* Schumm.) ♂. 17 *abdominalis* Stæg.? ♂. 18 *unicolor* Schumm. ♂♀.

††. corpore pallescente (in *L. barbipede* n:o 19 thorax griseus. *L. discicollis* pleuris ferrugineis sub n:o 11, et *L. abdominalis* abdomine luteo sub n:o 17, quærendæ).

19 *barbipes* Meig. (*Ctenophora 4-maculata* Fabr.) ♂♀. 20 *dispar* Meig. ♂♀. 21 *lineola* Meig. ♂♀. 22 *ochracea* Meig. ♀. 23 *ferruginea* Meig. (*L. præusta* Schumm. — *L. flavescens* Latr.) ♂♀. 24 *glabricula* Meig. (*L. binotata* Zett. Ins. Lapp. — *L. Punctum* Schumm.?) ♂♀. 25 *scutellata* Stæg. ♀.

D. Alæ non pictæ seu immaculatæ (præter stigma interdum fuscum). Areola discoidalis oblongo-subquadrata emittit 3 nervos, quorum superior furcatus, furca brevissima (hujus subdivisionis nota priva). Nervi: longitudinalis 3:tius (a costa) etiam furcatus, furca elongata; connectens ad stigma

adest; transversus ordinarius fere medio l. versus basin areolæ insertus. Meig. Dipt. 1 p. 126. Subd. F. Tab. 6. f. 3. — *Limnophila* Macqv. — Per nervos ex area emissos *Cylindrotomæ* generi accedit.

26 *nemoralis* Meig. ♂♀. 27 *lucophæa* Meig.? (non Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 28 *plebeja* Meig. ♂♀. 29 *hyalipennis* Zett. n. sp. ♀. 30 *stigmatella* Zett. ♂♀. 31 *nitidicollis* Meig.? ♂♀.

Sect. 2. Alarum areola discoidalis (subqvadrata aut oblongo-subquadrata; in *L. hyalinata* n:o 60 interdum apice aperta) emittit nervos tres, horum omnes simplices. Nervi sex longitudinales (apicibus) marginem interiorem attingunt. Nervus transversus ordinarius aut basi, aut infra basin (rarissime medio) areolæ inseritur. Antennæ sæpissime 15-articulatæ. Meig. Dipt. 1. p. 132—146. Subd. K. N. O. P. R. Tab. 5. f. 6. — Tab. 6. f. 5. — Tab. 4. f. 13. — Tab. 4. f. 18. — Tab. 6. f. 7. — *Limnobia* Macqv. Stæg.

A. corpore pallescente. Alæ sæpe (non semper) pictæ, aut punctatæ.

32 *xanthoptera* Meig. ♂♀. 33 4-*notata* Meig. (*Tipula* 4-*maculata* Fabr. mus.) ♂♀. 34 *Annulus* Meig. (*L.* 4-*maculata* Stæg. non Linn.) ♂♀. 35 4-*maculata* Linn. ♂. 36 *nubeculosa* Meig. ♂♀. 37 *flavipes* Fabr. (*L. analis* Meig. — *L. nebulosa* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 38 *sylvicola* Schumm. (*L.* 3-*punctata* Zett. Ins. Lapp. ♂.; *L. affinis* Zett. Ins. Lapp. ♀.) ♂♀. 39 *tripunctata* Fabr. (*Tip. Phragmitidis* Schrank) ♂♀. 40 *trivittata*

Schumm. ♂♀. 41 *Stigma* Meig. (*L. 6-notata* Schumm.) ♂♀. 42 *Dumetorum* Meig. ♂♀. 43 *meridiana* Stæg. ♂♀. 44 *macrostigma* Schumm. ♂♀. 45 *modesta* Meig. ♂♀. 46 *chorea* Meig. ♂♀. 47 *flava* Schumm. ♂. 48 *tenella* Meig. ♂♀.

B. corpore cinerascente l. obscuro.

*) alis pictis.

49 *elegans* Zett. ♂♀. 50 *consimilis* Zett. ♂. 51 *decora* Stæg. ♂♀. 52 *tenuipes* Zett. ♂♀.

**) alis non pictis, subimmaculatis (præter stigma sæpissime obscurum, et interdum etiam punctum unum alterumve costale fuscum).

53 *didyma* Meig. ♂♀. 54 *pilipes* Fabr. (*L. fimbriata* Meig.) ♂♀. 55 *replicata* Linn. (*L. nudicornis* Schumm.) ♂♀. 56 *trisulcata* Schumm. ♂♀. 57 *tristis* Schumm. (*L. grisea* Macqv.?) ♂♀. 58 *fuscescens* Schumm. ♂♀. 59 *murina* Zett. n. sp. ♂♀. 60 *hyalinata* Zett. n. sp. (vix *L. affinis* Schumm?) ♂♀. 61 *pilicornis* Zett. n. sp. ♂♀. 62 *pilosa* Schumm. (*Cylindrotoma macroptera* Macqv.?) ♂♀. 63 *Sororcula* Zett. n. sp. ♀. 64 *ciliaris* Schumm. (*L. sericea* Macqv.?) ♂♀. 65 *lugubris* Zett. n. sp. ♂. 66. *Morio* Fabr. (*L. leucocephala* Meig.? ♂. — *L. angustipennis* Zett. Ins. Lapp. ♂) ♂♀. 67 *gracilis* Zett. ♂.

Sect. 3. Alarum areola discoidalis oblongo-quadrata emittit nervos duos, quorum superior bis furcatus. Apices nervorum septem marginem interiorem alæ attingunt.

Nervus longitudinalis 3:tius (a costa) etiam furcatus; connectens ad stigma nullus; at longitudinalis 2:dus elongatus usque ad apicem stigmatis ducitur, ibique breviter bifidus stigma terminat; transversus fere medio areolæ inseritur. — An prorii generis?

68 *bifurcata* Zett. ♀.

Divisio Secunda: alarum areola discoidalis nulla.

(*L. hyalinatæ* varietas areola non occlusa, sed apice aperta, sub n:o 60 quærenda).

A. Nervulus transversus inter nervos longitudinales 4 et 5 in medio alæ adest, fere ut in *L. fasciata* (n:o 1) Meig. Tab. 4. f. 16. Nervus axillaris apice rectus. — Forte proprium genus?

69 *alpina* Zett. n. sp. ♂♀. 70 *Virgo* Zett. n. sp. ♂♀. 71 *juvenilis* Zett. n. sp. ♂.

B. Nervulus transversus inter nervos longitudinales 4 et 5 in medio alæ deest.

72 *bimaculata* Schumm. ♂♀. 73 *coelebs* Zett. n. sp. ♂. 74 *zonata* Zett. n. sp. ♂♀.

Limnobia.

Divis. Prima: alarum areola discoidalis adest.

Sect. 1. Alarum areola discoidalis emittit nervos tres, quorum superior furcatus. Nervi septem longitudinales marginem interiorem attingunt. Nervus longitudinalis 3:tius (a costa numeratus) etiam furcatus. Antennæ 16-articulatæ.

A. Alæ pictæ. Nervulus transversus ordinarius (*) aut medio aut basi areolæ discoidalis inseritur. In disco alæ, nonnihil ante medium, adest etiam nervulus alter transversus (huic subdivisioni proprius et fere notam privam præbens). Meig. Dipt. 1. p. 121. Subdiv. C. Tab. 4. f. 16. Schummel, Dipt. Siles. Subd. Q. Tab. 4. f. 4. *Idioptera* Macqv.

1. *L. fasciata:* cinerea, abdomine pallido, incisuris fuscis (♂), aut toto fusco (♀); alis in utroque sexu hyalinis, fasciis macularibus subquatuor obscuris. ♂♀. (Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 121. 4. ♂. T. 4. f. 16 (ala). Zett. Ins. Lapp. 832. 2. ♂♀. An Schummel, Dipt. Siles. (in Ent. Beitr. 1829). p. 183. 57?? ♂♀. T. 4. f. 4 (ala), et T. 5. f. 2. ♀. (identitas feminæ præsertim dubia videtur). — *Tipula fasciata* Linn. Syst. Nat. 2. 973. 18. ♂. Fabr. Ent. Syst. 4. 240. 32. et Antl. 30. 31. ♂. *Idioptera fasciata* Stæg. Dipt. Dan. in Kröjers Tidskrift 1840. p. 27. ♀. *Idioptera maculata* Macqv. Buff. 1. 94. 1. ♂. T. 2. f. 3 (caput), f. 4 (ala). *Limnob. pulchella* Meig. Dipt. 6. 275. 66. ♂. eadem videtur.

---

*) *Nervulum transversum ordinarium* eum nomino, qui in disco alæ, nonnihil pone medium, nervos longitudinales 3 et 4 (a margine alæ interiori numeratos) connectit.

Hab. in graminosis et fruticibus, locis paludosis et ad aqvas, mensib. Jul. et Aug., per prata et silvas Scandinaviæ meridionalis rarius, borealis vulgaris, in copula quoque multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby, parcissime; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Faxelfven, Åreskutan et Skalstugan, frequens; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele et Wilhelmina, copiose; Lulensi, D. *Andersson*; et Tornensi, *Deutsch;* in Norwegia ex. gr. ad Dowre, D. *Boheman*, ad Näs Værdaliæ, D. *Dahlbom*, et ad Alten Finmarkiæ, ipse; in Dania ad Silkeborg Jutlandiæ semel ♀, D. *Schiödte*, teste D. *Stæger.*

♂♀. Opaca. Caput cinereum. Antennæ in ♂ longitudine dimidii corporis, brevissime pubescentes, et simul tenuiter remoteque verticillatim pilosulæ; in ♀ vix longitudine thoracis, pubescentes; in utroque sexu filiformes, nigricantes. Palpi nigricantes. Thorax cinereus, dorso vestigio vittæ brunneæ. Scutellum plerumque in ♂ testaceum, interdum rufo-cinerascens. Metathorax cinerascenti-rufus, in ♀ interdum cinereum. Abdomen in ♂ pallidum et pallide pilosulum, margine laterali anguste, et incisuris, obscuris, ano basi nigricante, forcipe fulvo-flava; in ♀ fere totum obscurius l. fuscum, stylis analibus ferruginantibus. Alæ angustatæ, albo-hyalinæ, fasciis 4 irregularibus fuscis, quarum 1:ma juxta basin, 2:da paullo ante medium, 3:tia paullo pone medium alæ nervos transversos transiens, et 4:ta in ipso apice sita. Hæ vero fasciæ conflatæ sunt e maculis rotundatis majoribus l. minoribus, interdum subocellaribus, plerumque, præcipue in ♀, cohærentibus, sed sæpe etiam discretis, rotundis. Inter fasciam 3:tiam et ultimam sæpe præterea adsunt 2 maculæ minores liberæ, una ad costam, altera in apice areolæ discoidalis. Nervulus transversus ordinarius versus basin (nec medio) areolæ discoidalis oblongæ insertus. Nervi furcati petiolus furca interdum

paullo longior. Nervi in apice alæ microscopice pilosi. Halteres albidi, clava fusca. Pedes obscuri, femoribus versus apicem subincrassatis et saturatioribus. Coxæ et femorum basis flavida. Variat etiam tibiis basi late testaceis, aut pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. Variat denique ♀ (in 2 exemplis ad Skalstugan captis) duplo fere minor, alis non omnino explicatis.

Var. b. ♀. omnibus 3 nervis, ex areola emissis, simplicibus. In Lycksele Lapponiæ semel.

2. *L. marmorata:* cinerea, thorace brunneo-bilineato; alis albido-hyalinis, maculis punctisque fuscis; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuris. ♂♀. (Long. 3 fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 121. 5. ♂. Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 186. 58. ♂. Zett. Ins. Lapp. 833. 3. ♂♀. *Idioptera marmorata* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 28. 2. ♂♀. *Limnophila marmorata* Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 3.

Hab. juxta aqvam in hortis et pratis Scandinaviæ, mihi a d. 16 Jun. usque ad 15 Aug. passim obvia; scilicet in Scania: ad Esperöd in paroecia Tranås a me in utroque sexu capta, atque ad Röddinge, ♂., D. *Dahlbom*; in Ostrog. ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Norwegia ex. gr. in Dowre in convallibus paludosis ad Hongen, D. *Boheman*, et ad Tromsö Nordlandiæ non frequens, ipse; in Dania non raro, D. *Stæger*. (A beat. *Wiedemann* olim etiam missa).

♂♀. Antennis brevioribus et alarum pictura a priori abunde distincta. Antennæ capite griseo parum longiores, basi crassiores, versus apicem tenues; flavæ, articulis 2 basalibus obscuris, ultimis fuscis. Palpi obscuri. Oculi in viva ænei. Stethidium opacum, cinereum, thoracis dorso lineis 2 brunneis. Scutellum fusco-cinereum. Abdomen fuscum, in ♂ vitta lon-

gitudinali media flavida, ano flavicante. Alæ modice latæ, albicantes, nervis sat crebre fusco-punctatis. Præterea adsunt maculæ 6 l. 7 ad costam, magnitudine inæquales, pleræque subquadratæ, fuscæ, quarum mediæ (ante nervos transversos sitæ) fascias 2 inchoare videntur. Nervus longitud. 1:mus (a margine interiori numeratus, seu axillaris Macqv.) longiusculus, apice curvatus et subfurcatus, macula rotundata fusca in furcatura notatus. Petiolus nervi furcati ordinarii ramis fere paullo brevior. Nervus transversus ordinarius medio areolæ discoidalis subquadratæ inseritur. Halteres albidi, clava brunnea, basi pallida. Pedes graciles, flavi, femorum tibiarumque apice non late, tarsorumque articulis 2 l. 3 ultimis, obscure brunneis. Coxæ dilute fuscescentes.

3. *L. trimaculata:* cinerea; antennis obscuris; alis cinereo-hyalinis, maculis 3 costalibus fuscis, obsoletis; halteribus pallidis; pedibus flavescentibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂♀. (Long. ♂ circiter $2\frac{3}{4}$, ♀ saltem 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 833. 4. ♂.

Hab. In. Norwegia rarissime: specimen masculum typicum in Finmarkia occidentali ad Bossekop d. 4 Aug. 1821 detectum; feminam ad Näs 8 Jul. et in jugo alpino ad diversorium Suul Værdaliæ 14 Jul. 1840 inveni.

♂. Læte cinerascens, thorace subimmaculato. Alæ cinereo-hyalinæ, basi pallidæ; maculis 3 costalibus fuscis, æquali spatio remotis; harum 1:ma sita est paullo ante medium costæ ad originem nervi longitudinalis tertii, punctiformis; 2:da loco stigmatis, etiam punctiformis; et 3:tia versus apicem alæ, ubi nervi longitudinales 2:dus et 3:tius furcatus per nervulum transversum connectuntur, locata, hæc paullo major, oblongo-rotundata; omnes obsoletæ. Nervi transversi quoque fusce-

dine obsoleta cinguntur. Pedes cum coxis flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigro-brunneo.

♀. Mari similis, sed paullo obscurior. Antennæ longitudine thoracis, nigræ. Palpi nigri. Oviductus rufus. Alæ ut in ♂. Nervus longit. 1:mus (a margine interiori) longiusculus, subrectus, apice leniter curvatus; transversus ordinarius fere medio areolæ discoidalis insertus. Pedes fusco-testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuriori. Coxæ, et femorum basis indeterminate, flavæ.

4. *L. varinervis:* obscura, thoracis dorso griseo, vittis 3 obscure brunneis; alis sordide flavidis, maculis pluribus subrotundatis fuscis, costalibus distinctioribus; halteribus pallidis, clava fuscescente; pedibus sordide testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuriori, coxis femorumque basi flavescentibus. ♂. (Long. circiter 3 lin. l. paullo ultra).

Hab. in Norwegia media rarius; scilicet ad diversorium Garnäs Værdaliæ non longe a jugo alpino situm sex mares d. 30 Jun. et 13 Jul. 1840 inveni.

♂. Per nervorum directionem ab affinibus imprimis dignota. Caput obscure griseum, subrotundatum, postice parum productum. Antennæ breviusculæ, longitudine dimidium thoracem parum superant, modice crassæ, extrorsum paullulum tantum tenuiores, totæ obscuræ l. nigricantes, pilosulæ. Palpi nigri. Stethidium obscure cinereum, opacum, thoracis dorso dilutiori l. griseo, vittis 3 nigro-brunneis, media latiori integra, lateralibus utrinque abbreviatis. Scutellum rufescens. Regio circa alarum radicem fusca. Abdomen lineare, pilosulum, obscure fuscum, incisuris testaceis, apice (in mortuis) distincte recurvatum, ano brevi, fusco. Alæ longiusculæ, modice latæ, sordide flavicantes, maculis circiter 22, majusculis, brunneis, harum circiter 8 in costa, nonnihil majoribus, subquadratis, fere totidem in margine interiori, harum

plerisque paullo minoribus, rotundatis, et in disco circiter 6 in nervis transversis et furcaturis locatis, modice magnis, rotundis. Areola discoidalis oblongo-qnadrata normaliter adest, nervos tantum 2 emittens, quorum alter furcatus et plerumque breviter petiolatus; sed interdum areola deest, et loco ejus obveniunt duo nervi furcati, unde pone nervos transversos in hac varietate tres nervi furcati (ordinario antico simul numerato), quorum medius longe petiolatus; nervulus transversus ordinarius semper basi (nec medio) areolæ discoidalis insertus, et longitudinalis 1:mus (a margine interiori) modice longus, rectus, apice tantum leniter flexus. Halterum petiolus valde elongatus, pallidus, clava albida, basi obscura. Pedes sat tenues, fusco-testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. Coxæ totæ, et femora a basi ad medium et ultra indeterminate, flava.

B. Alæ pictæ. Nervus transversus ordinarius medio areolæ discoidalis inseritur. In disco alæ, ante medium, nervulus transversus nullus. Nervi furcati rami modice longi aut breviusculi. Meig. Dipt. 1. p. 119. Subd. B. Tab. 6. f. 1. et p. 122. Subd. D. Tab. 4. f. 15. *Limnophila* Macqv.

5. *L. pictipennis:* cinerea, thorace brunneo-subvittato; alis angustatis, albidis, crebre fusco-punctatis et maculis 6 costalibus majusculis subquadratis brunneis, areola ovato-quadrata; pedibus flavis, genubus determinate, et tibiarum tarsorumque apice, nigris ♂♀. (Long. 4 lin. et ultra).

Meig. Dipt. 1. 119. 2. ♂. Schumm. Dipt. Siles., 173. 51. ♂♀. T. 3. f. 2 (ala). *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 95. 1. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 28. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 1.

Hab. in paludosis, per Scandinaviam meridionalem, passim; in Scania ad Lund Jun. et Jul. et iterum Sep-

temb. mares mihi frequenter obvii; in Dania uterque sexus a D. *Stæger* non raro observatus, mihique missus. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 20 Maj. plura exempla mascula legit D. *Dahlbom*).

♂♀. Opaca. Antennæ dilute fuscæ, articulis 2 basalibus obscurioribus. Palpi obscuri l. nigricantes. Stethidium cinereum, sæpe dilute rufescenti-cinereum, thoracis lineolis dorsalibus subquatuor brunneis obsoletis, et puncto nigricante utrinque in humeris, ad scutellum et metathoracem. Abdomen in ♂ lineare, (in exiccato) fuscum l. sordide albidum, linea intra marginem obscura, ano fusco; sed interdum dilute griseum, segmentorum dorsalium basi cinerea; in ♀ fuscum, ano rufobrunneo. Alæ angustæ, albicantes, punctis parvis numerosis undique in nervis et interstitiis sparsis, brunneis, et maculis circiter 6 costalibus ejusdem coloris majusculis distinctioribus, quarum 2 l. 3 mediæ subquadratæ. Nervi transversi infuscati; nervi furcati petiolus ramis æque longus; 1:mus longitudinalis a margine interiori (axillaris) modice longus, rectus, apice inflexus; areola breviter ovato-quadrata. Halteres pallidi, clava dimidietate apicali fuscana. Pedes mediocres, pubescentes, cum coxis flavi, femorum apice determinate, tibiarum basi apiceque anguste, tarsorumque articulis 3 l. 4 ultimis, nigris. Femora ad apicem leniter crassiora. — Variat sæpe coxis fusco-rufescentibus.

Var. b. ♂. similis a., sed maculæ costales alarum distinctiores nullæ. Ad Lund in horto proprio in graminosis ad aquam 29 Maj. 1850, semel. (Feminam similem ad Neuenkirchen etiam invenit D. *Dahlbom*).

6. *L. angustipennis:* cinerea, thorace brunneo-subvittato; alis angustis, sordide testaceis, punctis brunneis valde obsoletis, costalibus distinctioribus, areola oblongo-quadrata; pedibus flavis, genubus determinate,

et tibiarum tarsorumque apice, nigris ♂. (Long. circiter 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 120. 3. ♂. Schumm. Dipt. Siles. 172. 50. ♂. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 96. 2. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 29. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 10. 2.

Hab. in vicinitate aquarum, Majo, Junio, in Dania passim, in Svecia meridionali rarius.

♂. Priori valde similis et affinis, sed alis obscurioribus, pictura obsoletiori, area paullo longiori, etc., certe diversa. Griseo-cinerea, opaca. Antennæ capite cum collo parum longiores, basi crassæ, extrorsum graciles; fusco-testaceæ, pilosæ, articulis 2 basalibus obscuris, nudis. Palpi nigricantes. Thorax ut in præcedente pictus. Alæ valde angustæ, jam dilute brunneæ, costa nigro-brunnea, a radice (ima basi albida excepta) ad ultra medium (ad nervos transversos) immaculata, deinde stigmate albicante et pone illud maculis albidis et obscuris alternantibus usque ad apicem alæ notata, strigisque subtribus longitudinalibus immediate sub costa nigricante præditæ; aut jam (forte in detritis) sordide albescentes, punctis parvis brunneis non paucis, sparsis, parum conspicuis, in costa vero præsertim parte antica crebrioribus et distinctioribus. In utraque varietate nervi transversi perspicue fusci. Directio nervorum ut in *L. pictipenni*, sed areola discoidalis paullulum longior. Halteres et pedes omnino ut in præcedente.

♀ a. D. *Stæger* l. c. etiam affertur; sed si mari similis vel dissimilis non indicatur. Omnia specimina a D. *Stæger* missa mascula fuerunt, nec feminam vidi.

Obs. *L. angustipennis* Zett. Ins. Lapp. alia est species, cum *L. morione* Fabr. identica, et a nobis sub n:o 66 descripta.

7. *L. punctata:* cinerea, thorace brunneo-trivittato; antennis breviusculis palpisque nigricantibus; alis subhyalinis, punctis numerosis, strigis costalibus pluribus

maculiformibus, maculis subqvinque juxta costam majoribus, quarum 2 mediis circularibus, nervisque transversis, castaneis; halteribus pallidis; pedibus obscure brunneis, coxis cinereis, femorum basi indeterminate flava, tibiis basi fusco-testaceis. ♂♀. (Long. fere 5—6 lin.).

Meig. Dipt. 1. 122. 6. ♂. T. 4. f. 15 (ala; figura non contemnenda). — Schumm. Dipt. Siles. p. 175. 52. ♂♀. T. 3. f. 2 (ala; areola nimis irregularis). — *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 96. 3. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 29. 3. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 4. *Tipula ocellaris* Linn. Fn. Sv. n:o 1751? Schrank, Ins. Austr. 425. 856? Fabr. Mus., teste *Meigen*; an etiam Fabr. Antl. 29. 27?

Hab. in Scandinavia locis humentibus, præsertim tempore vernali, passim, in copula etiam deprehensa; feminæ rarius obveniunt; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång et Abusa medio mensis Maji uterque sexus, sed mares imprimis frequentes; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Skalstugan 29 Jun. 16 Jul. non parce, etiam in copula; in Norwegia ad Christianiam Jul. 1844. ♀, D. D. *Dahlbom* et *Moë*, et ♂ ad Töien 30 Jun. 1846, D. *Siebke*; in Dania: ex. gr. in Ordrupsmose 24 Maj. copiose, sed solum mares, observante D. *Stæger*; ad Fredrikshamn, D. *Schiödte*.

♂♀. Cinerea, opaca. Antennæ breviusculæ, capite cum collo parum longiores, basi et medio crassæ, extrorsum sensim tenuiores, totæ nigricantes. Palpi nigricantes. Thoracis vittæ 3 brunneæ, media lata plerumque geminata, laterales valde abbreviatæ, ante qvas foveola humeralis in cujus fundo tuberculum parum elevatum, atrum. Linea scutelli et metathoracis

brunnea. Abdomen cinereum, ano rufescente. Alæ modice angustæ, albidæ, nervis brunneis, basi albicantibus; totæ punctis rotundis majoribus dilute brunneis sat crebre ornatæ. Costa extima (in interstitio 1:mo) a basi ad nervos transversos, maculis pluribus majusculis l. minusculis subqvadratis obscure brunneis etiam ornatur; pone stigma 3 maculæ quadratæ, æquali spatio remotæ, fuscæ, adsunt. Denique sub interstitio costali (in interstitiis 2:do et 3:tio) conspiciuntur maculæ 4 saturate brunneæ, sat magnæ, distinctæ, æquali spatio distantes, quarum 1:ma irregularis, 2:da qvadrata, 3:tia et 4:ta subcirculares, hæ duæ posteriores pupilla parva albida. Nervi transversi infuscati; longitudinalis 1:mus (a margine interiori) longiusculus, et 3:tius, apice distincte inflexi; furcati petiolus ramis subæqualis l. illis parum brevior. Halteres toti pallide flavi l. albidi, clava apice parum fuscana. Pedes graciles, obscure fusci, coxis trochanteribusque cinereis, femorum basi late, indeterminate flavida. Femorum apex leniter incrassatus. — Variat tibiis testaceis, apice obscuris; variat etiam pictura alarum paullo obsoleta.

8. *L. picta:* lutescens, thorace abdomineque fusco-vittatis; antennis rufo-testaceis, basi apiceque brunneis, palpis obscuris; alis sordide hyalinis, annulis maculisque castaneis; halteribus pallidis; pedibus rufo-flavis, femorum annulis 2 brunneis. ♂♀. (Long. fere 5—6 lin.).

Meig. Dipt. 1. 123. 7. Schumm. Dipt. Siles. 181. 56. ♂♀. T. 4. f. 3 (ala). Zett. Ins. Lapp. 833. 5. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 465. *Tipula picta* Fabr. Ent. Syst. Suppl. 550. 30. Antl. 29. 28. *Limonia* eadem Latr. Gen. Ins. 4. 258. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 97. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 30. 6. ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim, mihi mense Julio præsertim obvia; scilicet in Scania ad Tranås (in fruticibus hortorum et silvarum), Esperöd, etc., non parce; in

Ostrogoth. ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Norwegia ad Dowre, D. *Boheman*, ad Alstahaug et Levanger non infrequens, ipse; in Daniæ Charlottenlund, rarius, D. *Stæger*. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 15—20 Maj. 1842, et ad Stubbenkammer in Rugia 1 Jun. ♂ a D. *Dahlbom* observatus).

♂♀. Per picturam alarum pedumque annularem ab aliis affinibus dignota. Lutea, opaca, undique fusco-pubescens. Antennæ longitudine vix thoracis, basi crassæ, extrorsum valde tenues et pilosæ, medio rufo-flavæ, apice fuscæ, articulis 2 basalibus obscure griseis. Palpi obscuri. Thoracis vittæ dorsales 3 fusco-cinereæ, media geminata, laterales abbreviatæ. Abdomen basi in utroque sexu angustatum, totum sordide lutescens, linea utrinque laterali et vitta media, interruptis, fuscis; ano plerumque luteo l. rufo. Alæ modice angustæ, nervis basi apiceque brevissime, et costa tota, hirtis; totæ pulchre brunneo-pictæ, annulis nempe quatuor magis conspicuis, quorum 2 ad basin (uno post alterum) simplicibus, 3:tio majori, composito, areolam discoidalem et nervos transversos includente, et 4:to versus apicem alæ, mediocri, per punctum centrale basin furcæ ordinariæ tegente. Præterea ornatur alarum limbus maculis variis difformibus, quarum major totum apicem plerumque cingit. Nervus longitudinalis axillaris longiusculus apice leniter flexus; furcati petiolus ramis subæqualis. Areola oblongo-quadrata. Pedes tenues, toti cum coxis flavi, femoribus pone medium annulis 2 brunneis.

C. Alæ haud pictæ seu subimmaculatæ (nervi transversi interdum infuscati, et sæpe punctum unum alterumve fuscum ad costam). Nervi fere ut in B. directi, nempe transversus ordinarius medio l. fere medio areolæ discoidalis insertus. Nervi furcati rami modice longi, raro breviusculi. Meig. Dipt. 1. 125. Subd. E. Tab. 6. f. 2. et Subd. G. Tab. 4. f. 20. *Limnophila* Macqv. Stæg.

†. corpore obscuro (pleuris in *L. discicolli* n:o 11, et abdomine in *L. abdominali* n:o 17 ferrugineis).

9. *L. Lucorum:* cinerea, thorace fusco-trivittato; abdomine obscuro; antennis fuscis, basi palpisque obscuris; alis pallide brunneis, stigmate dilute fuscano, areola oblongo-quadrata, nervo axillari apice flexo, furcati ramis petiolo paullo longioribus; pedibus brunneis, basi ferugineis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Meig. Dipt. I. 125. 12. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 10. 4. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. I. 99. 16. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 34. 16. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, rarius; marem in fruticibus juxta aquam ad Esperöd Scaniæ in paroecia Tranås initio Augusti 1820 inveni; ♂ ad diversorium Isbult Calmariæ 27 Jul. 1841; utrumque sexum in copula in Charlottenlund Daniæ 25 Jul. legit D. *Stæger.* (Petropoli etiam capta ab *Hummel* 1823).

♂. Opaca, cinerea. Antennæ thorace nonnihil breviores, basi paullo crassiores; nudæ, extrorsum graciles, pilosæ, fusco-testaceæ, articulis 2 basalibus obscuris. Palpi nigricantes. Thoracis dorsum vittis 3 brunneis, lateralibus abbreviatis, ante quas (in humeris) foveola, in cujus fundo tuberculum nigrum, utpote in variis aliis hujus generis speciebus. Abdomen lineare, pilosulum, obscurum, ano flavo. Alæ longiusculæ, angustatæ, sordide hyalinæ l. lenissime subfuscanæ immaculatæ, stigmate fusco, obsoleto. Nervus transv. ordinarius fere medio l. versus basin areolæ oblongæ, quadratæ insertus. Nervus axillaris, seu a margine interiori 1:mus, longiusculus, parum flexuosus, apice incurvatus. Nervi furcati petiolus ramis nonnihil brevior. Halteres albidi, clava apice

fuscana. Pedes tenues, obscure brunnei, coxis totis, femoribusque basi latissime flavis. — Variat etiam tibiarum tarsorumque basi testacea.

♀ a D. D. *Macqvart* et *Stæger* l. c. etiam affertur, sed sine distinctione a mare; mihi non obvia.

Var. b. ♂♀. forte paullo minor, dilutior, thorace cinerascente, vittis 3 fuscis, media non geminata, pleuris testaceis. Stæg. l. c. var. b. ♀. In Dania ♀ a D. *Stæger* capta; utrumque sexum in Scania ad Esperöd mense Jul. inveni. Femina antennis basi tenuioribus quam in mare gaudet, alias, præter discrimen sexus, mari similis.

10. *L. placida:* cinerea, thorace vittis 3 fuscis, media gemina; abdomine obscuro; antennis subfiliformibus palpisque nigricantibus; alis hyalinis, stigmate concolore, areola oblonga, nervo axillari apice recto, furcati ramis petiolo subæqvalibus; pedibus brunneis, basi ferrugineis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 275. 67. ♂.

Hab. in Svecia mense Julio, minus frequens; scilicet a me in utroque sexu lecta: in Scania ad Lund, Råften (13 Sept. *Dahlbom*) atque ad Esperöd (in paroecia Mellby); in Ostrogothia ad Lärketorp, rarius; uterque sexus in pratis ad Stenkyrka Gottlandiæ 30 Jul. 1841. (Mas e Finlandia etiam a D. *Sahlberg* missus).

♂♀. Priori subsimilis, sed paullo minor, et antennis basi minus crassis, alis magis hyalinis, nervo axillari nonnihil breviori et apice non inflexo, etc., abunde distincta. Cinerea, opaca. Antennæ thorace paullo breviores, basi parum l. modice tantum crassæ, obscuræ, extrorsum tenuiores, fuscæ, pilosulæ. Palpi obscuri. Thoracis vittæ dorsales 3, brunneæ, media duplex, unde 4 exstant vittæ. Abdomen obscure fuscum, ano ferruginante. Alæ modice angustæ, hyalinæ, immaculatæ,

stigmate haud notato. Nervi tenues, fere ut in priori directi, sed nervi furcati rami petiolo subæque longi, transversus ordinarius versus basin areolæ, nec medio, insertus, et axillaris paullo brevior et rectior. Areola quoque oblonga minus regulariter quadrata, subcuneiformis. Halteres toti albo-flavi. Pedes tenues, in exsiccatis dilute brunnei, femorum tibiarumque apice, tarsorumque articulis ultimis obscurioribus; coxis totis femorumque basi late flavescentibus. — *L. unicolori* (18) accedere videtur.

11. *L. discicollis:* rufescenti-ferruginea, nitida, antennis sat longe pilosis, fronte, thoracis vittis 3 confluentibus, scutello, metathorace abdomineque fuscis; palpis obscuris; alis pallide fuliginosis, stigmate dilutissime fuscano, areola oblongo-quadrata, nervo transverso ordinario versus apicem areolæ inserto, axillari longiusculo, apice leniter flexo, furcati ramis petiolo nonnihil longioribus; pedibus brunneis, basi ferrugineis. ♂♀. (Long. circiter 4—5 lin.).

Meig. Dipt. 1. 125. 13. ♂. Schumm. Dipt. Siles. 161. 41. ♂♀. T. 3. f. 5 (ala, nervo axillari nimis flexuoso). — Zett. Ins. Lapp. 833. 6. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 10. 5. *Limnophila* Macqv. Buff. 1. 99. 18. ♂♀. Tab. 2. f. 5. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 32. 12. ♂♀.

Hab. in fruticibus et sæpibus juxta aqvam, per hortos et prata silvatica Scandinaviæ, passim, mihi Julio et Aug. præsertim obvia, in copula quoque aliquoties deprehensa; scilicet in Scania ad Tranås, Esperöd etc., sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum; in Gottlandia ad Storugns; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, rarius; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger, parce, D. *Dahlbom* (varietas minor); in Dania vulgaris, D. *Stæger*.

♂♀. Thoracis dorso nitido, disco nigricante, pleuris ferrugineis, antennis distincte pilosis, ab aliis hujus divisionis facile dignoscitur. Flavo-ferruginea. Frons nigricans. Antennæ thorace fere breviores, plerumque fuscæ, articulo 1:mo dilutiori; basi modice crassæ, extrorsum tenues, flagello sat longe fusco-piloso. Palpi obscuri. Stethidium flavum, thoracis dorso nudo, vittis 3 confluentibus, nigro-brunneis, lateralibus abbreviatis. Scutellum rufo-brunneum. Metathorax nigricans, limbo postico rufescente. Abdomen obscure fuscum, pubescens, ano rufescente; basi præsertim in ♂ angustatum. Alæ mediocres, pallide fuliginosæ, nervis distinctioribus, macula stigmaticali fusca, valde obsoleta, hirsutula. Nervi ut in diagnosi directi; connectens adest, basi furcæ 1:mæ insertus. Halteres pallidi, clava leniter fuscana. Pedes mediocres, brunnei, coxis totis, femoribusque basi indeterminate flavis. Tibiarum tarsorumque basis, saltem in individuis exsiccatis, sæpe etiam testacea. — In viva oculi in ♂ paullo obscuriores quam in ♀, ubi virescentes sunt.

Var. b. ♂♀. paullo minor (♂ 3 ½, ♀ vix 4 lin. long.), thoracis dorso toto fusco, pleuris ventreque testaceis. Stæg. l. c. var. c. Hab. in Dania. An specie distincta?

Obs. Sub nomine: "*Limnob. fuscipennis* Meig." specimina utriusque sexus ex var. a. e Dania mecum olim communicata fuerunt.

12. *L. subtincta:* lutescenti-fusca, opaca, thoracis vittis 3 palpisque obscurioribus; antennis basi flavidis; alis pallide brunneis, nervis omnibus transversis infuscatis, areola oblongo-quadrata, nervo transverso ordinario areolæ medio inserto, axillari longiusculo, apice curvato, furcati ramis petiolo paullo longioribus; pedibus ferrugineo-flavis, geniculis et tibiarum tarsorumque apice brunneis. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 4 lin.).

Hab. in graminosis Scandinaviæ meridionalis, ra-

rius: in Scania ad Lund 15—24 Sept. 1838 exempla 4 mascula et 2 feminea inveni.

♂♀. Color corporis luridus, alarum dilute brunnescens, nervi transversi omnes fuscedine cincti, etc. speciem denotant. Caput luteum, pubescens, postice in collum parum productum. Antennæ vix thoracis longitudine, basi modice crassæ, extrorsum sensim graciliores, pilosulæ, fuscæ, articulis 1:mo non multo longo, 2:doque flavescentibus. Palpi obscuri. Thorax luridus, opacus, pubescens, vittis 3 obscure brunneis, lateralibus antice abbreviatis, foveola humerali puncto nigro impleta; subtus brunneo-nigricans, plerumque fascia horizontali inter pleuras et sternum. Scutellum testaceum. Metathorax obscure brunneus, subnitidus. Abdomen fuscum, basi angustatum, ano rufescente; in ♀ linea utrinque laterali obscura. Halteres pallidi, clava basi subfuscana. Alæ modice angustæ, subbrunnescentes, irisantes, nervis distinctis, brunneis, transversis infuscatis, unde in singula ala etiam e longinquo inspecta maculæ l. puncta 5 vel 6 conspiciuntur. Nervi præterea ut in Meigeni Tab. 6. f. 2. directi, sed areola magis regulariter oblongo-quadrata, et rami furcæ apicalis petiolo paullo longiores. Nervus connectens basi l. mox infra basin furcæ anticæ insertus. Pedes longi, tenues, toti cum coxis flavi, femorum tibiarumque apice, et tarsorum articulis 3 ultimis nigro-brunneis.

13. *L. decolor:* fusca, immaculata; pleuris fusco-testaceis; alis pallide fuliginosis, stigmate dilutissime fuscano, areola oblongo-quadrata, nervo axillari longiusculo, apice leniter flexo, furcati ramis petiolo nonnihil longioribus; pedibus testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. ♀. (Long. circiter 2 $\frac{3}{4}$ lin.).

Limnob. unicolor Zett. Ins. Lapp. 834. 7. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele 1832

inventa in unico specimine, quod tamen hodie deperditum est.

♀. Simillima *L. Lucorum* (9), sed paullo minor et thorace immaculato, nec non pedibus magis flavidis diversa. Fusco-cinerea, parum nitida. Antennæ fuscæ, distincte pilosæ, versus apicem tenues. Palpi fusci. Metathorax cinereus. Abdomen fuscum, subnitidum, stylis analibus rufis. Alæ ut in *L. discicolli* (11), etiam secundum nervorum directionem. Halteres pallidi, clava margine obscuriori. Pedes ut in diagnosi.

Obs. Nomen: *unicolor* pro alia specie jam 1829 a D. *Schummel* usitatum est.

14. *L. arctica:* obscure cinerea, subimmaculata; antennis palpisque nigricantibus; alis pallide cinereo-hyalinis, basi flavis, nervis brunneis, longitudinali 3:tio (a margine interiori) valido stigmateque nigricantibus, areola suboblongo-quadrata, nervo transverso ordinario areolæ medio inserto, axillari longiusculo, apice curvato, furcati ramis petiolo parum longioribus; pedibus obscure brunneis, coxis femorumque basi flavis. ♂♀. (Long. 3 ½ fere 4 ¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 834. 8. ♂♀. — (An *Limnobia nigricans* Macqv. Dipt. d. Nord. p. 149. 8. ♀? et eadem Meig. Dipt. 7. 26. 81. ♀: obscure cinerea, thorace linea dorsali nigricante parum distincta; coxis femoribusque basi ferrugineis; alis basi ferrugineis, nervis transversis leniter infuscatis, stigmate brunneo?).

Hab. in paludosis Sveciæ borealis atque Lapponiæ Norwegicæ mediæ et summæ septentrionalis, Jul. Aug., passim, in copula etiam deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad Mulfjellen et Skalstugan, sat frequens; in Nor-

wegia: in alpe Kälahög, et ad Suul et Garnäs, non raro, demum in inferalpinis maritimis Nordlandiæ et Finmarkiæ, ut ad diversorium Björkvik, in insula Senjen, et ad Alten (non longe a Nord-Cap), a me inventa. Adscendit quoque in alpes, et in ipso alpium Finmarkicarum jugo parce lecta.

♂♀. Colore obscuriore, alis pallescentibus basi flavescentibus, nervo 3:tio crasso stigmateque nigricantibus, femoribus basi non late flavis, etc., a ceteris hujus subdivisionis dignota. Obscure cinerea, pubescens. Antennæ in ♂ vix thoracis longitudine, in ♀ adhuc paullo breviores, in utroque sexu basi crassiusculæ, extrorsum sensim tenuiores; totæ obscuræ, pilosæ, interdum in medio testaceæ. Palpi nigri. In thoracis dorso sæpe vestigium vittæ obscurioris. Thorax supra sæpe detritus niger, nitens. Abdomen obscurum, nitens, pubescens, ano in ♂ brunneo, in ♀ rufescente. Alæ longæ, angustatæ, cinereo-albo-hyalinæ, basi præsertim ad costam pallidæ, nervis brunneis, longitudinali 3:tio (a margine interiori), apice curvato, axillari longiusculo leniter flexuoso, apice etiam paullo curvato. Areola breviter oblonga l. ovato-quadrata, furcæ ramis petiolo tantum paullulum longioribus. Præterea in altera ala interdum nonnihil aberrat directio nervorum. Macula stigmaticalis semper oblonga, obscura, distincta. Nervi apicales sat perspicue hirti. Halteres pallidi, clava basi sæpe fuscana. Pedes mediocres, obscure brunnei, coxis trochanteribusque totis, et femoribus basi (ad $\frac{1}{3}$, interdum ad medium), flavis. Tibiæ etiam sæpe testaceæ, apice brunneæ, et tunc quoque metatarsus rufescens.

Obs. Limnob. phæostigma Schummel, Dipt. Siles. p. 165. 44. ♀: "nigro-cinerea; fronte albido-cinerea; thorace unicolore cinereo; abdomine nigro-fusco; alis subflavescentibus, fusco-nervosis, stigmate saturate fusco. Long. 4$\frac{1}{2}$ lin. Tab. 3. f. 8 (ala)", nostræ *Limn. arcticæ* valde affinis et similis videtur, et vix differt, nisi quod nervus ille, qui e nervis transversis oriundus ad nervum longitudinalem 3:tium prope

medium costæ inflectitur, proportione in nostra specie paullo longior videtur, quam in figura Schummeli, et nervus longitudinalis 3:tius (a margine interiori) pone transversum ordinarium in nostra nonnihil forte longior et minus curvatus, quam in citata figura, atque tandem insecti locus natalis longe alius, cum scilicet nostra species tantum terris polaribus inhabitare videtur.

15. *L. squalens:* obscure cinerea, immaculata; antennis palpisque nigricantibus; alis subalbido-hyalinis, nervis transversis leniter, puncto ad medium costæ stigmateque fuscis, areola oblongo-quadrata, nervo axillari modice longo, apice leniter curvato, furcati ramis petiolo subæque longis; halteribus albidis; pedibus obscure brunneis, coxis femorumque basi flavis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 834. 9. ♂♀.

Hab. in Scandinavia boreali et Lapponia mense Julio, minus frequens, in copula tamen capta; scilicet in Jemtlandia ad Säther prope Krokumselfven, atque ad diversoria Forsa (juxta Mulfjellet) et Skalstugan, 1840, non parce; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele et in Brattiksfjell prope Umenäs, 1832; in Norwegia: in alpe Dowre, D. *Boheman*, et in paludosis in insula Senjen Nordlandiæ, 1821, ipse.

♂♀. Similis priori, sed sæpe duplo minor, et alis minus albicantibus, maculis 2 costalibus fuscis obsoletis notatis, etc., diversa. Antennæ in ♂ longitudine saltem thoracis, subfiliformes, nigræ, articulis oblongiusculis pilosis; in ♀ thorace paullo breviores, submoniliformes, fuscæ, pilosulæ. Abdomen nigrum, nitens. Alæ subangustatæ, (in diu exsiccatis) albido-hyalinæ, nervis transversis leniter infuscatis, puncto juxta medium costæ (in geniculo nervi longitudinalis 2:di) et stigma-

te oblongo, fuscis. Nervi præterea fere ut in Meigeni Tab. 4. f. 18. directi, ubi vero areola magis ovata emittit nervos tres *simplices*, nec superiorem furcatum. Areola oblonga, quadrata, furcæ ramis petiolo parum l. paullulum tantum longioribus. Nervulus transversus ordinarius medio (nec basi) areolæ insertus, longitudinalis 3:tius (a margine interiori) validiusculus, apice distincte reflexus, 1:mus seu axillaris leniter subflexuosus et apice nonnihil curvatus. Halteres aibidi, clava versus apicem leniter subfuscana. Pedes tenues, obscure brunnei, coxis totis femorumque basi (circiter ad 3:tiam partem) ferrugineo-flavis. Tibiæ basi late, metatarsique, etiam interdum testacea.

16. *L. nigricollis:* fusca, thorace nigro, nitidissimo, postice macula griseo-micante; abdomine nigro-fusco, lurido-cingulato; alis pallide brunnescentibus, punctis costalibus 2, stigmateque fuscis, nervis transversis leniter infuscatis; pedibus ferruginosis. ♂. (Long. circiter 4 lin.).

Meig. Dipt. 6. 276. 70? ♂♀. — *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 96. 5? ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 29. 4. ♂. — *Limnob. nervosa* Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 167. 46. Tab. 3. f. 7 (ala)? ♂.

Hab in Dania, ubi ad Leersjön mense Julio ♂ semel captus, D. *Stæger*. A me non inventa.

♂. Antennæ longitudine thoracis (in ♀ paullo breviores), nigricantes. Caput obscure griseum. Thoracis dorsum nigrum, nitidum. Collare, pleuræ, scutellum et metathorax schistacea. Abdomen secundum *Meigen* nigro-fuscum, (secundum *Schummel* lurido-maculatum; secundum *Stæger* abdomen segmentis 1:mo obscure cinereo, 2:do nigro, nitido, 3—7 fasciis ferrugineis). Alæ maris secundum *Meigen* pallidæ, nervis transversis parum infuscatis, (in ♀ brunnescentes, nervis transversis infuscatis, ad costam punctis 2 stigmateque fuscis); se-

cundum *Schummel* fuscescentes, stigmate punctoque ad marginem anteriorem, fuscis. Secundum figuram alæ apud *Schummel* sunt areola ovata, nervus transversus ordinarius medio areolæ insertus, axillaris sat flexuosus, apice distincte curvatus, furcati rami petiolo æque longi, etc. Nervulus connectens quoque adest. Halteres flavi, clava apice fusca, (secundum *Schummel* ferruginei). Pedes fusco-ferruginei, femorum tibiarumque apice, tarsisque, obscure brunneis.

17. *L. abdominalis:* cinerea, thoracis disco dorsali nigro, nitido; antennis longitudine thoracis palpisque nigris; abdomine ferrugineo, nitido, fasciis subquinis nigris; alis angustis, sordide hyalinis, basi pallidis, puncto stigmaticali, nervisque transversis leniter, fuscis; areola oblongo-quadrata, nervo transverso ordinario areolæ medio inserto, axillari modice longo, apice subcurvo, furcati ramis petiolo parum longioribus; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque obscuris. ♂. (Long. circiter 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. 29. 5? ♂: "thorace nigrofusco; abdomine luteo, nitido, maculis lateralibus nigris; alis lutescentibus, nervis transversalibus punctoque marginali fuscis. Long. 4 lin." — *Limnob. nervosa* var. ♂, Schumm. Dipt. Siles. p. 168?

Hab. in Norwegia, rarissime: ad diversorium Oestre-Næs Værdaliæ specimina duo initio Julii 1840 inveni; et si Stægeri species cum nostra identica sit, hospitatur etiam in Dania, ubi ad Leersjön unicum individuum d. 1 Sept. captum.

♂. Glabricula. Caput cinerascens, orbita oculorum dilutiori. Antennæ nigræ, brevissime griseo-puberulæ, articulis 1 et 3 ima basi ferrugineis; 1:mo cylindrico, 2:do subgloboso, reliqvis

ovalibus, subæqualibus. Stethidium cum scutello et metathorace obscure cinereum, opacum, thoracis dorso nigro, nitido. Abdomen lineare, basi angustatum, totum tenuiter pubescens, nitidum, flavo-ferrugineum, segmentis 3, 4, 5, 6 et 8 basi fascia nigra lateribus decurrente. Anus flavus. Venter flavus, segmento 8:vo cingulo nigro. Alæ sordide flavido-hyalinæ, basi pallidæ, puncto stigmatis fusco et nervis transversis leniter infuscatis. Areola sat regulariter oblongo-quadrata. Nervi: axillaris leniter flexuosus, apice paullulum curvatus, longitudinalis 3:tius ut solite nonnihil distinctior et apice conspicue curvatus. Halteres albidi, clava apice brunnea. Pedes mediocres cum coxis ferrugineo-flavi, femorum tibiarumque apice tarsisque totis nigris. Tibiæ, excepto apice, testaceæ.

18. *L. unicolor:* nigro-cinerea, capite thoraceque pallidioribus, hoc vittis 3 dorsalibus fuscis, media gemina; alis cinerascentibus, basi ad costam rufescenti-flavis, areola oblonga, nervo axillari recto; pedibus nigricantibus, femoribus basi fusco-flavescentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{2}{3}$ —3 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 187. 59. Tab. 4. f. 5—7. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 35. 18. ♂.

Hab. in Dania, ubi mas unicus in Charlottenlund mense Jul. inventus, D. *Stæger.* Mihi ignotus.

♂. Simillima *L. immaculatæ* Meig., sed per præsentiam areolæ discoidalis mox dignota. — "Corpus totum cum antennis et palpis nigro-cinerea. Caput & thorax nigro-cinerea, hic dorso vittis 4 fuscis, quarum mediis valde approximatis, lateralibus antice abbreviatis. Forceps analis fuscana. Pedes nigricantes, femoribus basi fusco-flavis. Halteres sordide flavescenti-albi, clava apice fusca. Alæ dilute cinerascentes, nervis tenuibus obscure fuscis, costa et nervi 2 longitudinales proximi basi flavescentes. Cellula discoidalis (areola) ple-

rumque (non semper) occlusa. Stigma (umbra fusco-flava ad marginem anticum) parum conspicuum". Schumm. l. c.

♀, mari præter differentiam sexus similis, a D. *Schummel* etiam affertur.

Obs. Secundum *Schummel* (tab. 4. f. 5) sunt nervus axillaris breviusculus, totus rectus; transversus ordinarius juxta basin areolæ subcuneiformis, subcompletæ insertus; furcati rami petiolo subæque longi; connectens (pone stigma) præsens. — *L. placidæ* (10) affinis videtur.

††. corpore pallescente (in *L. barbipede* n:o 19 thorax supra griseus. *L. discicollis* pleuris ferrugineis sub n:o 11, et *L. abdominalis* abdomine luteo sub n:o 17, quærendæ).

19. *L. barbipes:* luride ferruginea, opaca; antentennis thorace paullo brevioribus, basi brunneis; thoracis dorso griseo, linea media fusca; abdomine testaceo, linea dorsali interrupta, fusca; alis sordide albido-hyalinis, costa fusca, maculis subtribus saturatioribus, areola trapezina, nervo transverso ordinario medio areolæ inserto, axillari longiusculo, flexuoso, furcati ramis petiolo nonnihil longioribus; pedibus ferrugineis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo, horum articulo ultimo in ♂ utrinque fusco-fasciculato. ♂♀. (Long. 8—10 lin.).

Meig. Dipt. 1. 130. 25. ♂. — et 6. p. 273. ♂♀. Schumm. Dipt. Siles. p. 177. 53. ♂♀. Tab. 3. f. 9 (ala). *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 98. 13. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 30. 7. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 465. *Ctenophora 4-maculata* Fabr. in museo Sehestedto-Lundiano, teste *Stæger.*

Hab. in Scandinavia meridionali et media, mens. Jun., Jul. et Aug., passim, loca arenosa amans, sed etiam in graminosis hortorum et pascuorum sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd in paroecia Tranås, etc., certis annis sat frequens; in Uplandia ad Carlberg prope Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg*; in Dania ad aqvas Majo, Junio, rarius, D. *Stæger*.

♂♀. Tarsorum vestitu in ♂, et corpore magno robusto, luride colorato in utroque sexu, facile dignota. Caput rufescens, fronte sæpe cinerascente. Antennæ capite cum collari parum longiores, ferrugineæ, articulis 1 elongato, cylindrico, et 2 brevi, fuscis, puberulis, 3—7 majusculis, rotundatis, et reliquis sensim tenuioribus, pilosis. Palpi ferruginantes. Stethidium rufo-testaceum, thoracis dorso pubescente, griseo-cinereo, linea media angusta, et fovea utrinque humerali, brunneis. Scutellum rufescenti-cinereum, distincte pubescens. Metathorax rufus. Abdomen flavo-testaceum, aureo-pubescens, linea dorsali interrupta ferruginea, sæpe obsoleta. Segmentum ultimum fuscum. Anus rufus. Alæ in exsiccatis sordide albido-flavescentes, nervis crassiusculis brunneis, costa anguste saturatius brunnea, maculis subquinque parvis indeterminatis obscure brunneis notata, quarum 1:ma versus basin, 2:da in medio, 3:tia nervis transversis opposita, 4:ta loco stigmatis, et ultima pone stigma obsoleta. Areola subdifformis, hexagona. Nervi: axillaris subflexuosus, apice parum inflexus, longitudinalis 3:tius (a margine interiori) pone transversum leniter tantum curvatur, furcati rami basi subventricosi. Halteres pallidi, clava subfuscana. Pedes validiusculi, fusco-pubescentes, femorum, tibiarum tarsorumque apice plus minus intense brunneo. In ♂ articulus tarsorum ultimus obscurus, basi utrinque fasciculo parvo pilorum nigrorum. Ungves in utroque sexu atri.

20. *L. dispar:* ferruginea, nitida; capite canescen-

te; antennis flavis, articulo 1:mo palpisque obscuris; thoracis vitta dorsali nigro-brunnea; alis hyalinis, stigmate fusco, areola oblongo-subquadrata, nervo transverso ordinario medio areolæ inserto, axillari longiusculo, leniter flexuoso apiceque leniter curvato, furcati ramis petiolo paullulum longioribus; pedibus obscure brunneis, coxis, femorumque basi, flavis, tibiis testaceis, apice fuscis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Meig. Dipt. I. 129. 22. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 12. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. I. 98. 11. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 31. 9. ♂♀.

Hab. in Scandinavia passim; mares plerumque circa medium mensis Junii observavi, feminas paullo serius; scilicet in Scania ad Lund, Fliinge *(Dahlbom)*, Esperöd, etc.; in Ostrogothia ad Gusum, atque in Ölandia et Gottlandia (*), affirmante Prof. *Wahlberg*; in Dania ad aquas mense Augusto sat raro inventa, D. *Stæger*.

♂♀. Ferruginea, nitida, puberula. Caput opacum, obscure cinereum, fronte cana. Oculi majusculi, rotundi. Antennæ vix longitudine thoracis, basi crassiusculi, extrorsum sensim tenuiores, pilosæ, pallide flavæ, articulo 1:mo obscure brunneo. Os et palpi nigro-brunnea. Thoracis vitta dorsalis a collari ad suturam transversam latiuscula, brunneo-nigra. Abdomen in ♂ plerumque linea dorsali antica interrupta, et semper segmentis 2 ultimis, obscure brunneis, ano majusculo, horizontaliter subexserto, flavo; in ♀ sæpius fusco-ferrugineum, incisuris obscurioribus, ano rufo. Alæ modice latæ, subhya-

*) mihi hæc species numquam obvia fuit in Scandinaviæ provinciis mediis et borealibus, ubi e contrario affinem illam *Limn. lineolam* sæpe deprehendi; specimen femineum *(L. disparis)* in Gottlandia ad Sanda 25 Jun. 1850 invenit D. *Dahlbom*.

linæ, summo margine costali dilute flavido, stigmate oblongo, fusco, sat distincto. Nervi apicales tenuiter hirti. Areola modice oblongo-quadrata, subhexagona. Nervi furcati rami petiolo nonnihil longiores. Nervus ille, qui e nervis transversis oriundus versus costam in medio curvatur, in hac specie breviusculus est. Halteres pallidi, clava apice subfuscana. Pedes ut in diagnosi.

21. *L. lineola:* ferruginea, nitida; capite cano; antennis flavidis l. dilute fuscis, articulo saltem 1:mo palpisque obscuris; thoracis lineola dorsali nigro-brunnea; alis flavido-hyalinis, stigmate dilutissimo, areola oblongo-subquadrata, nervo transverso ordinario medio areolæ inserto, axillari longiusculo, leniter flexuoso et apice leniter curvato, ramis petiolo subæqualibus; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 128. 21. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 98. 10. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 31. 8. ♂♀.

Hab. in pratis silvaticis mense Jul. et Aug. passim, femina paullo frequentius obvia; scilicet in Smolandia ad Berga in paroecia Högsby, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Ahlskog etc.; in Westrogothia ad Tubbetorp, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia ad Mulfjellet, rarius; in Norwegia ad Näs, parce; in Dania ad aqvas Jul. et Sept. sat raro, D. *Stæger.* (♂ ad Gryphiam Jul. 1845 etiam captus a D. *Dahlbom).*

♂♀. Priori valde similis, sed magnitudine sæpe nonnihil minore, antennis plerumque minus pallidis, thoracis linea dorsali paullo angustiori, alis forte magis flavidis, stigmate pallido (nec fusco), nervi furcati ramis petiolo parum longioribus, et demum pedibus magis flavis, vere distincta. — An-

tennæ ut in præcedente constructæ, plerumque in medio flavescentes, basi apiceque obscuriores, aut flavescentes, articulo 1:mo, interdum etiam 2:do, obscuris. Alarum nervi paullo tenuiores quam in priori. Pedes cum coxis flavi, femoribus apice $\frac{1}{3}$ (nec ut in priori $\frac{2}{3}$) obscure brunneis; tibiarum apice anguste, tarsisque l. totis l. apice late, fuscis.

22. *L. ochracea:* silacea; capite cinerascente, antennis palpisque obscure fuscis; thorace vittis duabus brunneis; alis subhyalinis, stigmate fusco, nervi furcati ramis petiolo multo longioribus, areola rectangulari; pedibus dilute fuscis, femorum basi ochracea. ♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 129. 23. *Limnophila* eadem Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 31. 10. ♀.

Hab. in Dania, ubi tantum unicum specimen femineum hactenus observatum, D. *Stæger*. Mihi in Scandinavia non obvia.

♀. Thorax bivittatus, alarum area costalis rectangularis et nervi furcati apicalis petiolus ramis multo brevior, speciem satis denotant. — Ochracea. Caput cinereum l. luteum, antennis palpisque obscurioribus. Halteres flavi, clava puncto fusco. Pedes flavido-fusci, basi femorum ochracea.

23. *L. ferruginea:* ferruginea, nitida; capite cinerascente, antennarum flagello fusco-annulato, palpis extrorsum obscuris; alis flavescentibus, stigmate dilutissimo, areola oblongo-subquadrata, nervo transverso ordinario medio areolæ inserto, axillari longiusculo, leniter flexuoso et apice leniter curvato, furcati ramis petiolo paullo longioribus, illo, qui e transversis oritur et versus costam curvatur, breviusculo (in ♂); pedibus flavis,

femorum tibiarumque apice anguste, tarsorumque articulatione, fuscis. ♂♀. (Long. $3\frac{3}{4}$—4 lin.).

Meig. Dipt. I. 128. 19. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 11. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. I. 97. 9. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 31. 11. ♂♀. *Limnobia præusta* Schumm. Dipt. Siles. p. 169. 48. ♂♀. T. 3. f. 4 (ala, nervorum directione exacte delineata). — *Limonia flavescens* Latr. Gen. 4. 259.

Hab. in fruticibus et graminosis locis paludosis, per hortos, nemora, prata et silvas Scandinaviæ meridionalis et mediæ, vulgaris et sæpe copiose, in copula etiam multoties capta, mensibus Majo, Jul., Aug., Sept. mihi obvia; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Smolandia ad prædium Berga in paroecia Högsby non parce, D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum, etc.; in Gottlandia ad Martebo; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Dania ad aquas, frequens.

♂♀. A tribus proxime præcedentibus, thorace immaculato statim dignota. Ferruginea, nitida, pallide puberula. Caput cinerascens, opacum. Antennæ in ♂ thoracis fere longitudinis, in ♀ paullo breviores, in utroque sexu ferrugineæ, flagello fusco-annulato et extrorsum sæpe fusco, toto piloso, articulis rotundatis. Palpi obscuri, basi rufescentes. Oculi in viva pulchre aureo-virides, in mortua nigri. Abdomen in ♂ segmentis 2 ultimis fere totis nigro-brunneis, in ♀ plerumque lineola laterali fusca notatum, ano in utroque sexu rufo-flavo. Alæ flavescentes, stigmate parum conspicuo, nervis costalibus flavis, reliqvis modice tenuibus, brunneis, omnino ut in *L. dispari* (20) directis, sed apicalibus vix hirtulis. Halteres pallidi, clava apice fuscana. Pedes flavi, femorum tibiarumque apice fusco. Tarsorum articuli 1 et 2 apice anguste, et reliqui plerumque toti, etiam fusci.

Var. b. ♀. abdomine toto nigricante, nitido, margine laterali summo et incisuris flavis, ano ferrugineo. Cum var. a. inventa, non raro.

24. *L. glabricula:* ferruginea, nitida; capite griseo, antennis fuscescentibus basi flavis (♂), aut totis flavis (♀); palpis obscuris; alis hyalinis, nervis transversis leniter infuscatis, stigmate punctoque ad medium costæ fuscis, areola oblongo-quadrata, nervo transverso ordinario medio areolæ inserto, axillari longiusculo leniter flexuoso et apice leniter curvato, furcati ramis petiolo nonnihil longioribus, illo, qui, e transversis oritur et versus costam curvatur, longiusculo; pedibus flavis, apice femorum sat late, et tibiarum anguste, tarsisque articulis ultimis, fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 3—3½, ♀ fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 6. 276. 69. ♀. *Limnob. binotata* Zett. Ins. Lapp. 834. 10. ♂♀. *Limnob. Punctum* Schumm. Dipt. Siles. p. 166. 45? ♀.

Hab. in pratis sylvaticis et paludosis, mense Julio, per Scandinaviam meridionalem rarius, borealiorem passim frequentius, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga marem unicum inveni; in Jemtlandia vero ad alpes Åreskutan et Mulfjellet, nec non ad Stalltjernstugan utrumque sexum non parce legi; in Lapponia Umensi ad Umenäs, Tresunda, Stöttingsfjellet, etc., passim; in Norwegiæ alpe Kälahög sat frequenter observata, sed in litore maris ad Alstahoug rarius visa.

♂♀. Priori affinis et valde similis, sed, præter alias notas leviores, per antennarum articulos paullo longiores, alas magis hyalinas, vix flavidas, nervos transversos, maculam stigmaticalem punctumque ad medium marginis anterioris fusca, ut

et præcipue per nervum illum subcostalem, qui e nervo superiori transversalium exit et in medio ad nervum longitudinalem 2:dum subgeniculatim curvatur (ubi etiam punctum illud fuscum situm), fere duplo longiorem, certe distincta. Caput luteum. Antennæ ut in præcedente pilosæ, sed in ♂ thorace fere longiores, fuscæ, articulis 3 l. 4 basalibus flavis; in ♀ nonnihil breviores, fere totæ flavæ, apice tantum leniter fuscæ, in utroque sexu articulis suboblongis, nec rotundatis. Abdomen flavo-ferrugineum, linea laterali fusca; in ♂ segmentis 2 ultimis semper obscuris; in ♀ abdomen interdum totum nigricans, ano rufo. Alarum nervi conspicui, apicales hirti. Halteres pallidi, clava apice fuscana. Pedes ut in priori, sed femora apice latius (fere $\frac{1}{4}$) et magis determinate nigricantia.

Obs. Limn. Punctum Meig. Dipt. 1. 128. 20. ♀ est vix nisi varietas *L. glabriculæ*.

25. *L. scutellata:* "thorace rufo-cinereo, fusco-4-vittato; scutello flavo; abdomine flavo-testaceo, fusco-fasciato; alis infuscatis, maculis tribus marginalibus nervisque transversalibus fuscis. ♀. (Long. 5 lin.)"

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 34. 17. ♀.

Hab. in Dania, ubi ad Leersjön mense Julio plures feminæ captæ, D. *Stæger.* Mihi ignota.

♀. Caput rufo-flavum, fronte fusco-grisea. Palpi nigri. Antennæ fuscæ, 16-articulatæ: articulo 1:mo basique 2:di et 3:tii ferrugineis, 3—7 ovali-rotundatis, reliquis longiusculis, tenuibus, omnibus sat longe pilosis. Thorax rufo-cinereus, vittis 4 obscure fuscis, nitidis, lateralibus latioribus, antice mediis appropinquantibus, his postice approximatis fere in formam litteræ M. Pleuræ flavo-cinereæ, maculis fuscis et punctis aliquot, quorum uno, in basi coxarum posteriorum, imprimis conspicuo. Scutellum flavum. Metathorax obscure fuscus, cinereo-micans. Abdomen sordide flavum, segmento-

rum margine laterali et apicali supra nigro, qui color versus medium segmentorum obsoletius extenditur. Cauda fusco-flava, longiuscula, sed tenuis et acuta, versus apicem nonnihil sursum flexa. Alæ fuscescentes, nervis nigris, transversis obscure infuscatis; maculis 3 fuscis, una in nervulo transverso areæ marginalis, altera in nervo transverso ordinario, et 3:tia in nervi marginalis connectione angulata cum nervo longitudinali 1:mo. Directio nervorum præterea ut in Meigeni subd. E. Tab. 6. f. 2., sed area discoidalis magis oblongiuscula, fere rectangularis. Halteres fusco-flavi, clava obscuriore. Coxæ et pedes fusco-flava, apice femorum tibiarumque nigro, tarsis obscuris." Stæg. l. c.

D. Alæ non pictæ seu immaculatæ (præter stigma interdum fuscum). Areola discoidalis oblongo-subquadrata emittit 3 nervos, quorum superior furcatus, furca brevissima (hujus subdivisionis nota priva). Nervi: longitudinalis 3:tius etiam furcatus, furca elongata; connectens ad stigma adest; transversus ordinarius fere medio l. versus basin areolæ insertus. Meig. Dipt. 1. p. 126. Subd. F. Tab. 6. fig. 3.

26. *L. nemoralis:* læte cinerea, opaca, thoracis vittis 4 fuscis; antennis fuscis, articulis 2 basalibus flavis; palpis obscuris; abdomine lurido; alis pallide cinereo-hyalinis, stigmate dilutissimo, nervo axillari longiusculo, leniter flexuoso; halteribus flavis; pedibus flavescentibus. ♂♀. (Long. ♂ circiter $2\frac{1}{2}$, ♀ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 126. 15. Schumm. Dipt. Siles. p. 162. 42. ♂♀. T. 3. f. 6 (ala, ubi areola nimis brevis depicta). — Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 6. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 99. 14. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 33. 13. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, per prata et silvas, Jul. Aug., passim; scilicet in Scania ad Skarhult, Esperöd in paroecia Tranås, etc., haud parce; in Dania non raro, D. *Stæger*, qui specimina utriusque sexus mihi 1839 misit; in Scandinavia media et boreali mihi non obvia.

♂♀. Caput canum. Antennæ thorace paullo breviores, basi crassiusculæ, extrorsum tenues, pilosæ, articulis 2 primis flavis, flagello fusco. Palpi nigricantes. Oculi nigri, in viva virescentes. Stethidium canum, thoracis dorso lineis 4 brunneis, lateralibus abbreviatis. Abdomen testaceum l. luridum; in ♂ pilosum, basi sæpe cinerascens et apice semper fascia obscura, ano flavo; in ♀ subimmaculatum, ano ferrugineo. Alæ modice latæ, flavido-cinereo-hyalinæ, stigmate haud notato, nervis subtenuibus, subfuscis, costalibus dilutioribus. Areola modice oblongo-quadrata. Nervi: furcati petiolus longissimus; axillaris longiusculus, leniter flexuosus, apiceque leleniter curvatus; transversus ordinarius propius basi quam medio areolæ insertus; apicales tenuiter hirtuli. Halteres pallidi. Pedes sordide testacei, l. flavido-brunnei, coxis femorumque basi dilutioribus. Apex femorum plus minus late, sæpe, et tibiarum summus, fuscus. Tarsi articulis primis puncto apicali, et ultimis sæpe totis, fuscis. Trochanteres summo apice annulo angustissimo nigro.

Var. b. ♂. "obscurior; antennis totis fuscis; thorace distincte fusco-vittato; pedibus fuscis, basi testaceis; paullo minor var. a." *Stæger* l. c. — E Dania 1839 mecum communicata. Sequenti mihi propior videtur.

Obs. Specimen femineum, quod ab alio collectore ut incolam Lapponiæ (forte per errorem) venditum obtinui et in Insectis Lapponicis sub nomine: *L. leucophæa* descripsi, sine dubio ad *L. nemoralem* referendum.

27. *L. leucophæa:* cinerea, opaca, thoracis vittis

3 latis, obscuris; antennis palpisque nigricantibus; abdomine fusco; alis flavo-hyalinis, stigmate dilutissimo, nervo axillari longiusculo, leniter flexuoso; halteribus pallidis; pedibus flavescentibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 127. 16? ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 8?

Hab. in Scandinavia media rarius, boreali passim frequentius, per prata et silvas, mense Julio; scilicet in Gottlandia ad Stenkyrka, semel; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg;* in Jemtlandiæ regione alpina, ut ad Mulfjellet, Åreskutan, Stalltjernstugan et Skalstugan, in utroque sexu, copiose; in Norwegiæ jugo alpino ad Suul et Kälahög etiam frequenter; ad Näs, Alstahaug et Levanger quoque non parce occurrit. 18 mares et 24 feminas comparavi.

♂♀. A priori, cui similis, antennis totis obscuris, thoracis vittis latioribus et obscurioribus, alis magis flavidis, etc., abunde dignoscitur, nec cohabitant. Caput cinereum, fronte antice cana. Antennæ longitudine circiter dimidii thoracis, pilosæ, totæ obscuræ l. fuscæ, basi in ♂ paullo crassiores, quam in ♀. Palpi nigri. Stethidium schistaceum, thorace supra vittis 3 obscuris, latis, subconfluentibus, totum fere dorsum occupantibus, margine antico pallido l. albo. Scutellum subtus sæpe rufescens. Abdomen subnitens, pilosulum, obscurum l. sæpe fuscum, interdum sordide lutescens; ano in ♂ flavo l. luteo, in ♀ ferrugineo. Alæ modice latæ, isabellinæ seu sordide flavescentes, stigmate vix l. parum notato. Nervi ut in præcedente directi, sed variat furcati petiolus interdum nonnihil brevior, ramis tamen semper distincte longior. Halteres pallidi, clava apice parum fuscana. Pedes jam toti (præsertim in ♀) brunnescentes, coxis femorumque basi pal-

lidioribus, jam sæpe flavescentes, apice femorum late, tibiarum anguste, tarsorumque articulis ultimis totis, brunneis.

Obs. Limn. leucophæa Zett. Ins. Lapp. 835. 11. ♂♀. huc non pertinet. Vide observationem sub specie antecedente.

28. *L. plebeja:* læte cinerea, thoracis vittis 4 fuscis; antennis palpisque obscuris; abdomine obscure fusco; alis hyalinis, immaculatis; halteribus albidis; pedibus fuscis, coxis femorumque basi ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ secundum *Stæger* $1\frac{3}{4}$—2, ♀ secundum *Meigen* $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 127. 17. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 9. *Limnophila* eadem Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 33. 14. ♂.

Hab. in Daniæ pratis ad Leersjön mense Junio, non raro, D. *Stæger*. A me in Scandinavia reliqua frustra quæsita.

♂♀. "Caput et stethidium læte cinerea. Antennæ et palpi secundum *Meigen* fusca, illæ secundum *Stæger* nigræ. Thorax vittis dorsalibus 4 fuscis, lateralibus antice abbreviatis, et pone harum singulam puncto fusco. Abdomen obscure fuscum *(Meigen)*, vel fuscescens *(Stæger)*, ano ferrugineo. Alæ hyalinæ, immaculatæ *(Meig.)*, vel dilute flavidæ, hyalinæ, absque vestigio stigmatis *(Stæger)*. Pedes læte brunnei, coxis femorumque basi flavis *(Meigen)*, vel obscuri, coxis femorumque basi ferrugineis *(Stæger)*. — Cetera ut in *L. nemorali* (n:o 26)." *Meig.* et *Stæg.*

29. *L. hyalipennis:* cinerea, opaca, thoracis vittis 3 latis, fuscis; antennis palpisque obscuris; alis hyalinis, stigmate dilutissimo, nervo axillari breviusculo, recto; halteribus pallidis; pedibus subbrunnescentibus, coxis femorumque basi dilutioribus. ♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia media, rarissime; in Ostrogothia ad villam Lärketorp in paroecia Mjölby 14 Aug. 1833 in unico exemplo inventa.

♀. Valde similis *L. leucophææ* (27), sed statura paullulum graciliori, alis purius hyalinis, nec subflavidis, et præcipue nervo axillari seu longitudinali 1:mo a margine interiori numerato, breviori et recto, nec flexuoso, nec apice curvato, certe distincta. A præcedente thoracis vittis 3 latis, nec 4, etiam differre videtur. — Schistacea. Antennæ (ex parte mutilatæ) obscuræ. Palpi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3, latæ, subconfluentes, obscure brunneæ, laterales antice abbreviatæ; puncto humerali nigro. Anus ferrugineus. Alæ subangustatæ, vitreæ, immaculatæ, stigmate tantum in macula dilutissime fuscana conspiciendo. Nervi tenues, sed perspicui, fusci; furcatus anticus (versus costam) petiolo ramis subæque longo; furcatus ordinarius petiolo ramis multo longiori. Nervulus connectens (ad stigma) mox infra basin furcæ, et transversus ordinarius fere medio areolæ oblongæ, quadratæ, insertus. Halteres pallidi. Pedes (in diu exsiccata) dilute brunnei, coxis femorumque ima basi pallidioribus.

30. *L. stigmatella:* cinerea, opaca, thoracis vittis subtribus latis, fuscis; antennis longiusculis palpisque nigricantibus; alis hyalinis, stigmate fusco, nervo axillari breviusculo, recto; halteribus pallidis; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavis. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 835. 12. ♂♀.

Hab. ad Lycksele Lapponiæ Umensis, rarissime, d. 13 Aug. 1832 in utroque sexu inventa.

♂♀. Similis præcedenti, sed stigmate alarum distinctiore et nervorum directione paullo diversa, dignoscitur. Antennæ in ♂ thorace fere longiores, in ♀ nonnihil breviores, in utroque

sexu nigræ, breviter pubescentes, subfiliformes, articulis oblongis. Palpi obscuri. Thoracis vittæ dorsales aut 3 latæ, subconfluentes (♂), aut subquatuor (media scilicet gemina) (♀); obscure brunneæ, laterales antice abbreviatæ. Abdomen fuscum, in ♂ lateribus et incisuris præsertim ventralibus, dilutioribus; in ♀ maculis dorsalibus obscuris. Anus ♂ fuscus, ♀ ferrugineus. Alæ hyalinæ, macula stigmaticali late ovali, fusca, nervis omnibus brunneis et transversis leniter infuscatis. Areola discoidalis oblonga, difformis, in altera ala (in utroque sexu) deest, qualis nervorum ratio (monstrosa) in alis Tupulariarum sæpe obtineat. Nervulus transversus connectens et alter versus apicem prope costam adsunt, unde areola oblongo-quadrata ad stigma formatur, maculam fuscam fere totam includens. Furca antica ramis longissimis, petiolo brevissimo. Nervus, qui infra transversos ad costam curvatur, brevis; transversus ordinarius versus basin areolæ insertus. Halteres sordide albidi. Pedes obscure fusci, coxis basi cinereis, apice, trochanteribus totis, femorumque basi late, flavo-testaceis. — *Cylindrotomæ* propinqua.

31. *L. nitidicollis:* thorace nitido, testaceo, pleuris flavis, vitta horizontali pectoreque fuscis; abdomine nigro-fusco; alis cinerascentibus, stigmate fusco; halteribus pallidis; pedibus rufo-brunneis, trochanteribus femoribusque basi ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 2½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 126. 14? ♀. *Limnophila* eadem Stæg. Dipt. Dan. 1840. 33. 15. ♂.

Hab. in Dania, D. *Stæger;* tempore vigendi locoque natali non indicatis. A me non inventa, neque visa.

♀. "Palpi et antennæ tota obscure brunnea. Caput cinereum. Thorax dorso nitido, testaceo, pleuris flavis. Abdomen nigro-fuscum, ano flavo. Pedes rufo-brunnei, coxarum articulo 1:mo (trochanteribus mihi?) ferrugineo, 2:do (coxis propriis mihi?) nigro; femorum basi etiam ferruginea. Halteres pal-

lide flavi. Alæ cinerascentes, stigmate distincto, fusco. In pratis sylvaticis Junio". *Meigen* l. c.

♂. "Præter vittam pleurarum horizontalem, a collo, sub radice alarum, usque ad abdomen extensam, et pectus inter coxas anticas et intermedias, fusca, hic omnino convenit cum descriptione speciei a *Meigen* citatæ. Cum ille Auctor tantum feminam cognovit, verosimile videtur, hunc marem intensius pictum esse alterum sexum ejusdem speciei". *Stæger* l. c.

Sect. 2. Alarum areola discoidalis (subquadrata aut oblongo-subquadrata, in *L. hyalinata* n:o 60 interdum apice aperta) emittit nervos tres, omnes simplices. Nervi sex longitudinales (apicibus) marginem interiorem attingunt. Nervus transversus ordinàrius aut basi, aut infra basin (rarissime medio) areolæ inseritur. Antennæ sæpissime 15-articulatæ. Meig. Dipt. 1. p. 132—146. Subd. K. N. O. P. R. Tab. 5. f. 6. — Tab. 6. f. 5. — Tab. 4. f. 13. — Tab. 4. f. 18. — Tab. 6. f. 7. — *Limnobia* Macqv. Stæg.

A. corpore pallescente. Alæ sæpe pictæ, aut punctatæ.

32. *L. xanthoptera:* ferruginea, nitida, thorace glabro, lineis 2 nigris; abdominis dorso maculis fuscis; ore palpisque nigricantibus; antennis flavis; alis flavicantibus, striga transversali subundulata nervos transversos limitante, punctoque ad medium costæ, fuscis; pedibus flavis, femorum apice obscuro. ♂♀. (Long. ♂ circiter $4\frac{1}{2}$, ♀ fere 5 lin.).

Meig. Dipt. 1. 141. 46. ♂♀. Tab. 4. f. 18 (ala). —

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 138. 26. ♂♀. Tab. 2. f. 1 (ala exacte delineata). — Macqv. Buff. 1. 104. 17. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 43. 6. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 25. — Metamorph. *Limn. xanthopteræ* Stann. in Beiträge zur Entomologie (Dpt. Schles.), 1:stes Heft, Breslau 1829, p. 202—206. Tab. 5. f. 12—14.

Hab. in pratis silvaticis ad rivulos, passim; scilicet in Scania ad Grönby rarissime observata; in Ostrogothia: ad Gusum, Prof. *Wahlberg*, ad Wadstena ♀ 28 Jul. 1833, ipse; in Dania in Charlottenlund ineunte Septembri, sat frequens, D. *Stæger;* in insula Bornholm Sept. 1838, D. *Schiödte.* (*) — Imagines sæpe feliciter exclusæ. Larvæ vivunt in Agaricis *(Stannius);* in Agarico citrino *(v. Bremi);* in Boleto *(Stæger).*

♂♀. Magna, pulchra et eximie distincta. Ferruginea. Macula verticis fusca. Antennæ caput opacum cum collari nitido longitudine parum superant, basi crasisusculæ, extrorsum setiformes, pilosæ, totæ flavæ. Os longiusculum et palpi, nigra. Collare longiusculum, supra brunneum. Thoracis dorsum nitidum, glabrum, lineis 2 longitudinalibus approximatis nigris, et postice utrinque puncto ejusdem coloris. Pleuræ flavæ, nitidæ. Abdomen subopacum, puberulum, ferrugineo-flavum, maculis dorsalibus subtrigonis fuscis, in segmentis ultimis plerumque deficientibus, et sæpe linea laterali obscura. Venter segmentis 2 l. 3 apicalibus in ♂ nigris. Alæ flavicantes, costa saturatiori; nervis distinctis, dilute brunneis, apicalibus tenuiter hirtulis. Areola oblongo-quadrata. Nervi transversi subperpendiculares, et sic horum ordinarius basi areolæ insertus. Mox pone medium alæ adest striga transversalis subundulata dilute brunnea, nervos transversos transiens, et alia

*) Secundum *Rossi* hæc species occurrit in Austria mensib. Majo et Augusto.

multo minor, brevior, ejusdem coloris, in basi nervi 3:tii longiusculi, ubi hic in medio costæ ad nervum 2:dum curvatur; et denique macula parva 1. punctum fuscum loco stigmatis in apice fisso nervi longitudinalis 2:di. Præterea nervus axillaris modice longus, leniter flexuosus, et 3:tius a margine interiori, apicibus parum curvati. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes flavi, femorum apice (circiter ad 6:tam partem) obscure fusco. Tarsi apice quoque infuscati.

33. *L. 4-notata:* ferruginea, opaca, thorace vittis 4, abdomineque unica dorsali lata, nigricantibus; ore palpisque obscuris; antennis fuscis, basi ferrugineis; alis nubeculosis, maculis ad costam 5—6 fuscis, harum stigmaticali magna, gemina; pedibus flavo-ferrugineis, femorum tarsorumque apice fusco. ♂♀. (Long. ♂ circiter $4\frac{1}{4}$, ♀ $4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 144. 51. Schumm. Dipt. Siles. p. 140. 27. ♂♀. Tab. 2. f. 1 (ala). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 43. 5. ♂♀. (*Tipula 4-maculata* Mus. Fabricii, teste *Meigen* l. c.)

Hab. in fruticibus et paludosis, per silvas et prata silvatica Scandinaviæ imprimis meridionalis et mediæ, passim, mihi Jul., Aug. et Sept. præsertim obvia; scilicet in Scania ad Esperöd, Tranås etc.; in Smolandia ad Berga in pratis sylvaticis prope Emm-Ån Aug. 1850 freq., D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Holkaberg, Wadstena, Lärketorp et Gusum; in Gottlandia ad Kappelshamn etc.; in Jemtlandia ad Mulfjellet; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger, non parce; in Daniæ silvis locis uliginosis a Junio ad Septembr., vulgaris, D. *Stæger*, qui etiam specimina communicavit.

♂♀. Affinis priori, sed colore nonnihil obscuriori, opaco, antennis maxima ex parte obscuris, corpore alisque aliter pictis, etc., abunde dignota. Testaceo-ferruginea. Caput supra obscurum. Antennæ ut in præcedente constructæ et pilosæ, fuscæ, articulis 1 et 2 ferrugineis. Os et palpi nigricantia. Collare supra fuscum. Thoracis dorsum vittis 4 nigro-brunneis, lateralibus abbreviatis. Pleuræ jam flavæ, jam testaceæ, jam raro leniter cinereo-micantes. Scutellum et metathorax utrinque macula obscura notata. Abdomen plerumque (in ♂) nigricans, lateribus præsertim antice testaceum, ano rufo; sed variat etiam (in ♀) rufo-testaceum, vitta maculari obscura. Alæ modice latæ, nebulosæ, nervis brunneis; infra costam vitta adest longitudinalis certo situ albo-hyalina, in qua maculæ observantur 5 l. 6 fuscæ, inæquales, quarum plerumque 3 ante medium, minores rotundatæ, 4:ta in medio ad originem nervi 3:tii longitudinalis, paullo major, trapezina, 5:ta loco stigmatis, magna, ex duabus composita, unde oblonga subocellaris evadit, adjecta intus (in furcatura nervi) alia rotundata. Præterea nervi ut in priori directi, sed transversus ordinarius ante basin (nec in basi) areolæ insertus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in præcedente. Ante femorum apicem obscurum observatur interdum vestigium valde obsoletum annuli fusci. — (Cfr *Limnob. elegans* n:o 49.).

34. *L. Annulus:* ferruginea, opaca, thorace vittis 4, abdomineque unica dorsali lata, nigricantibus; ore palpisque obscuris; antennis fuscis, basi ferrugineis; alis nubeculosis, maculis ad costam 4 subinæqualibus fuscis, harum stigmaticali modice magna, circulari; pedibus ferrugineis, femorum annulo pone medium, eorum tibiarumque apice, tarsisque totis, obscure brunneis. ♂♀. (Long. 5—7 lin.).

Meig. Dipt. 1. 145. 52. ♂♀. certe. Macqv. Buff. 1. 105. 22? ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 30? *Lim-*

nob. 4-*maculata* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 42. 4. ♂♀. (exclus. syn. Linn.)

Hab. in Scandinaviæ meridionalis sylvis et pratis, valde rara; scilicet in Scania ad Lund, ubi marem et feminam exclusos obtinui 5—10 Maj. 1830; in Daniæ silvis, D. *Stæger*, qui marem in Charlottenlund 26 Maj. deprehendit mecumque in unico individuo communicavit. (Secundum *v. Roser*, larva hujus speciei in ligno putrescente degit).

♂♀. A priori, cui similis, femorum annulis 2 fuscis, et alarum macula stigmaticali minori, simplici et circulari, vere differt. Caput cum partibus omnino ut in priori, sed antennæ articulis 3 primis, nec tantum 2, flavis. Collare supra fuscum. Stethidium sordide ferrugineum, vittis thoracis 4 nigris, lateralibus antice abbreviatis. Pleuræ fusco-cinereoque maculatæ. Scutellum et metathorax utrinque macula nigra. Abdomen luteum, in ♂ basi apiceque infuscatum, in ♀ vitta media maculari et linea utrinque laterali, fuscis. Hæc vero pictura in diversis speciminibus paullulum diversa. Anus in utroque sexu ferrugineus. Alæ modice latæ, elongatæ, ut in descriptione Meigeni, nebulosæ, nervis exacte ut in præcedente directis, brunneis, transversis infuscatis. Præterea adsunt maculæ 4 costales distinctæ, æquali spatio remotæ, obscure brunneæ, quarum 1:ma versus basin, juxta et sub nervo longitudinali 2:do, oblongo-quadrata; 2:da in medio etiam sub nervo 2:do (originem nervi 3:tii cingens), quadrata; 3:tia pone medium, nervis transversis opposita, duplex, superior quadrata costam attingens; et 4:ta loco stigmatis, minor, ocellaris; pone hanc versus apicem observatur macula costalis 5:ta, subquadrata, fusca, fasciam intra apicalem cineream incipiens. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes luteo-ferruginei, femorum annulis 2 apicalibus, tibiarum apice, tarsisque l. totis l. saltem 3 ultimis, obscure fuscis. — Caveas ne hanc cum *Limn. elegante* n:o 49 confundas.

Obs. Testante Prof. *Wahlberg* (in litteris), *Limnob. Annulus* etiam in Smolandia ad Anneberg, in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, reperta fuerit; sed cum *Limn. Annulus* Meig. cum *Limn. 4-maculata* Linn. ab Auctoribus hactenus confusa fuisse videtur, et specimina Wahlbergiana non vidi, dijudicare non possum, an ea ad illam aut hanc speciem rectius sint referenda.

35. *L. 4-maculata:* ferruginea, opaca, thorace vittis 4, pleurarum maculis, abdomineque basi apiceque, et lineola dorsali interrupta, nigricantibus; ore palpisque obscuris; antennis fuscis, basi ferrugineis; alis nubeculosis, maculis ad costam 4 subæqualibus fuscis, harum stigmaticali non ocellata; pedibus ferrugineis, femorum annulo pone medium, eorum tibiarumque apice, tarsisque totis, obscure brunneis. ♂. (Long. circiter 6 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 143. 28. ♂. vera. Tab. 5. f. 1. ♂. (figura colorata bona). Meig. Dipt. 1. 151. 64. (exclus. forte syn. Fabricii, quod potius *L. barbipedi* n:o 19 allegari debet). *Tipula 4-maculata* Linn. Fn. Sv. n:o 1736, sine dubio.

Hab. in Svecia media, rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp in paroecia Mjölby d. 18 Aug. 1833 marem deprehendi; in Smolandia ad prædium lætum Berga in paroecia Högsby d. 5 Aug. 1850, specimen masculum quoque legit D. *Dahlbom.*

♂. Priori simillima, et alarum macula stigmaticali simplici, minime ocellari, fere unice distincta videtur. — Stethidium testaceo-ferrugineum, hinc inde canescenti-micans, thoracis vittis dorsalibus 4 distinctis nigris, lateralibus abbreviatis, et punctis 2 (l. 4) inter thoracis marginem anticum et collare atris, nitidis. Pleuræ fusco-maculatæ. Scutelli metathoracis-

que maculæ laterales nigræ distinctæ. Abdomen lineare, puberulum, luridum l. luteum, segmentis: 1:mo macula magna, ultimisque duobus fere totis nigris, reliquisque lineis 3 dorsalibus, harum media in medio interrupta, lateralibus tenuibus, omnibus obscuris. Anus flavus. Alarum macula stigmaticalis ceteris tribus costalibus (quæ eandem formam et situm habent ac in præcedente) paullo minor, oblongo-rotundata, impleta, nec ocellata. Reliqua omnia exacte ut in priori.

36. *L. nubeculosa:* lurida, opaca, thoracis vittis 3 castaneis; capite cum partibus obscuro; abdomine fusco, incisuris flavis; alis fusco-nubeculosis, maculis costalibus subquinque saturatioribus, nervis: axillari breviusculo, recto, transverso ordinario basi areolæ inserto; pedibus fusco-testaceis, femoribus flavis, annulis tribus obscure fuscis. ♂♀. (Long. 3½ fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 140. 44. Schumm. Dipt. Siles. p. 119. 12. ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala, in qua vero nervus axillaris nimis flexuosus depictus). Macqv. Buff. 1. 104. 16. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 44. 8. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 22.

Hab. in fruticibus plerumque locis humidis, per hortos, prata et silvas Scandinaviæ meridionalis et mediæ, ab initio Julii usque ad finem Septembris mihi passim obvia, mas tamen femina paullo frequentius; scilicet in Scania ad Lindholmen, Tranås, Esperöd, etc., non parce; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Norwegia ad Alstahaug, rarius; in Dania sæpe copiose, D. *Stæger.* (Ad Zircow in Rugia 6 Jun. 1842, atque ad Neuenkirchen et Elisenheine prope Gryphiam 6 Sept. 1844, D. *Dahlbom).*

♂♀. Per femora flava, annulis 3 intense fuscis ornata, ab aliis facile dignota. Caput cum ore et palpis obscurum. Antennæ thorace paullo breviores, articulis 2 basalibus modice crassis, nigricantibus, reliqvis sensim tenuioribus, longe pilosis, fuscis, articulo 3:tio plerumque dilutiori. Oculi in fronte subapproximati, nigri etiam in viva. Collare supra vitta fusca. Stethidium luridum, thoracis vittis dorsalibus tribus castaneis, media integra, lateralibus abbreviatis, et extra illas utrinque puncto l. lineola parva ejusdem coloris. Scutellum flavum, macula laterali fusca. Pleuræ etiam sæpe fusco-maculatæ. Abdomen saturate fuscum, incisuris flavis, ano ferrugineo. Alæ modice latæ, albicantes, cinereo- l. dilute fusco-nubeculosæ, maculis ad costam 5 l. 6, æqvali spatio remotis, paullo distinctioribus, nervis transversis infuscatis; horum ordinarius plerumque in linea subrectá cum superioribus transversis ductus, sed interdum paullo ante basin areolæ insertus. Halteres pallidi, clava basi fuscana. Pedes longi, graciles, coxis femoribusque flavis, his annulis 3 æque latis saturate brunneis ornatis, quorum 1:mus in medio, 2:dus pone medium et 3:tius ad apicem locati. Tibiæ tarsique pallide fusca, in exsiccatis plerumque testacea.

37. *L. flavipes*: fusco-lurida, opaca, thoracis vittis 3 subconfluentibus obscure castaneis; capite cum partibus obscuro; abdomine fusco, incisuris flavis; alis fusco-nubeculosis, maculis costalibus tribus saturatioribus, nervis: axillari breviusculo, subrecto, apice lenissime subcurvato, transverso ordinario basi areolæ inserto; pedibus flavescentibus, femorum apice obscure fusco. ♂♀. (Long. circiter 4 lin. l. paullo ultra).

Meig. Dipt. 1. 150. 62. Schumm. Dipt. Siles. p. 117. 11. ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 44. 9. ♂♀. *Tipula flavipes* Fabr. Ent. Syst. 4. 241. 35. — Ejusd. Antl. 30. 34. *Limnob. analis* Meig. Dipt. 1.

141. 45. ♂♀. — Ejusd. 6. p. 274. *Limn. nebulosa* Zett. Ins. Lapp. 836. 16. ♂♀.

Hab. in paludosis locis umbrosis, Jun. Jul. Aug., passim, in copula quoque capta; scilicet in Scania ad Esperöd (Mellby); in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Thorsborg et Fardhem; in Jemtlandia ad Mulfjellet, parce; in Norwegia mediæ ex. gr. ad Alstahaug, atque in Lapponia Norwegica ad diversorium Björkvik prope Ofodenfjord Nordlandiæ, rarius; in Dania ut in Charlottenlund, copiose, D. *Stæger*, qui etiam specimina sub allato nomine mecum communicavit. (♂ d. 6 Jun. 1842 ad Zirkow in Rugia a D. *Dahlbom* inventus).

♂♀. A priori, cui valde similis, differt: magnitudine sæpe nonnihil majore, thoracis vittis plerumque confluentibus, alarum maculis costalibus fuscis 3, nec 5 l. 6, et denique femoribus annulo tantum unico apicali fusco, nec tribus. Caput cum antennis, ore, palpis et oculis ut in præcedente constructum et coloratum. Collare supra brunneum. Stethidium ferrugineo-fuscum, pleuris maculis saturatioribus, et thorace supra vittis 3 obscure castaneis, interdum discretis, lateralibus antice abbreviatis, plerumque vero confluentibus, unde dorsum fere totum obscurum evadit. Ad scutellum utrinque macula magna fusca. Metathorax fuscus. Abdomen obscure fuscum, incisuris flavis, ano ferrugineo. Alæ ut in præcedente, sed maculis costalibus, ut dictum, tantum 3 distinctioribus, fuscis, 1:ma, versus basin, minori, 3:tia, loco stigmatis, rotunda. Macula albo-hyalina cingit apices nervorum longitudinalium 1 (axillaris), 2 et 3, a margine interiori numeratorum. Nervus transv. ordinarius l. basi l. nonnihil ante basin areolæ breviter oblongo-quadratæ insertus. Halteres longiusculi, pallidi, clava fusca. Pedes longi, graciles, coxis femoribusque flavis, his apice obscure brunneis; tibiis testaceis, apice brunneis; tarsis plerumque totis dilute fuscis.

38. *L. sylvicola:* ferruginea, subnitida, thoracis vitta brunnea; ore palpisque nigricantibus; antennis fuscis, articulis basalibus 1 et 2 nigris, 3:tio flavo; abdomine postice plerumque brunnescente; alis subflavido-hyalinis, obsolete cinereo-nubeculosis, maculis costalibus tribus fuscis; nervis: axillari modice brevi, parum flexo, apice albo-cincto, transversis subinfuscatis, horum ordinario basi areolæ inserto; pedibus flavescentibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 116. 10 ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala). — *L. 3-punctata* Zett. Ins. Lapp. 837. 18. ♂. (exclus. synonymis). *L. affinis* (*) Zett. Ins. Lapp. 836. 17. ♀.

Hab. ad rivulos in silvis acerosis locis montosis, per Scandinaviam magis borealem, versus finem mensis Julii, ad finem Augusti mihi obvia, in copula etiam capta; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan 4 mares et 2 feminas 27—31 Jul. 1840 inveni; in Ångermannia ad Hernösand 29 Aug. 1832 ♂ semel; in Lapponia Tornensi ad Kengis 22 Aug. 1821, rarissime; in jugo alpino Norwegiæ ad Kälahög utrumque sexum 22 Jul. etiam deprehendi.

♂♀. Thoracis vitta fusca subunica, antennarum articulo 3:tio flavo et alis obsolete cinereo-nebulosis, ab aliis affinibus dignota. Caput obscurum, ore palpisque totis nigris. Antennæ in ♂ longitudine circiter dimidii thoracis, in ♀ paullo breviores, in utroque sexu pilosæ, fuscæ, articulis 1 et 2 semper nigris, 3:tio l. toto l. saltem basi flavo. Collare supra vitta

*) *Obs.* nomen *affinis* præterea jam pro alia *Limnobiæ* specie a D. *Schummel* l. c. p. 127. 17. est usitatum.

obscura. Stethidium ferrugineum, subnitens, thoracis dorso vitta lata fusca, sæpe solitaria, interdum adjecta utrinque alia laterali parva ejusdem coloris. Pleuræ plerumque immaculatæ, sed macula fusca in pectore sæpe adest. Ad scutellum macula utrinque brunnea, et metathorax plus minus fuscus. Abdomen sordide ferrugineum, interdum lineola laterali tenui, abdominis fascia ante anum fere semper (præsertim in ♂), et dorso toto rarissime, fuscis. Anus ferrugineus. Alæ sordide hyalinæ, leniter subflavidæ, obsoletæ et tantum certo situ dilute cinereo-nubeculosæ, maculis l. punctis in costa tribus distinctioribus, primo mox ante medium costæ parvo indeterminato, 2:do fere in medio, parvo, 3:tio loco stigmatis, nonnihil majori, subquadrato, nervulum connectentem tegente. Nervi: axillaris parum elongatus et parum flexuosus, 2:dusque longitudinalis (a margine interiori) apice macula alba cincti; 3:tius (a margine interiori) crassus, fuscus; transversi infuscati, horum ordinarius plerumque paullo ante basin interdum vero in linea recta cum basi areolæ beviter obovato-quadratæ insertus; apicales brevissime hirtuli. Halteres flavescentes, clava fusca. Pedes graciles, coxis flavis, anticis macula antica dilute fusca; femoribus omnibus flavis, apice (circiter ex octava parte) obscure fuscis; tibiis testaceis, apice anguste fuscis; tarsis fuscescentibus, basi dilutioribus.

39. *L. tripunctata:* ferruginea, thoracis subnitidi antico vitta fusca; ore palpisque nigricantibus, fronte cinerea; antennis flavis, apice dilute fuscescentibus; alis subflavido-hyalinis, punctis 3 costalibus fuscis, nervis brunneis: axillari modice brevi, parum flexo, transverso ordinario basi areolæ inserto; pedibus flavis, femoribus ante apicem annulo, tibiarum apice, tarsisque fere totis, fuscis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 138. 41. Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 109. 6. ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala). Macqv. Buff. 1. 103.

13. ♂♀. Tab. 2. f. 7 ♂., f. 8 rostrum et palpi. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 45. 11. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 465. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 21. *Tipula* eadem Fabr. Ent. Syst. 4. 241. 36. Ejusd. Antl. 31. 36. *Tipula Phragmitidis* Schrank, Ins. Austr. p. 426. 860.

Hab. in Scandinaviæ graminosis et fruticibus, per hortos, prata et litora, Julio et Aug., vulgaris; scilicet in Scania ad Skarhult, Grönby, Tranås, Esperöd etc., frequens; in Ostrogothia ad Gusum, *Wahlberg*; in Westrogothia ad Tubbetorp copiose, *Dahlbom*; in Norwegia ad Oestre-Näs Værdaliæ 8—12 Jul. abundans; in graminosis Daniæ ad litora lacuum, non frequens, *Stæger*, a quo exempla obtinui. (Ad Stetinum d. 8 Jun. 1842 uterque sexus copiosissime observatus a D. *Dahlbom*).

♂♀. Per thoracis vittam fuscam unicam, instrumenta cibaria nigra, frontem cineream, antennas, apice excepto, flavas, alarum puncta costali a fusca, et denique annulum obscurum ante apicem femorum, nec in apice, ab affinibus facile distingvitur. Antennæ thorace nonnihil tantum breviores, basi modice crassæ, extrorsum tenuiores, distincte pilosæ, totæ flavæ, versus apicem tantum leniter subfuscanæ. Oculi (in viva) nigri. Collaris vitta brunnea. Thoracis subnitidi vitta fusca a margine antico ad medium dorsi l. paullo ultra subulatim extenditur. Abdomen ferrugineum plerumque immaculatum. Alæ mediocriter latæ, dilutissime flavidæ, nervis perspicuis, brunneis. Ad costam adsunt puncta 3 fusca, æqvali spatio remota, horum 1:mum paullo ante medium sub costa et ad originem nervi longit. 3:tii, parvum, indeterminatum; 2:dum fere in medio et in ipso margine situm, mediocre; 3:tium loco stigmatis (at paullo infra), nonnihil majus, subquadratum, cinereum. Nervi præterea ut in priori directi. Halteres flavi. Pedes flavi, annulo mox ante apicem modice la-

to, obscure fusco; tibiis apice anguste, et tarsis fere totis, fuscis, his interdum basi dilutioribus.

Obs. *Limn. tripunctata* Zett. Ins. Lapp. non huc, sed ad *L. sylvicolam* (38) referenda.

40. *L. trivittata:* ferruginea, subnitida, thoracis vittis 3 fuscis; ore palpisque nigricantibus, fronte obscure cinerea; antennis fuscis, basi flavis; alis subflavido-hyalinis, punctis 3 costalibus minutis fuscis sæpe obsoletis, nervis brunneis: axillari breviusculo, subrecto, transverso ordinario basi areolæ difformis inserto; pedibus flavis, femoribus annulo apicali, tibiarum apice, tarsisque fere totis, fuscis. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 114. 9. ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 46. 13. ♂♀.

Hab. in fruticibus, per Scandinaviam meridionalem, mense Julio et Aug., passim copiose; scilicet in Scania ad Fogelsång, Tranås, Esperöd (in Mellby), etc., feminæ præsertim abundanter; in Dania ex. gr. in Charlottenlund in Rubo idæo copiose, D. *Stæger*.

♂♀. A duabus proxime præcedentibus, quibus sat similis, differt: nempe a *L. sylvicola* antennis basi flavis, etc., a *L. tripunctata* antennarum flagello fusco, nec fere toto flavo, et ab ambabus thorace tri-, nec uni-vittato. Caput obscurum, fronte cinerea. Palpi et rostrum nigra, illorum articulo 3:tio brevi, crassiusculo. Antennæ thorace paullo breviores, fuscæ, pilosæ, articulis 3 basalibus nudis, flavis. Collare supra vitta fusca. Thorax dorso nitido, vittis 3 castaneis, lateralibus antice abbreviatis. Pleuræ et metathorax subimmaculata. Abdomen supra sæpe subvirescenti-flavum. Alæ subhyalinæ, nervis tenuibus brunneis, et punctis costalibus 3 fuscis minutissimis sæpe obsoletis, quorum 1:mo in basi nervi long. 3:tii, 2:do et 3:tio in apice nervorum long. 2:di et 3:tii. Areola

minus regularis. Stigma haud notatum. Halteres flavi. Pedes flavi, femorum annulo ad apicem (fere in apice), modice lato, tibiarum apice, tarsisque fere totis, fuscis.

41. *L. Stigma:* ferruginea, thoracis nitidi antico vitta obscura; capite luteo, palpis nigro-brunneis; antennis fuscis, articulis 3 basalibus ferrugineis; alis hyalinis, fusco-nervosis, stigmate fusco punctiformi; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque totis, fuscis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 1. 138. 40. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 103. 12. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 45. 12. ♂. — *Limnob. sexnotata:* "ferruginea; palpis antennisque apice fuscis; thorace antice vitta fusca; femoribus apice annulo nigro; alis punctis 3 fuscis ad marginem anticum" Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 111. 7. ♂♀. Tab. 1. f. 6 (ala), volente *Stæger.*

Hab. in Dania, ubi tantum aliquot mares mense Aug. a D. *Stæger* inventi fuerint. Mihi hæc species ignota, nec in reliqua Scandinavia captam audivi.

L. stigma, ♂♀. "Ferruginea. Palpi nigro-fusci. Antennæ fuscæ, articulis 3 primis flavis. Caput flavum. Oculi (in viva) obscure purpurei. Thorax nitidus, antice vitta nigra. Pedes ferruginei: femorum tibiarumque apice nigro; tarsis fuscis. Halteres flavi. Alæ hyalinæ, fusco-nervosæ: loco stigmatis punctum fuscum". *Meigen* l. c.

L. 6-*notata,* ♂♀. "*Limn. tripunctatæ* in omnibus simillima et differt tantum sequentibus: rostro toto ferrugineo et palpis solum apice fuscis; fronte et vertice etiam ferrugineis; femoribus in apice (nec ante apicem) annulo obscuro, fere nigro, et ante hunc in ♀ annulo dilutiori conspicuo nullo; alarum punctis 3 costalibus fuscis minoribus" Schumm. l. c.

L. Stigma ♂. His duabus nuper allatis descriptionibus addit *Stæger* (qui *Stigma* cum 6-*notata* identicam putat) l. c.: "caput et rostrum, palporum articulus 1:mus et antennarum articuli 3 primi sunt ferruginei, harum articuli reliqui obscure rufescentes, versus apicem omnino obscuri. Præter stigma distinctum in nervulo transverso, sunt etiam paullo incrassata basis nervi marginalis, et apex nervi longitud. 1:mi, nigra, ideoque horum singulum bene quidem "punctum parvum" *(Schumm.)* vocari posset, sed comparata cum multo majori stigmate, hæc puncta minuta in descriptione facile sine annotatione relinqui possent, (utpote apud *Meigen* et *Macqvart*). Præterea *L. Stigma* a *L. tripunctata*, cui valde similis, etiam dignoscitur eo, quod femorum annulus *niger* non *ante*, sed potius *in* ipso apice situs sit. Directio nervorum omnino ut in *L. tripunctata*".

42. *L. Dumetorum:* ferruginea, thoracis nitidi vittis 3 castaneis; ore palpisque nigricantibus, fronte argentea; antennis obscuris; collari linea utrinque laterali brunnea in pleuris obsolete continuata; abdomine fusco-fasciato; alis subhyalinis, stigmate punctoque in medio costæ fuscis, nervis transversis infuscatis, horum ordinario basi areola inserto, axillari breviusculo, leniter flexo, apice subcurvato; pedibus flavis, femorum apice fusco. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$, ♀ $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 136. 36. Schumm. Dipt. Siles. p. 130. 20. ♂♀. Tab. 1. f. 10 (ala). — Macqv. Buff. 1. 102. 9. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 49. 17. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 17.

Hab. in fruticibus locis paludosis, per Scandinaviam meridionalem passim, mihi Majo et Julio præsertim obvia; scilicet in Scania ad Abusa, Lindholmen, atque ad Esperöd in paroecia Tranås; in Dania ex. gr. in

Charlottenlund, ubi in ligno cæso mas copiose, femina rarius, Julio et Septembr. deprehensi mecumque a D. *Stæger* in pluribus speciminibus communicati.

♂♀. Thoracis vittæ 3 fuscæ, instrumenta cibaria antennæque totæ obscura, frons argentea, collaris linea lateralis continuata abdominisque fasciæ fuscæ, et denique alarum stigma punctumque costale medium cinerea, speciem præcipue et facile designant. Gracilis, ferruginea. Rostrum et palpi nigra. Antennæ thorace fere paullo breviores, fuscæ, pilosæ, articulis 2 basalibus nigricantibus. Frons argenteo-micans. Oculi (in viva) nigricantes. Collare linea utrinque laterali distincta fusca, quæ in pleurarum lateribus horizontaliter (plus minus obsolete) usque in abdomine continuatur, ut etiam rite observavit *Stæger*. Thoracis vittæ dorsales 3 castaneæ, media subgemina, laterales antice abbreviatæ. Abdomen fasciis obscure fuscis. Anus ferrugineus. Alæ subhyalinæ, stigmate oblongo-subquadrato punctoque majusculo subduplicato in medio costæ (in anastomosi nervorum) cinereo-fuscis. Nervi costales flavidi, reliqui brunnei, transversi infuscati, horum ordinarius in linea recta cum basi areolæ oblongo-quadratæ ductus: Halteres flavi, clava fusca. Pedes tenues, flavi, femorum apice haud late fusco.

43. *L. meridiana:* thorace fusco-brunneo, lateribus pectoreque flavis: vitta longitudinali nigra, nitida; capite obscure cinereo, antennis brunneis, articulo 3:tio flavicante; abdomine nigro-fusco, nitido; alis halteribusque fuscis, stigmate oblongiusculo punctoque ad costam minus distincto, obscuris; pedibus fuscis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 41. 3. ♂♀.

Hab. in Dania, d. 13 Sept. in copula deprehensa, D. *Stæger*. Mihi ignota.

♂♀. "Caput obscure cinereum, fronte subnitente. Antennæ

brunneæ, articulo 3:tio flavido, sequentibus longe pilosis. Thorax brunneus, paullulum nitidus; pleuræ et pectus flava: e collari, sub radice alarum, et usque ad abdomen, vitta longitudinalis lata, nitida, nigra. Scutellum rufescens. Metathorax brunneo-cinereus. Abdomen in ♂ nitidum, nigrum, segmentis ventralibus quinque primis flavescentibus, cauda ferruginea; in ♀ obscure brunneum, lineola laterali fusca, ventre brunneo-flavo, ano ferrugineo, vaginis longiusculis, acutis, sursum curvis. Halteres brunneo-flavi, clava obscuriori. Alæ fuscescentes, stigmate oblongiusculo, maculaque paullo minus conspicua in nervo transverso, sub apice cellulæ basalis 1:mæ, obscuris. Directio nervorum fere ut in Meigeni tab. 5. f. 4. Pedes nigricantes, femoribus brunneo-flavis, apice obscuro." Stæg. l. c.

44. *L. Macrostigma:* sordide testacea l. rufo-fusca, subopaca, thoracis vittis 3 latis interdum subconfluentibus, castaneis, sterno utrinque macula brunnea; capite cum ore, palpis antennisque nigricante, fronte cinerea; abdomine flavo-fasciato; alis sordide hyalinis, stigmate distincto, fusco, per nervulum transversum diviso; nervis: transverso ordinario basi areolæ inserto, axillari modice brevi, rectiusculo; pedibus flavicantibus, femoribus mox ante apicem annulo obscure fusco. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ fere 4 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 108. 5. ♂♀. Tab. 1. f. 5 (ala). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 44. 10. ♂♀. *Limn. flexuosa* Stæg. olim.

Hab. in Scandinavia passim, minime rara, mihi imprimis Julio et Aug. obvia; scilicet in Scania ad Silfåkra, Esperöd (in Tranås), etc.; in Jemtlandia ad Forsa prope Mulfjellet; in Norwegia ad Suul (in jugo alpino) et ad Oestre-Näs Værdaliæ, sat frequens; in Dania in

Charlottenlund Jun. et Sept., D. *Stæger*, a quo etiam exempla obtinui.

♂♀. Colore corporis lurido, capite cum omnibus partibus nigro, thoracis vittis dorsalibus fuscis latis, pectore brunneo-maculato, nervo longit. 2:do versus apicem subflexuoso ibique a stigmate distincto fusco cincto, et tandem femorum annulo fusco mox ante apicem, nec in summo apice, sito, ab aliis similibus abunde dignota. Caput, palpi et rostrum nigricantia, hoc et frons supra cinerascentia. Antennæ thorace fere nonnihil breviores, pilosæ, totæ obscure fuscæ. Thoracis vittæ brunneæ latæ, interdum discretæ, sæpe confluentes, dorsum fere totum occupantes, relicta utrinque macula humerali flavida. Pectus utrinque macula obscura inter coxas anticas et intermedias. Collare supra brunneum. Metathorax vitta media brunnea. Abdomen in ♂ fusco-flavum, segmentorum basi obscuriori, ano rufescente; in ♀ plerumque obscure fuscum, segmentorum margine apicali flavo, ano ferrugineo, acuto, vix deorsum flexo. Alarum nervi fere ut in *L. tripunctata* (39) directi, sed longitudinalis 2:dus versus apicem leniter flectitur, nec rectus excurrit. Ad hanc flexuram adest stigma fuscum distinctum medio nervulum connectentem includens. Nervus transvers. ordinarius jam basi (linea recta), jam paullo ante basin areolæ oblongo-subquadratæ l. paullo difformis, ductus. Nervi brunnei, 3:tius a margine interiori validior. Halteres pallidi, clava fusca. Coxæ flavæ. Femora flava, annulo mox ante apicem obscure brunneo, ipso summo apice flavo. Tibiæ fusco-testaceæ. Tarsi plerumque toti fusci. — Variat sæpe paullo dilutior.

Obs. Vix identica est (ut putat D. *Schummel*) cum *Limn. marginata* Macqv. Dipt. d. Nord 1. 151. 14., ♀., et Meig. Dipt. 7. 29. 94: ''nigra; incisuris abdominis fulvis; pedibus flavis; stigmate obscuro''. — Sed Meigeni et Macqvarti *L. inustæ* proxime accedit, quæ vero paullo minor et stigma pallidius habet.

45. *L. modesta:* ochracea, opaca, thoracis vittis subtribus brunneis; capite griseo, antennis fuscis, articulo 1:mo plerumque flavo, rostro ferrugineo, palpis obscuris; abdomine supra fuscescente; alis hyalinis, stigmate pallido l. pallide fusco, ante nervulum ad costam transversum sito; nervis: transverso ordinario basi areolæ inserto, axillari modice longo, subrecto; pedibus flavis, femorum apice sæpissime valde obsolete, tarsisque, fuscis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 134. 32. Schumm. Dipt. Siles. p. 124. 15. ♂♀. Tab. 1. f. 9 (ala). Macqv. Buff. 1. 101. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 836. 15. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 49. 20. (var. a. b. c.) ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 16.

Hab. in graminosis et præsertim in fruticibus, per Scandinaviæ imprimis meridionalis hortos, prata et silvas (quoque acerosas), etiam in agris demessis, Jul. Aug. Sept. et Octob., vulgatissima, multoties in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Lackalänga (in Pinetis), Kjeflinge, Ausås, Björnstorp, Räften Esperöd, etc., longe frequentissima; in Smolandia ad Berga, D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Wadstena, Medhamra, Fylla, etc.; in Westrogothia ad prædium Tubbetorp, abundanter; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Westerby, Thorsborg, Nähr, Hafdhem, Rohne, Ahlskog, Garde, Ejsta, Sanda, etc.; in Helsingia ad flumen Ljusne-elf et Storåström in paroecia Ytter-Hogdal, rarius; in Jemtlandia ad Ristansfors et Mulfjellet, parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele, semel; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger, raro; ad Töien prope Christianiam, D. *Siebke*; in Dania

passim copiose, D. *Stæger*, qui etiam specimina misit. (Ad Neuenkirchen jam 20 Maj., atque in Helgoland, ad Hamburgum et Travemünde Julio 1838, nec non ad Stubbenkammer in Rugia, Jun. 1842, frequenter a D. *Dahlbom* observata).

♂♀. Gracilitas corporis, antennæ fuscæ, articulo tantum 1:mo flavo, rostrum ferrugineum, palpi obscuri, thorax fusco-subtrivittatus, macula stigmaticalis pallescens ante nervulum transversum (nec in eo) sita, speciem hanc a *L. lutea* Meig. et aliis affinibus, distingvunt. Pallide silacea. Oculi etiam in viva nigri. Antennæ thorace paullo breviores, pilosæ, fuscæ, articulo 1:mo flavo (interdum fusco l. obscuro); 15-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, crasso, 3—6 globosis, reliqvis longiusculis, versus apicem sensim tenuioribus. Collare vitta brunnea. Thorax vittis 3 brunneis, media distincta, lateralibus parvis, valde abbreviatis, sæpe deficientibus, relicto tantum puncto fusco. Abdomen saltem post mortem supra plerumque fuscum, basi lateribus in viva sæpe subvirescens. Anus flavus. Alæ angustatæ, immaculatæ præter maculam stigmaticalem pallidam (raro cineream l. fuscam), ante nervulum transversum sitam, nec per hunc nervulum medio transeuntem in 2 partes æquales divisam, utpote in præcedente. Nervi tenues, costales flavidi, reliqui brunnei; transversus ordinarius plerumque cum basi areolæ ovatæ-subquadratæ linea recta ductus, sed interdum paullo ante basin insertus. Halteres elongati, flavi l. albidi, clava fusca. Pedes ferrugineo-flavi, in exsiccata plerumque immaculati, solo apice tarsorum obscuro, sed in viva femorum tibiarumque apice, et tarsorum articulis saltem ultimis totis, nigricantibus l. fuscis. — Paullo variat directione nervorum in alis; cfr *Schummel* l. c. — Variat etiam rarius areola apice non occlusa. Gottland.

Obs. 1. *L. inusta* Meig. ab hac vix nisi maculæ stigmaticalis situ, et antennis totis obscuris, differt.

Obs. 2. In horto meo Lundæ mense Octob. 1850 inveni indivi-

duum masculum, *L. modestæ*, cum qua captum, simile, sed antennis moniliformibus totis nigris, nervo transverso ordinario ante basin areolæ inserto, ut et pedibus nigricantibus, femorum basi tantum ferruginea, diversum; nova species videtur, forte *Glochinæ* generis, quod conferatur.

46. *L. chorea:* ochracea, opaca, thoracis dorso pallide fusco-vittato; capite griseo, antennis obscure fuscis, articulo 1:mo plerumque flavescente, palpis obscuris; abdomine dilute subfuscescente; alis hyalinis, stigmate subreniformi ante nervulum ad costam transversum sito, nervisque transversalibus, fuscis, horum ordinario basi areolæ inserto, axillari breviusculo, apice leniter curvato; pedibus flavicantibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 134. 33. Schumm. Dipt, Siles. p. 126. 16. ♂♀. Tab. 1. f. 9 (ala). Macqv. Buff. 1. 102. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 49. 19. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 14.

Hab. in Scandinaviæ hortis, nemoribus et silvis, passim copiose, vespere choreas ducens; scilicet in Scania ad Lund, medio Junii frequens; in Jemtlandia ex. gr. ad Forsa prope Mulfjellet Julio; in Dania Aug. et Septemb., frequens. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 15—20 Maj. a D. *Dahlbom* capta; e Kilia a *Wiedemann* mihi etiam missa).

♂♀. Per alarum stigmatis formam sublunatam et colorem intensius fuscum (nec pallidum), a priori, per hujus stigmatis situm ante nervulum transversum (nec in hoc nervulo), a *L. inusta* Meig., et per nervos transversos discoidales fuscedine cinctos ab ambabus, præcipue distincta. Ferruginea l. silacea. Caput griseum. Antennæ thorace paullo breviores, submoni-

liformes, pubescentes, vel totæ fuscæ, vel fuscæ, articulo 1:mo flavido. Palpi obscuri. Thoracis dorsum vittis 3 pallide brunneis, media lata, subgemina, lateralibus antice abbreviatis. Pleuræ flavæ. Metathorax dilute brunnescens. Abdomen supra sæpe dilute fuscum, incisuris pallidis. Anus ferrugineus. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus pallide brunneis. Stigma obscure cinereum, oblongo-quadratum, intus paullo elongatum, versus basin furcæ curvatum. Nervi transversi infuscati, horum ordinarius normaliter ipsi basi (raro paullulum ante basin) areolæ subpentagonæ insertus. In medio costa ad originem nervi longit: 3:tii sæpe adest punctum parvum, fuscum. Halteres albidi, clava fusca. Pedes tenues, flavidi, coxis femoribusque pallidioribus; femorum apice leniter subincrassato, tibiarum summo apice tarsorumque articulis ultimis, obscure brunneis.

Obs. Cum *L. lutea* Meig., cui magnitudine, statura, colore et nervorum directione omnino convenit, vix confundenda; nam *lutea* differt a *chorea:* antennarum articulis 2 basalibus flavis, stigmate pallidiori et nervis transversis vix infuscatis, nec in Scandinavia hactenus observata, quantum noverim, mihi e Kilia a *Wiedemann* sub nomine "*L. levis*", et e Neuenkirchen a *Dahlbom*, communicata.

47. *L. flava:* pallide flava, opaca, antennarum palporumque apice fuscescente; alis pallide hyalinis, nervis flavis, transverso ordinario fere medio areolæ inserto, axillari modice longo, leniter subflexuoso; pedibus pallide flavis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Schummel Dipt. Siles. 1829. p. 148. 32. ♀. Tab. 2. f. 5 (ala).

Hab. in Svecia meridionali, rarissime; in Scania ad Esperöd in paroccia Mellby æstate 1817 specimen unicum inveni.

♂. Magnitudine parva et colore pallidissimo statim dignota. —

Tota pallide flava, oculis solum nigris, et palporum antennarumque apice fuscescente. Alæ pallide hyalinæ, nervis tenuibus, flavis l. albidis, fere ut in *L. pilipede* n:o 54, et in Meigeni Tabula 5. f. 6. directis, excepto quod præter nervulus transversus solitus connectens inter nervos longitudinales 3:tium (ad basin furcæ) et 2:dum, adsit quoque versus apicem adhuc nervulus transversus, qui paullo obliquus nervum eundem longitudinalem 3:tium cum costa connectit. Præterea nervus transversus ordinarius non ante basin, nec ipsi basi areolæ oblongo-quadratæ ductus, sed paullo pone basin seu versus medium hujus areolæ insertus. Stigma inter nervulos duos transversos ante apicem alæ pallide flavum, parum notatum. Halteres albidi. Pedes albo-flavi.

Obs. D. *Schummel* tantum feminam vidit, et speciem ex unico exemplo descripsit. Ipse solum marem observavi, descriptioni feminæ exacte convenientem.

48. *L. tenella:* sulphurea, opaca, thoracis vittis 3 subconfluentibus nigro-cinereis; abdominis dorso obscuro, margine laterali flavo; antennis, palpis, fronte et metathorace obscure fuscis; alis subhyalinis, stigmate pallescente, nervis: transverso ordinario basi areolæ inserto, axillari modice longo, apice leniter curvo; pedibus dilute fuscis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 146. 54. ♂♀. T. 6. f. 7 (ala). Schumm. Dipt. Siles. p. 145. 29. ♂♀. T. 2. f. 3 (ala). Macqv. Buff. 1. 106. 25. ♂♀. Stæg. Dipt Dan. 1840. p. 41. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 32.

Hab. in fruticibus locis humidis, per hortos, prata et silvas Scandinaviæ præsertim meridionalis, passim abundans, mihi Aug. et Sept. imprimis obvia, in copula etiam aliquoties observata; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Björnstorp, Esperöd, etc., vulgaris; in Nor-

wegia ad alpem Kälahög in jugo alpino specimen masculum 22 Jul. 1840, et ad diversorium Björkvik ad Ofodenfjord Nordlandiæ 4 Jul. 1821, femineum, quoque deprehendi; in Dania non raro, D. *Stæger*, qui exempla ex utroque sexu mecum communicavit. (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam 15—20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* copiose collecta).

♂♀. Per gracilitatem corporis, colorem sulphureum dominantem, thoracis vittas dorsales determinatas nigricantes, abdominis discum dorsalem obscurum, pedes subbrunescentes et denique directionem nervorum in alis paullo diversam, ab aliis affinibus facile dignota. Antennæ thorace paullo breviores, extrorsum tenues, totæ nigricantes. Frons fuscescens. Rostrum flavum. Palpi nigricantes. Oculi in viva virescentes. Stethidium sulphureum, thoracis dorso vittis latis subconfluentibus, plerumque nigro-cinereis. Sternum inter coxas sæpe fusco-maculatum; et pleuræ etiam interdum utrinque puncto l. striga brunnea notatæ. Scutellum flavum. Metathorax dilute fuscus. Abdomen supra fuscum, margine laterali in ♂ anguste, in ♀ plerumque latius, sulphureo. Venter flavus, sæpe fusco-vittatus. Anus in utroque sexu flavo-ferrugineus. Alæ hyalinæ, stigmate oblongo, pallide cinereo, parum notato, per nervulum transversum obliquum versus apicem alæ terminato. Directio nervorum tenuium ut in citata figura Meigeni, quæ bona est et exacte delineata, præter nervum transversum ordinarium, qui non pone basin, sed vel in ipsa basi (linea recta), vel paullulum ante basin (utpote in figura Schummeli) areolæ subquadratæ est insertus. Halteres sordide flavi. Pedes tenues, in viva brunnescentes, in exsiccata flavido-fusci, femorum apice paullo obscuriori.

B. corpore cinerascente l. obscuro.

*) alis pictis.

49. *L. elegans:* obscure cinerea, subopaca, thora-

cis dorso vittis 4 nigris, limbo anguste testaceo; capite cum partibus toto nigricante; abdominis maculis lateralibus in ♀, anoque in utroque sexu, rufis; alis nubeculosis, maculis ad costam 4 inæqualibus, fuscis, harum stigmaticali magna gemina; pedibus obscure brunneis, coxis, femorum basi late, annuloque pone medium, ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. circiter $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 837. 19. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis et Lapponiæ paludosis, versus finem Junii et toto Julio, passim frequens, in provinciis Scandinavicis meridionalibus vix obvia; occurrit nempe in Jemtlandia: ad diversorium Forsa, alpem Mulfjellet, Stalltjernstugan, etc., sat copiose; in Lapponiis: Umensi ad Tresunda et Åsele, passim, Lulensi, D. *Andersson*, Tornensi ad Juckasjervi, rarius; in Norwegia: ad Alstahoug, Levanger, Näs, Garnäs, Suul, etc., minime parce, ipse; prope Christianiam ad Töien D. *H. Siebke*.

♂♀. Simillima *L. 4-notatæ* (p. 3847 n:o 33) et *L. Annulus* (n:o 34), sed a priori alarum maculis costalibus tantum 4, nec 5—6, et femorum annulis fuscis 2, nec tantum unico apicali; a posteriori, cui pedum pictura propius accedit, alarum macula stigmaticali majori duplicata; et ab ambabus colore corporis obscuriore, antennis totis fuscis, nec basi ferrugineis, atque tandem loco natali diverso, sine dubio differt, licet transitus, ubi color corporis normaliter obscurus in fusco-rufescentem vergit, non desint. — Caput, antennæ omnino ut in *L. 4-notata* constructæ et pilosæ, os et palpi, nigra, antennarum articulo 1:mo interdum piceo. Collare ad latera testaceum. Stethidium obscure schistaceum, raro fusco-lividum, thoracis vittis dorsalibus 4 nigricantibus, subnitidis. Pleuræ immediate sub thoracis dorso testaceæ, unde thorax

testaceo-limbatus videtur. Thoracis posticum macula utrinque et scutelli apex, testacea. Metathorax obscurus. Abdomen obscurum, certo situ cinereo-micans, lateribus baseos in ♂, maculis lateralibus subtrigonis ad basin segmentorum in ♀, et ano in utroque sexu, ferrugineo-flavis. Alæ latiusculæ, albido-hyalinæ, nebulosæ, maculis nempe 3 ad marginem interiorem in apice nervorum longitudinalium, et fascia transversa intra apicem alæ, cinereis. Nervi distincti, fusci et transversi infuscati. Præterea adsunt sub nervo longitud. 2:do normaliter maculæ 4 costales, distinctiores, æquali spatio remotæ, obscure brunneæ, quarum 1:ma versus basin alæ, difformis, 2:da rotundata, 3:tia (in medio costæ) angulato-subquadrata, 4:ta loco stigmatis, gemina, ocellum oblongum formans, adjecta intus (in furcatura nervi) macula 5:ta subrotundata, fusca. Nervi insuper ut in *L. 4-notata* directi: transversus ordinarius ante basin areolæ subquadratæ insertus, axillaris modice longus, subflexuosus, apice leniter curvatus. Halteres modice longus, subflexuosæ flavæ. Femora a basi ad medium ferrugineo-flava, deinde fusca (apice saturatius), annulo ante apicem dilutius flavo. Tibiæ tarsique obscure brunnea, illæ basi sæpe piceæ.

50. *L. consimilis:* obscure fusca, thoracis nitidi vittis 3 dorsalibus latis confluentibus nigricantibus; alis subhyalinis, nubeculosis, maculis costalibus 4 fuscis, nervis brunnescentibus, transverso ordinario fere basi areolæ inserto, axillari modice brevi, apice leniter curvato; pedibus fuscis, coxis, femorumque basi late, ferrugineo-flavis. ♂. (Long. fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 1837. p. 837. 20. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime: ad Lycksele d. 17 Aug. 1832 in unico specimine a me inventa; deinde in prato ad Medhamra prope Wadstena Ostrogothiæ d. 17 Aug. 1841 exemplum alterum D. *Dahlbom* legit.

♂. Tota obscura, nigricans, glabricula, nitida. Antennæ ut in præcedente. Palpi nigri. Rostrum apice flavidum. Thorax dorso niger, nitidus, macula utrinque humerali cinerea l. grisea; postice et scutellum paullo dilutiora. Pleuræ (in specimine exsiccato) piceæ, cinereo-micantes. Abdomen nigrum, ano fusco. Alæ modice angustæ, ad costam (in nervo long. 2:do) maculis 4 fuscis, æqvali spatio remotis, quarum 1:ma versus basin, parum determinata, obsoleta, 2:da nonnihil ante medium costæ, rotundata, 3:tia medio costæ ad originem nervi long. 3:tii, subquadrata, intus obsoleta, 4:ta loco stigmatis, oblonga, sublibera, sat obscura, adjecta intus macula obsoleta. Nervi omnes fusci, longitudinales apice macula pallide cinerea, horum 3:tius (a margine interiori numeratus) validior; transversi dilute infuscati. Directio nervorum præterea ut in priori. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes tenues ut in diagnosi.

51. *L. decora:* "thorace cinereo, fusco-trivittato, abdomine fusco, albido-fasciato; alis vitreis: apice, nervis transversis maculisque 4 ad marginem anticum saturate fuscis, margine postico maculis tribus pallidioribus. ♂♀. (Long. 3 lin.)". *Stæg.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 47. 15. ♂♀.

Hab. in Dania forte rarissime, in silva ad Silkeborg Jutlandiæ inventa a D. *Schiödte*, teste *Stæger*.

♂♀. Mihi plane ignota. Secundum diagnosin et descriptionem, quas l. c. dedit D. *Stæger*, hæc species nostræ *L. consimili* valde affinis et similis videtur, et forsan tantum ejus varietas? Cum tamen in quibusdam notis differunt, etiam Stægeri speciem ut distinctam afferre volo, ipsius adumbrationem exponens: "Meigeni *L. ornatæ* et *L. trinotatæ* affinis videtur. Caput dilute cinereum, rostrum flavo-griseum, antennæ et palpi nigricantia. Thorax læte cinereus, vittis 3 nigricantibus,

media gemina, a collo ad suturam continuata; laterales angustæ, a thoracis medio ad scutellum ferrugineum extensæ. Metathorax cinereus. Abdomen e postico visum, fuscescens, incisuris flavescentibus, situ opposito obscurum, fasciis albido-cinereis in segmentorum margine postico. Cauda et feminæ brevis, acuta forceps, ferrugineæ. Halteres pallidi, clava obscura. Alæ hyalinæ, margine antico maculis 4, æquali spatio distantibus, nigro-brunneis: 1:ma ad alarum basin flavam, 2:da ante, 3:tia pone medium; 4:ta, loco stigmatis, cum alia macula majuscula ad basin furcæ nervi marginalis connexa; macula magna ejusdem coloris tegit apicem cellulæ marginalis et cellulæ submarginalis, atque, colore paullo dilutiore, extenditur supra 2 proximas cellulas posteriores; deinde sequitur ad marginem posteriorem punctum obscurum in 2:do, et tres magnæ, rotundæ pallide brunneæ maculæ in apice nervorum longitudinalium, et demum, juxta marginis interioris curvaturam prope radicem alæ, margo brunneus. Fascia brunnea omnes nervos transversos transit. Nervus longitudinalis 3:tius atque etiam ex parte 5:tus nigricantes. Pedes valde tenues, flavi, femorum tibiarumque apice tarsorumque articulis 2 primis nigricantibus, tarsorum articulis 3 ultimis nigris." Stæg. l. c.

Obs. Cum hæc jam scripsi, tria specimina (unum masculum et duo feminea), in Jemtlandia ad diversoria Faxelfven, Åsarne et Rätan d. 9—17 Aug. 1840 capta, mihi oblata fuerunt, descriptioni Stægeri exacte convenientia ideoque cum specie ejus identica. In eo tantum differunt, quod abdomen in ♂, versus lumen visum, sit obscurum, macula magna lutea subpellucida in singulo segmentorum notatum, et tarsorum articuli 2 primi in utroque sexu flavo-ferruginei, nec "nigricantes". Præterea directio nervorum in alis omnino ut in *L. consimili*, a qua vix nisi thorace læte cinereo, *opaco*, vittis 3 obscuris, nec thoracis dorso nigro, *nitido*, macula tantum humerali grisea, dignoscitur. — Femina in Norwegia ad Töien prope Christianiam 6 Sept. 1849 lecta, a D. *Siebke* nuperrime mihi etiam missa.

52. *L. tenuipes:* obscure cinerascens, thorace fusco-trivittato; alis hyalinis, nervis transversis, maculisque costalibus 4, fuscis, nervo transverso ordinario ante basin areolæ inserto, axillari modice longo, subflexuoso, apice leniter curvato; pedibus tenuissimis, albidis, femorum apice obscuro. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 837. 21. ♂♀.

Hab. in Lapponiis Svecicis, rarissime; unicum scilicet marem ad Lycksele Lapponiæ Umensis d. 17 Aug. 1832, unicamque feminam ad Kengis Lapponiæ Tornensis 22 Aug. 1821, inveni. In Norwegia ad Gjemnäs d. 14 Aug. 1843 capta, ut mihi nuper asseveravit Dominus Medicinæ Candidatus et Conservator *H. Siebke.* — Teste Prof. *Wahlberg* quoque ad Gusum Ostrogothiæ, Gothoburgum et Holmiam hæc species observata fuerit.

♂♀. Valde similis est Meigeni *L. ornatæ* (quam e Finlandia missam possideo), et *L. trinotatæ* (quam e Glogavia a D. *Zeller* obtinui); sed ab harum priori, cui proxima, alis vix nebulosis, a posteriori alarum maculis costalibus 4, nec 3, et ab ambabus magnitudine forte nonnihil minori et alarum apice minus intense fusco, differre videtur. Antennæ capite cum collari parum longiores, submoniliformes, pilosæ, fuscæ, articulo 1:mo dilutiori. Palpi obscuri. Rostrum flavidum. Thorax cinerascens, vittis dorsalibus 3 brunneis, media lata, lateralibus antice abbreviatis. Alæ angustatæ, hyalinæ, maculis costalibus 4 fuscis, æquali spatio remotis, quarum 1:ma ad basin, minori, 2:da ante medium, 3:tia in medio costæ ad originem nervi longitudinalis 3:tii, et 4:ta loco stigmatis, oblonga, intus alia macula obsoletiori aucta. Ad apicem alæ macula 5:ta, in speciminibus diu asservatis valde obsoleta, etiam adest. Nervi transversi infuscati, horum ordinarius aperte ante basin areolæ subquadratæ insertus. In apice singulorum nervorum longitudinalium ad marginem interiorem

observatur etiam macula cinerea, sed valde obsoleta. Nervus longitudinalis 1:mus (a costa) inter maculas fuscas albus. Nervi præterea ut in *L. eleganti* (49) directi, at tenues, pallescentes, præter longitudinalem 3:tium (a margine interiori) validum, obscurum. Halteres albidi, clava fusca. Pedes valde graciles, flavido-albidi, femorum apice anguste obscure fusco. Tibiarum summus apex tarsorumque articuli ultimi etiam fuscescentes.

**) alis non pictis, subimmaculatis (præter stigma sæpissime obscurum et interdum etiam punctum unum alterumve costale fuscum).

53. *L. didyma:* rufescenti-fusca, opaca, thoracis dorso cinereo, vittis 3 latis confluentibus obscurioribus; capite cinerascente, antennis rostroque fuscis, palpis obscuris; alis subhyalinis, stigmate reniformi, punctis 2 costalibus parvis, fuscis, nervo transverso ordinario basi areolæ inserto, axillari modice longo, subflexuoso, apice leniter curvato; pedibus ferrugineo-flavis, femorum apice fusco. ♂♀. (Long. ♂ 2½, ♀ 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 135. 5. ♂. Schumm. Dipt. Siles. p. 129. 19. ♀. T. 1. f. 9 (ala). Macqv. Buff. 1. 102. 8. ♂♀. varietas videtur nervis transversis infuscatis. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 49. 18. ♂♀. (♂ 3⅓, ♀ 4 lin. long.). Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 19.

Hab. in Scandinavia meridionali, mense Augusto, minus frequens; marem in Scania ad Lund inveni; feminas tres e Dania a D. *Stæger* obtinui.

♂♀. Glabricula. Caput fuscum, fronte cinerascente. Antennæ thorace breviores, moniliformes, pubescentes, fuscæ, articulo 1:mo nonnihil dilutiori. Rostrum fuscum. Palpi obscuri. Collare griseum. Stethidium fusco-ferrugineum, thoracis dor-

so cinerascente, vittis 3 obscurioribus latis, confluentibus, lateralibus antice abbreviatis. Pleuræ leniter cinereo-micantes! Scutellum griseum. Metathorax obscure cinereus. Abdomen in ♂ fuscum, opacum, ano dilutiori, in ♀ fusco-ferrugineum, subnitens, dorso obscuriori, ano ferrugineo. Alæ subangustatæ, subhyalinæ, maculis 3 costalibus fuscis, subæque distantibus, 1:ma ante medium costæ, punctiformi, 2:da in medio ad originem nervi long. 3:tii, etiam minuta, et 3:tia loco stigmatis, oblongo-quadrata, adjecta intus macula minori, unde subreniformis evadit. Nervi tenues, longitudinalis 3:tius (a margine interiori) paullo distinctior, transversi etiam sat distincti (interdum leniter subinfuscati), horum ordinarius fere in recta linea cum basi areolæ oblongo-quadratæ ductus. Halteres pallidi, clava paullo saturatiori. Pedes tenues, coxis femoribusque flavis, horum apice obscure fusco. Tibiæ tarsique fusca l. testacea, articulatione paullo saturatiori.

54. *L. pilipes:* brunneo-nigra, opaca, thoracis dorso obscure vittato; pleuris scutelloque fusco-ferrugineis; capite griseo, antennis palpisque fuscis; abdominis latiusculi margine laterali, segmentorumque apicali, anguste, anoque, flavidis; alis sordidis, nervis validis obscuris, transversis infuscatis, horum ordinario paullo ante basin areolæ oblique ducto, axillari modice brevi, leniter arcuato; pedibus flavo-ferrugineis, femoribus ante apicem annulo obscure fusco; tibiis in ♂ pilosis. ♂♀. (Long. 3 —3½ lin.).

Hffmgg, Act. Acad. Cæsareæ Vol. 12. T. 1. ♂. Meig. Dipt. 6. p. 273. ♂♀. — et 1. 150. 61. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 41. 1. (var. a. b.) ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 10. 13. *Tipula pilipes* Fabr. Ent. Syst. 4. 242. 39. ♂. et Antl. 32. 41. ♂. *Limnob. fimbriata* Meig. Dipt. 1. 132. 28. ♀. T. 5. f. 6 (ala). Schumm. Dipt. Siles. p. 152. 36. ♂♀. T. 2. f. 8 (ala).

Hab. in graminosis locis humidis, per Scandinaviam meridionalem et mediam, a fine mensis Aprilis usque ad medium Junii, et iterum Septemb., mihi non raro obvia; in plateis urbium verno tempore sæpe quoque observata, appropinquante viatore non longe avolans; occurrit scilicet in Scania ad et in Lund, Kjellby *(Dahlbom)*, etc., certis annis vulgaris; in Blekingia, *von Borck;* in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania in Amager Majo et Jun., D. *Stæger;* e Norwegia ad Töien prope Christianiam 5 Maj. 1845 captum marem etiam mihi nuper communicavit D. *Siebke.*

♂♀. Per colorem tristem, nervorum in alis crassitiem et directionem, femorum annulum fuscum ante apicem (nec in apice), et præcipue tibias in ♂ distincte pilosas, ab aliis hujus subdivisionis facile dignota. — Caput lutescens, orbita oculorum pallidiori; fronte latiuscula, linea media obscura. Antennæ thorace breviores, submoniliformes, pubescentes, obscuræ l. fuscæ, articulo 1:mo interdum ferrugineo. Rostrum lutescens. Palpi nigricantes. Collare non longum, fuscum. Stethidium luteum, disco dorsali nigro-brunneo, lineis obscurioribus, limbo antice inæqvaliter flavo-luteo. Pleuræ fusco-maculatæ. Scutellum ferrugineum. Metathorax obscure cinereus. Abdomen latiusculum, lineare, depressum, nigricans, margine laterali distincte, et incisuris tenuissime, flavis; lateribus ciliatum. Cauda recurva, flavo-ferruginea, nitida, forcipibus in ♂ magnis, rotundis, in ♀ breviusculis, acutis. Alæ longæ, modice angustæ, fuscæ, sordide albido-lineatæ. Nervi (præsertim 3:tius a margine interiori) validi, obscuri, longitudinalis 6:dus (a costa) elongatus, ad apicem subflexuosus, et apice macula fusca parum distincta notatus; axillaris lenissime arcuatus; transversi fuscedine cincti, horum ordinarius plus minus longe ante basin areolæ subcuneiformis insertus, obliquus; connectens ad stigma adest infuscatus. Alæ in ♀ minus

obscuræ. Halteres sordide flavi, clava basi fusca. Pedes non tenues, sordide flavi l. ferrugineo-lutei, femoribus versus apicem subincrassatis, ante apicem annulo obscuro, interdum obsoleto. Tibiæ apice anguste, et tarsi ultimi etiam fusca. Tibiæ præsertim posticæ in ♂ sat dense pilosæ, in ♀ tantum pubescentes. Femora quoque postica a medio ad apicem in ♂ pilosa. Coxæ imprimis articulo 1:mo in ♂ magnæ, rotundatæ, saccatæ. — Forte proprii generis.

55. *L. replicata:* cinerea, opaca, thoracis dorso obscure vittato, postico rufescente; capite, antennis nudiusculis palpisque nigricantibus; abdomine elongato, angustato, testaceo, vitta dorsali fusca; alis fuscescentibus, stigmate oblongo, dilute fusco, nervis: transverso ordinario nonnihil pone basin areolæ elongato-quadratæ inserto, axillari elongato, subrecto; pedibus fusco-ferrugineis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂♀. (Long. circiter 6 lin.).

Meig. Dipt. 1. 142. 48. ♀. Macqv. Buff. 1. 105. 20. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 43. 7. ♂♀. *Tipula replicata* Linn. Fn. Sv. n:o 1755. Syst. Nat. 2. 973. 22. Fabr. Ent. Syst. 4. 242. 41. Antl. 32. 43. Deg. Ins. 6. 351. 12. T. 20. f. 1—15 (larva, pupa et imago). — *Limnob. nudicornis* Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 122. 14. ♂♀. T. 1. f. 8 (ala; fig. sat bona). *Tipula brevirostris* Zett. Ins. Lapp. 844. 19. ♂♀.

Hab. in graminosis, paludosis Scandinaviæ, rarius: in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås uterque sexus Aug. 1820; in Ostrogothia ad Wadstena specimina etiam utriusque sexus mense Julio inveni; ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; ad prædium Löfstad, *Degeer*; ad Holmiam, *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, rarissime;

in Dania ad Frederikshavn ♂ semel, D. *Schiödte*, et in Dyrehaven ♀ unica, D. *Drewsen*. — Larvæ 1 pollicem longæ, apodæ, virescentes, in aqua mens. Oct. a *Degeer* observatæ.

♂♀. Statura elongata, angusta, antennæ subnudæ, alarum areola insolitò longa, etc., hunc speciem bene denotant. Caput nigrum, fronte cinerea. Antennæ thorace breviusculo in ♂ fere longiores, in ♀ ei subæque longæ; in utroque sexu subcylindricæ, nudæ, atræ, articulis 1:mo cylindrico, 2:do brevi, cyathiformi, reliquis oblongiusculis. Rostrum non longum, cinereum. Palpi atri. Caput sessile. Collare valde angustum. Stethidium nigrum, cinereo-micans, thorace vittis dorsalibus obscuris, margine antico anguste ferrugineo. Thorax postice macula utrinque ad alas, scutellum, et dimidietas superior metathoracis, flavo-ferruginea. Abdomen in ♂ valde elongatum et angustum, ani forcipibus brevibus, duplicatis, margine apicali inæqualibus, exterioribus rufis, interioribus flavis, stylis (e centro ani) 2 breviusculis, flavis; in ♀ elongatum, modice angustum, ano basi fusco, vaginis modice brevibus, foliaceis, ferrugineis; in utroque sexu subnudum, sordide testaceum, linea dorsali media et incisuris non late nigricantibus. Alæ subangustatæ, fuscescentes, nervis modice tenuibus, obscurioribus, macula stigmaticali oblonga, dilute fusca. Nervi: longitudinalis 2:dus (a costa) elongatus, ultra stigma extensus, ad apicem leniter flexuosus (ut in priori), per nervulum connectentem cum ramo nervi 3:tii furcati pone stigma adnexus, axillaris elongatus, subrectus; transversus ordinarius propius basi, quam medio areolæ valde oblongæ insertus. Præterea margo interior alæ in meis speciminibus non recurvatus (unde nomen speciei), ut in descriptione Auctorum dicitur, et in figura Degeerii depingitur; sed margo hic ad basin alæ est distincte excisus. Halteres fusci. Pedes mediocres, nudi, ferrugineo-brunnei, femorum tibiarumque apice, tasisque ultimis obscurioribus, coxis, femorumque basi indeterminate flavescentibus. Femorum apex nonnihil crassior. — Sequenti affinis.

Obs. Habitu et antennarum abdominisque forma, *Cylindrotomæ* generi proxima.

56. *L. trisulcata:* nigro-cinerea, opaca, thorace trisulcato, postice rufescente; capite, antennis breviter pilosulis, palpisque, nigricantibus; abdomine elongato, angustato, testaceo, vitta dorsali fusca; alis fuscescentibus, stigmate oblongo, obscuriore, costa pallide fusca (♂), aut saturate fusca (♀); nervis: transverso ordinario medio areolæ elongato-quadratæ inserto, axillari elongato, subrecto; pedibus obscuris, coxis femoribusque basi flavo-ferrugineis. ♂♀. (Long. circiter 5 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 105. 3. ♂♀. T. 1. f. 3 (ala). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 46. 14. ♀.

Hab. in Scandinavia valde rara: scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby mense Julio marem unicum deprehendi; in Svecia media ad Wadstena Ostrogothiæ feminam cum præcedente semel inveni; in Dania in Charlottenlund etiam unicum specimen femineum a D. *Stæger* mense Julio captum.

♂♀. Valde similis et certe proxima priori, cum qua, a ceteris remota, proprium genus forte rectius constituere posset. Per magnitudinem paullulum minorem, antennas submoniliformes, breviter pilosulas, nec nudas, thoracem sulcatum, nervum transversum ordinarium medio, nec basi, areolæ insertum, etc., a *L. replicata* tamen abunde dignota.

Fem.: nigra, cinereo-micans, glabricula. Antennæ thorace paullo breviores, nigræ, (secundum *Stæger* 16-articulatæ), flagelli articulis rotundatis, nec oblongis. Palpi nigri. Rostrum breviusculum. Caput sessile. Collare valde angustum, prominulum. Thorax antice flavo-marginatus; dorso parum elevato sulcis 3 et ante laterales in humeris fovea punctata; po-

stice rufescens. Scutellum pallidum, linea media obscura. Metathorax pallidus, postice macula nigra. Pleuræ postice pallido-maculatæ. Abdomen cum ano ut in priori constructum et pictum, segmento 1:mo basi fascia pallida, subinterrupta. Alæ angustæ, fuscescentes, nervis brunneis, stigmate modice magno, oblongo, a nervis limitato, fusco. Vitta subcostalis paullo obscurior. E summo apice alæ descendit nervus longitudinalis 3:tius, qui areolæ medio (latere superiori) inseritur, et nervulo transverso ordinario (areolæ latere inferiori) opponitur (nota priva). Nervulus connectens nullus. Præterea nervorum directio ut in præcedente vel ut in diagnosi. Halteres basi sordide albidi, clava oblonga, obscura. Pedes obscuri, coxis femorumque basi flavescentibus. Coxarum articulus 1:mus pallidus, basi brunneus.

Mas: a D. *Schummel* l. c. describitur, feminæ similis, præter scutellum et metathoracem (in meo specimine) obscuriora, alas minus fuscescentes et discrimen sexus.

57. *L. tristis:* cinerea, opaca, thoracis dorso fusco-trivittato; antennis fuscis, palpis nigris; alis sordide hyalinis, nervulo transversali ad basin alæ punctoque stigmaticali fuscis; nervis: transverso ordinario basi areolæ subquadratæ inserto, axillari modice brevi lenissime curvato; pedibus longis, gracilibus, fuscis, coxis femorumque basi flavidis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{2}{3}$, ♀ fere 3 lin.).

Schumm. Dipl. Siles. 1829. p. 135. 23. ♂♀. Tab. 1. f. 10 (ala). — An *Limn. grisea* Macqv. Buff. 1. 102. 7? Meig. Dipt. 7. 31. 98?

Hab. in graminosis, per prata Sveciæ, mense Julio; scilicet in Scania ad prædium Elmhult 1844, rarissime, D. *Dahlbom*; in Gottlandia ad Fåhrön, Thorsborg et Kyllej Jul. 1841 copiose legi; in Jemtlandia ad Forsa prope Mulfjellet 1840 semel etiam inveni.

♂♀. Antennis moniliformibus totis obscuris, palpis nigris, articulo 3:tio majusculo, oculis in fronte subcontiguis, thorace fusco-trivittato, alarum angustarum nervis fere ut in *L. modesta* n:o 45 directis, puncto stigmatis fusco, nervulo transversverso juxta basin alæ distincte infuscato, pedibus valde longis et tenuibus, etc., ab aliis affinibus satis superque dignota. Cinerea, glabra. Antennæ thorace nonnihil breviores (præsertim in ♀), moniliformes, obscuræ l. fuscæ, breviter pilosulæ. Palpi nigri, articulo 3:tio crasso (unde *Glochinæ* accedit). Oculi in fronte subconnexi. Caput postice modice productum, collo brevi. Thoracis vittæ dorsales 3 brunneæ, subconfluentes, media lata, laterales antice abbreviatæ, ante has strigula impressa obscura. Margo anticus tenuis, albidus. Metathorax canescens. Abdomen angustum, obscure fuscum, unicolor, ano ferrugineo. Alæ angustatæ, subhyalinæ, apice nervi longitudinalis 2:di (loco stigmatis) et toto nevulo alæ transverso basali, infuscatis. Nervi subtenues, brunnescentes, transversus ordinarius, normaliter linea recta cum basi areolæ, sed interdum paullulum ante basin areolæ insertus. Halteres albidi, clava fuscescente. Pedes longi, tenues, plus minus obscuri, coxis femorumque basi flavis l. flavescentibus. Coxarum articulus 1:mus basi cinerascens.

58. *L. fuscescens:* glauca, opaca, thoracis dorso obsolete fusco-4-vittato; antennis obscuris, articulis 2 primis flavis; palpis nigris; alis sordide cinereis, immaculatis, stigmate nullo; nervis: transverso ordinario fere medio areolæ inserto, axillari breviusculo, subrecto; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavescentibus. ♂♀. (Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ fere 4 lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 121. 13. ♂♀. certe eadem.

Hab. in Svecia superiori, rarissime; nempe in Gottlandia: ad diversorium Kinnare in paroecia Lummelun-

da 2 Aug. 1841 specimen unicum masculum inveni, in pratis ad diversorium Westerby prope Thorsburg 5 Jul. 1850 duos mares legit D. *Dahlbom;* et in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven 9 Aug. 1840 exemplum unicum femineum deprehendi.

♂. Priori propinqua, sed thorace obsoletius vittato, antennarum basi flava, palpis filiformibus, oculis remotis, alis immaculatis, nervis transversis ad medium alæ magis retractis, etc., abunde dignota. — Læte cinerea, opaca, glabricula. Antennæ thorace paullo breviores, articulis basalibus flavis, flagello nigricante, pilosulo, basi modice crasso, versus apicem sensim tenuiori. Palpi nigri. Oculi distincte remoti. Collum breve. Thoracis dorsum cinereum, vittis subquatuor tenuibus brunneis obsoletis, mediis subintegris, lateralibus antice abbreviatis, et ante has strigula nigra impressa. Pleuræ, scutellum et metathorax cana. Abdomen lineare, fuscum, pubescens, ano ferrugineo. Alæ angustæ, fusco-hyalinæ, nervis ut in Meigeni *Limn. cinerascente* 1. 147. 55. Tab. 4. f. 17. directis, nempe nervo transverso ordinario fere in medio areolæ oblongo-quadratæ inserto, et reliquis nervis transversis versus medium alæ retractis, unde apicales insolito elongati evadunt; nervulus connectens exiguus infra locum stigmatis adest. Nervi tenues, brunnescentes, 2:dus longitudinalis flavidus. Halteres toti pallide flavi. Pedes mediocres, nudi, obscure fusci, coxis totis femorumque basi anguste et indeterminate, ferrugineo-flavis. Coxarum articulus 2:dus anguste nigro-marginatus.

♀. Mari similis, sed præter discrimen sexus, differt etiam magnitudine paullo majori, colore corporis magis glauco, ventre flavido, alis albido-hyalinis, femorum basi latius flavescente, etc.

59. *L. murina:* cinerea, opaca; thoracis dorso fusco-trivittato; antennis palpisque nigricantibus; alis hyalinis, stigmate subquadrato, distincto, nigro-fusco; ner-

vis: transverso ordinario linea recta cum basi areolæ subquadratæ inserto, axillari modice longo, subrecto; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavidis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Hab. in Svecia boreali, minus frequens; scilicet marem in Lapponia Lulensi 1843 captum mihi missit D. *Andersson*, feminam in Jemtlandia ad cataractam Ristansfors d. 5 Aug. 1840 ipse inveni.

♂♀. Simillima *L. tristi* (57), a qua vero magnitudine nonnihil minori, alis purius hyalinis, stigmate majori, obscuriori et distinctius notato, puncto fusco ad basin alæ deficiente, loco natali alio, etc., certe diversa. A *L. modesta*, cui magnitudine et nervorum directione similis, corpore cinereo, nec ochraceo, antennis totis nigris, et stigmate saturatiore discedit. Vix *Glochinæ* speciei, nam palpi in specimine, quod ante oculos habeo (in reliquis meis exemplis paucis palpi defecti sunt) articulis omnibus fere æque crassis mihi videntur. — Cinerea, glabricula. Frons lata. Antennæ longitudine fere dimidii thoracis (♂), aut capite cum collo parum longiores (♀); moniliformes, pubescentes, nigri. Palpi nigri. Thorax antice gibbus, vittis dorsalibus 3 brunneis, confluentibus, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum rufo-cinereum. Pleuræ et metathorax læte cinerea. Abdomen angustum, fuscum, incisuris in ♀ tenuissime aldidis, ventre in ♂ canescente, ano in utroque sexu ferrugineo. Alæ angustatæ, vitreæ, immaculatæ, præter maculam stigmaticalem subquadratam, distinctam, obscuram, in apice nervi longitud. 2:di et ante ejus nervulum apicalem transversum sitam. Nervi subtenues, brunnescentes, longitudinalis 3:tius (a margine interiori) validior. Areola oblongo-quadrata. Halteres pallidi, clava parum elongata fusca. Pedes longiusculi, tenues, fusco-testacei (in exsiccatis), coxis femorumque basi pallidioribus, horum apice obscuriori.

60. *L. hyalinata:* cinerea, opaca; thoracis dorso

fusco-trivittato; antennis palpisque nigricantibus; alis hyalinis, stigmate subquadrato, obsoleto, pallido; nervis: transverso ordinario basi areolæ subquadratæ (interdum apertæ) inserto, axillari modice brevi, subrecto; halteribus pallidis, clava fusca; pedibus fuscescentibus, coxis, femorumque basi late, flavis. ♀(♂). (Long. ♀ circiter 2½ lin.).

Vix *Limn. affinis* Schumm. Dipt. Siles. p. 127. 17. T. 1. f. 9 (ala)?

Hab. in Scandinavia media et boreali mense Julio et Augusto, minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena, Fylla et Medhamra (♂♀); in Jemtlandia ad Mulfjellet et Skalstugan tria specimina feminea 1840 inveni; in Gottlandia ad Storugns et Olle Hau 15—20 Jul. 1850, D. *Dahlbom*; e Norwegia a D. *Siebke* missa.

♀. 2½ lin. long. Pluribus præcedentium colore et magnitudine sat similis; sed differt: a *L. hyalinipenni* (29) nervis ex area discoidali emissis simplicibus, nec horum uno furcato; a *L. tristi* (57) nervulo transversali parvo ad basin alæ non infuscato, etc.; et a *L. murina* (59) stigmate quidem majori, sed multo obsoletiori et pallidiori, nec nigro-fusco. A *L. affini* Schumm., cui quoque valde propinqua videtur, stigmate subquadrato, flavido, nec reniformi, fusco, discrepat; ab hac etiam loco natali distat. — Cinerea, glabricula. Antennæ capite cum collo parum longiores, submoniliformes, pilosulæ, totæ obscure fuscæ. Palpi nigricantes. Oculi remoti. Thoracis vittæ dorsales 3 brunneæ, laterales antice abbreviatæ. Scutellum apice subrufescens. Pleuræ canescentes. Abdomen obscure fuscum l. obscure cinereum, ano ferrugineo. Alæ angustatæ, hyalinæ, irisantes, nervis ut in *L. modesta* (45) seu in Meigeni Tab. 6. f. 5. directis. Areola discoidalis in individuis minoribus apice interdum non occlusa. Nervus transversus ordinarius in uno individuo mox ante basin are-

olæ, in altero ipsi areolæ basi (seu linea recta cum basi), et demum in tertio mox pone basin areolæ, insertus. Halteres albidi, clava fuscana. Pedes longiusculi, tenues, fusco-testacei, coxis, femoribusque ultra medium flavis, horum apice obscure fusco.

♂. $1\frac{1}{2}$ lin. long. Similis feminæ, a qua differt: magnitudine minori, abdomine lineari, ano flavo, forcipibus proportione sat magnis, rotundatis, et nervi longitudinalis 3:tii parte basali, quæ exit e serie nervorum transversalium et versus nervum longitudinalem 2:dum curvatur, paullo breviori, ad hanc speciem forte referri debet. In Ostrogothia ad Wadstena exempla areola incompleta; in Jemtlandia ad diversorium Åsarne d. 16 Aug. 1840 in unico specimine captus; in Gottlandia ad Storugns d. 27 Jul. 1841 semel quoque lectus (in individuo areola apice aperta).

61. *L. pilicornis:* obscure brunnea, subnitida, metathorace subrufescente, sterno flavo; antennis longe pilosis, palpis abdomineque, nigricantibus; alis angustatis, fuscanis, stigmate oblongo, fuscescente; nervis: subfuscis, transverso ordinario medio areolæ oblongo-quadratæ inserto, axillari modice longo, apice curvato; pedibus fusco-testaceis, coxis femorumque basi flavis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.)

Hab. in Gottlandia, minus frequens; scilicet ad Ejsta 2 feminas, et ad Hoburg 4 mares d. 2 et 6 Jul. 1841 inveni, nec alibi hanc observavi; feminam etiam in Bottnia boreali 1843 lectam mihi misit D. *Andersson*.

♂♀. Corpore brunnescente, nitido, sterno pallido, antennis totis obscuris, distincte pilosis, alis angustis fuscanis, nervo transverso ordinario medio areolæ oblongæ inserto, axillari apice curvato, abdomine nigricante, etc., ab aliis confinibus facile discernitur. *L. pilosæ* Schumm. Dipt. Siles. p. 149.

34. T. 2. f. 7 (ala), et *L. sylvaticæ* Meig. Dipt. 1. 132. 29. T. 5. f. 4 (ala) proxima et quodammodo similis videtur, sed in variis derversa. — Glabricula, nitida. Caput nigricans, postice parum elongatum. Antennæ thorace nonnihil breviores, basi crassiusculæ, obscuræ, flagello fusco, longe piloso, versus apicem sensim valde gracili, articulis parvis rotundatis. Palpi nigri. Oculi distantes. Collum breve. Thorax dorso obscure fuscus, interdum castaneus l. rufescenti-brunneus, antice tenuissime albo-maginatus. Pleuræ piceæ, sterno pallido. Scutellum et metathorax plerumque rufescentia l. rufo-brunnea. Abdomen obscurum l. nigricans, in ♂ pubescens, basi imprimis angustatum, ano ferrugineo-flavo; in ♀ glabriculum, vaginis analibus longe acutis, ferrugineis, parum reflexis. Alæ angustæ, basi sat longe et distincte angustatæ, totæ (præsertim in ♀) fuscæ, stigmate oblongo, nonnihil obscuriori; tota superficie, ni visu fallor, microscopice hirsutæ. Nervi: omnes perspicui, brunnei; longitudinales 1:mus (a costa) fere ad seriem transversorum extensus, apice bifidus, 2:dus apice lenissime flexuosus et macula stigmaticali cinctus, 3:tius parte basali (inter seriem transversorum et ejus curvaturam versus 2:dum) modice longus; connectens ad stigma adest; axillaris et longitudinalis 3:tius (a margine interiori) paullo validiores, apice distincte incurvi; transversus ordinarius medio areolæ elongatæ et sat regulariter quadratæ insertus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes tenues, in exsiccatis fusco-testacei, femoribus basi late indeterminate pallidioribus. Coxæ flavæ.

62. *L. pilosa:* cinerea, opaca, pilosa; abdomine obscure fusco; antennis thorace fere longioribus, obscuris, pilosis, articulo 1:mo flavo; palpis nigris; alis modice angustis, cinerascentibus, stigmate subdilatato, pallide fusco, totis tenuissime hirtis; nervis: transverso ordinario fere medio areolæ suboblongo-quadratæ inserto, axillari modice longo, recto; pedibus ferrugineo-flavis, femorum ti-

biarumque apice, tarsisque, fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{3}$—$2\frac{2}{3}$ lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 149. 34. ♂♀. 2. f. 7 (ala; fig. exacta).

Hab. in Svecia boreali, hactenus valde raro observata, scilicet in Jemtlandia ad diversorium Forsa, nec non ad radicem Mulfjellet, et tandem ad diversorium Skalstugan, tria specimina feminea 27 Jun. 16 Jul. 1840 detegere mihi contigit. (Larva hujus speciei in Agarico a D. *Stannio* inventa, teste D. *Schummel*).

Corpus cinereum immaculatum pilosum, antennæ longiusculæ pilosæ nigræ, articulo 1:mo flavo, alarum cinerascentium microscopice hirsutarum stigma majusculum dilutum, nervus transversus ordinarius medio areolæ insertus, axillaris rectus, ut et in ♀ oviductus apice recurvatus, speciem abunde designant. An *Cylindrotoma macroptera* Macqv. et Stæger.?

♀. Antennæ longitudine saltem thoracis, filiformes, articulis oblongiusculis. Palpi longiusculi, nigri. Frons lata. Collum breve. Thorax supra pilosus. Scutellum rufescens. Pleuræ schistaceæ. Abdomen obscure fuscum, distincte hirsutum. Anus ferrugineus, apice acuto sursum flexo. Alæ modice latæ. Nervi fere ut in *L. sylvatica* Meig. (cui accedere videtur) tab. 5. f. 4. directi. Nervus longitudinalis 1:mus (a costa) elongatus, apice simplex; transversus ordinarius fere medio l. nonnihil versus basin areolæ subcuneiformis insertus; tres illi, ab areola emissi, longiusculi. Halteres sordide albidi, clava leniter fuscana. Pedes tenues, in exsiccata fusco-testacei, coxis femoribusque flavis, horum apice lenissime incrassato obscure brunneo.

♂, ut feminæ, præter differentiam sexus et magnitudinem paullo minorem, similis, a D. *Schummel* l. c. describitur, mihi non obvius.

Obs. Antennæ fere ut in *Cylindrotoma,* sed nervi tres ex area emissi omnes simplices (nec superior furcatus), omnino ut in reliquis hujus subdivisionis *Limnobiis.*

63. *L. Sororcula:* cinerea, opaca, pilosula; abdomine obscure fusco; antennis (in ♀) longitudine fere thoracis, fuscis, pilosis; alis modice angustis, cinerascentibus, stigmate subdilatato, pallide fusco, totis lenissime hirtis; nervis: transverso ordinario ante basin areolæ quadratæ inserto, axillari modice brevi, recto; pedibus fusco-testaceis, coxis, femorumque basi late, flavis. ♀. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime, nempe ad radicem Mulfjellet Jul. 1840 exemplum unicum legi.

♀. Simillima priori, a qua tamen magnitudine nonnihil minori, antennis paullulum brevioribus, articulis forte magis rotundatis, alarum nervo connectente sub basi stigmatis sito, areola breviori magis regulariter quadrata, imprimis nervo transverso ordinario ante basin, nec medio, areolæ inserto, et denique stylis analibus paullo longioribus, acutioribus, subrectis, nec sursum flexis, certe est distincta. — Reliqua ut in præcedente.

64. *L. ciliaris:* cinerea, opaca, thoracis linea dorsali nigra, abdomine vitta fusca; antennis, rostro palpisque nigris; alis angustatis, hyalinis, stigmate nullo; nervis distinctis, obscuris, transverso ordinario mox ante basin areolæ irregulariter oblongo-subquadratæ inserto, axillari elongato, lenissime flexuoso; pedibus nigricantibus, coxarum articulo 2:do, femorumque basi anguste, flavidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ lin.).

Schumm. Dipt. Siles. 1829. 151. 35. ♂♀. T. 2. f. 6 (ala); certe. — *Limn. sericea* Macqv. Dipt. d. Nord, p.

159. 34. ($2\frac{1}{2}$ lin. long.)? — Meig. Dipt. 7. 32. 102. (ex descriptione Macqvarti transscripta)?

Hab. in Svecia, minus frequens; scilicet in Scania in horto proprio mares plures choreas ducentes d. 1 Jun. (*) 1850 deprehendi; in Jemtlandia ad Mulfjellet specimen masculum 27 Jun. 1840 invenit D. *Dahlbom;* e Töien prope Christianiam marem mihi misit 1850 D. *Siebke.* (Ad Neuenkirchen in Megalopoli et in fagetis ad Eldenam prope Gryphiam d. 15—20—28 Maj. 1842 mares non parce observavit et legit Idem *Dahlbom).*

♂♀. Thoracis glabriculi linea unica determinata nigra in dorso cinereo, os et antennæ tota nigra, alarum hyalinarum nervi distincti, ordinarius basi vel mox ante basin areolæ minus regularis insertus, axillaris longus, absentia stigmatis, pedes, exceptis coxarum articulo 2:do et femorum basi non late rufo-flavis, nigri, parvitas corporis, etc., speciem bene et facile distingvunt. Caput cinereum, fronte lata. Antennæ thorace fere breviores, nigræ, pubescentes, articulis parvis rotundis. Thorax dorso antico ferruginanti-cinereus, linea media nigra; postice cinereus, immaculatus; in disco antico pone humeros utrinque strigula minuta obliqua impressa nigra. Scutellum, metathorax et pleuræ cinerea. Abdomen cinereum, vitta longitudinali obscuriori, obsoleta, ano sordide rufescente. Alæ vitreæ, nervis obscuris, longitudinali costæ proximo, flavido, apice simplici, in figura Schummeli fideliter delineatis. Nervi transversi et areola propius ad medium alæ retracta sunt, unde nervi, qui in apice excurrunt, sat longi evadunt; hi vero nervi apicales sunt microscopice hirti, minus tamen, quam in *Erioptera.* Nervus connectens ad basin furcæ superioris adest. Halteres albidi. Coxarum articulus 1:mus cinereus. Tibiæ in ♀ testaceæ. Cetera ut in diagnosi.

---

*) Cel. *Schummel* mares in magna turba choreas agentes sub arboribus, sole lucente, d. 5 Octob. observavit.

65. *L. lugubris:* tota atra, opaca, antennis (♂) longiusculis, palpis, ano pedibusque concoloribus; thoracis margine antico tenui halterumque clava albidis; alis subangustatis, fuscescentibus, stigmate oblongo, nigricante; nervis distinctis, obscuris, transverso ordinario fere medio areolæ oblongo-quadratæ inserto, axillari modice longo, apice curvato. ♂♀. (Long. circiter $3\frac{1}{2}$ lin.).

Tipula lugubris Zett. Ins. Lapp. 846. 27. ♀.

Hab. in Svecia boreali rarissime, nempe ♂ in Jemtlandia ad radicem Mulfjellet mense Julio 1840 in unico individuo a me inventus; ♀ in Lapponiæ Umensis paludosis ad novacolum Umenäs prope alpem Brattiksfjellet d. 7 Jul. 1832 semel lecta.

♂. Per magnitudinem mediam, totius corporis omniumque partium nuditatem et colorem nigrum (exceptis thoracis margine antico valde tenui interrupto halterumque clava albidis), antennas longiusculas, alas fuscas, stigmate distincto, etc., ab aliis statim dignota. Glabricula, etiam abdomine et pedibus. Antennæ longitudine fere capitis, thoracis metathoracisque simul sumtorum, breviter pilosulæ, ut mihi videntur 16-articulatæ, articulo 1:mo breviusculo cylindrico, 2:do adhuc breviori, cyathiformi, 3—8 subrotundatis, reliquis versus apicem sensim tenuioribus, ultimis valde gracilibus. Palpi simplices. Frons latissima. Caput postice vix productum. Collum modice breve. Thorax antice gibbus, tenuiter albo-marginatus, utrinque humeris impressus. Abdomen angustum, ano cum forcipibus nigris parum exserto, at appendicula filiformis nigra transversa in ipso apice observatur. Alæ fuscanæ, stigmate oblongo cum nervo costali arcte connexo nervisque validiusculis, distinctis, obscurioribus. Nervi fere ut in priori directi, sed axillaris multo brevior, transversus ordinarius fere in medio (nec ante basin) areolæ insertus, areola oblonga magis regulariter quadrata, et apicales nudi, nec tenuiter hirti;

pars nervi longitud. 3:tii, quæ e serie transversorum orta ad nervum 2:dum in medio costæ descendit, quoque paullo brevior. Nervuli aliquot transversi exigui ad basin alæ, et connectens sub medio stigmatis, adsunt. Alæ basi non longe, sed subito angustatæ. Halterum petiolus fuscus. Reliqua ut in diagnosi.

♀, mari similis, sed vaginis analibus subulatis recurvis nigris, differt. Antennæ in specimine meo mutilatæ. Nervus transversus ordinarius magis prope basin areolæ insertus.

66. *L. Morio:* atra, nitida, antennis breviusculis, rostro palpisque concoloribus; fronte pleurisque argenteo-micantibus; abdomine fusco, interdum flavido-fasciato; alis angustis, sordide hyalinis, stigmate subquadrato fusco; nervis: transverso ordinario ante basin areolæ subquadratæ inserto, axillari modice longo, apice leniter curvato; pedibus fuscis, basi flavidis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{3}{4}$ —$2\frac{1}{4}$, ♀ 2 fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 151. 63. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 48. 16. (var. a. b.) ♂♀. *Tipula Morio* Fabr. Ent. Syst. 4. 242. 40. — et Antl. 32. 42. — *Limnob. leucocephala* Meig. Dipt. 1. 136. 37. ♂. Tab. 6. f. 5 (ala) — et 6. p. 274. ♂♀. Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 137. 25. ♂♀. T. 1. f. 10 (ala). Macqv. Buff. 1. 103. 10. ♂♀. *Glochina leucocephala* Rossi, Dipt. Austr. 1848. 3? *Limnobia angustipennis* Zett. Ins. Lapp. 838. 22. ♂.

Hab. in graminosis locis humidis, imprimis mensib. Jul. Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund (in horto proprio 20 Maj. 1850. ♂), et ad Esperöd, rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp in paroecia Mjölby, parce; in Jemtlandia ad Mulfjellet, copiose; in Lapponia Umensi ad novaculum Umenäs, raro; in Norwegia: in alpe

Dowre ad Drivstuen, Prof. *Boheman;* ad Alstahaug, Levanger, Näs et alpem Kälahög Værdaliæ, non parce, ipse; in alpe Gamst-tind Nordlandiæ; in Dania ad Leersjön, Maj. Jul. Sept., rarius, D. *Stæger.* (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam, 15—20 Maj. 1842, D. *Dahlbom).*

♂♀. Corporis gracilitate coloreque atro, nitido, ut et fronte pleurisque argenteo-micantibus, species bene distingvitur. Glabricula. Antennæ capite et collo parum longiores, saltem non ad dimidium thoracis extenduntur; pubescentes, moniliformes, extrorsum tenuiores, totæ nigræ. Palpi nigri. Caput postice parum productum. Frons lata, argentea. Collum breve, ad latera argenteo-micans. Thorax supra ater nitidus, antice gibbus. Pleuræ argenteæ. Metathorax nigricans, cano-micans. Abdomen lineare, nudum, nitens, fusco-nigricans; in ♀ unicolor, in ♂ segmentis sæpe fascia ante incisuras sordide flava. Anus parvus, obscure fuscus, in ♀ stylis vaginantibus breviusculis acutis ferrugineis. Alæ angustæ, subhyalinæ l. lenissime subfuscanæ, nervis tenuibus, fuscis, stigmate subquadrato, costæ non arcte connexo, plus minus intense fusco, plerumque sat conspicuo; mox ante apicem bifidum nervi longitud. 2:di sito. Nervi: longitudinales 1:mus (a costa) apice simplex, paullo ultra medium costæ extensus, axillaris parum elongatus, apice leniter curvatus, transversus ordinarius sæpissime mox ante basin areolæ subquadratæ insertus. Areola est versus apicem alæ paullo retracta, unde nervi nudi apicales breviusculi evadunt. Alarum angustia basalis sat longa. Halteres albidi, clava fusca non longa. Pedes tenues, nudi, brunnei, coxis pallidis, harum articulo 1:mo basi fusco l. cinerascente. Femora antica basi anguste, intermedia modice, postica late, indeterminate ferrugineo-flava.

67. *L. gracilis:* obscure cinerea, opaca, thoracis dorso antice vitta fusca; antennis palpisque nigris; alis angustato-elongatis, hyalinis, immaculatis, areola subqua-

drata; pedibus obscuris, femoribus basi ferrugineis. ♂. (Long. circiter 2 l. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 838. 23. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime: ad Kengis d. 22 Jul. 1821 capta. (Hodie in museo nostro deperdita).

♂. Similis *L. Morioni* (66) et *tenellæ* (48); sed ab illa thoracis dorso opaco, alis immaculatis, etc., et ab hac thorace cinereo (nec sulphureo) abdomineque toto cinerascente (nec margine sulphureo), distincta. Tenera, cinerea, opaca. Antennæ ut in præcedente. Anus clavatus, ferrugineus. Alæ ut in *L. tenella*, at magis angustatæ. Halteres fusci, ima basi pallida. Pedes nigro-fusci, coxis femorumque basi ferrugineis.

Sect. 3. Alarum areola discoidalis oblongo-quadrata emittit nervos duos, quorum superior bis furcatus. Apices nervorum septem marginem interiorem alæ attingunt. Nervus longitudinalis 3:tius etiam furcatus; connectens ad stigma nullus; at longitudinalis 2:dus elongatus usque ad apicem stigmatis ducitur, ibique breviter bifidus stigma terminat; transversus ordinarius fere medio areolæ inseritur. An proprii generis?

68. *L. bifurcata:* flavo-ferruginea, nitida, abdominis linea laterali brunnea; antennis longitudine circiter thoracis, pallidis, setaceis, verticillatim pilosis; alis angustatis, flavido-cinereis, stigmate, nervis transversis puncto versus medium costæ, pallide fuscis; pedibus flavis, articulatione subfuscana. ♀. (Long. saltem 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 836. 14. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, rarissime: inter Muonioniska et Kengis d. 20 Aug. 1821 unicum individuum inveni.

♀. Tota ferrugineo-flava, nitida, glabra. Antennæ thorace fere breviores, pallidæ, ni fallor 19-articulatæ. Thorax nitidissimus, antice linea dorsali tenui fusca, parum conspicua. Abdomen lanceolatum, tenuiter pubescens, flavum, margine laterali linea fusca, et alia medio pallidiori valde obsoleta. Anus ferrugineus, stylis longiusculis, acutis, leniter recurvatis. Alæ pallescentes, nervis dilute brunneis, transversis leniter infuscatis, costa flavicante. Stigma oblongo-quadratum et punctum in basi nervi longitudinalis 3:tii, pallide fusca. Basis vero hujus nervi geniculata et in geniculo appendiculata ut in Meigeni figura T. 6. fig. 4. Nervi: longitudinalis 1:mus usque ad seriem transversorum extenditur, apice breviter bifidus ut in *L. Xanthoptèra* et pluribus; axillaris modice longus, lenissime subflexuosus, apice subcurvatus; apicales tenuiter hirtuli. Areola emittit nervos 2, quorum inferior simplex, superior vero bis furcatus, omnino ut in *Leptina* seu *Dolichopeza* Meig. 6. Tab. 65. f. 10. Alæ præterea basi sat longe coarctatæ. Halteres longiusculi, pallidi. Pedes puberuli, flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice leniter fusco.

Divis. Secunda: alarum areola discoidalis nulla. *(L. hyalinatæ* varietas areola non occlusa, sed apice aperta, sub n:o 60 quærenda).

A. Nervulus transversus inter nervos longitudinales 4 et 5 in medio alæ adest fere ut in *Limn. fasciata* (n:o 1) Meig. Tab. 4. f. 16. Nervus axillaris apice rectus. Forte proprium genus?

69. *L. alpina:* obscure cinerea, opaca; capite ca-

no, antennis palpisque nigris; alis hyalinis, immaculatis, stigmate nullo, nervis brunnescentibus, transverso ordinario ad centrum alæ retracto, axillari modice longo, recto; pedibus fusco-testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuriore. ♂♀. (Long. ♂ 3—3¼, ♀ circit. 4 lin.).

Hab. in alpibus Jemtlandicis et in jugo alpino Norwegiæ, versus finem Jul., non parce; scilicet in alpibus Åreskutan et Mulfjellen Jemtlandiæ, nec non in Kälahögar Norwegiæ, usque in regionem nivalem (circiter 3500 ped. supra mare) interdum adscendentem, 22—31 Jul. 1840 utrumque sexum sat frequenter inveni; nec alibi a me observata. — 8 mares et 12 feminas comparavi.

♂♀. Per nervum transversum centralem in alis immaculatis, ab omnibus antecedentibus facile dignoscitur. Obscure cinerea, nuda. Caput canum, postice non longe productum, fronte lata. Antennæ longitudine dimidium thoracis attingentes, nigræ, breviter pubescentes (nec pilosæ), moniliformes, extrorsum paullo tenuiores. Rostrum antice canum. Palpi filiformes, nigri. Collum modice breve. Stethidium cinereum, thoracis dorso modice producto, vestigio vittæ subgeminæ fuscæ. Abdomen angustum, fusco-nigrum, nitens, tenuiter pubescens, ano parvo, forficibus in ♂ fuscis, in ♀ breviusculis acutis summo apice ferrugineis. Alæ angustatæ, immaculatæ, stigmate nullo, nervis tenuibus, nudis, dilute brunneis; basi albidæ. Nervi: longitudinalis 1:mus ultra medium costæ extensus, apice bifidus; 2:dus longius extensus, apice simplex, et ante apicem per nervulum connectentem cum 3:tii furcati ramo superiori junctus; 3:tius furcatus, ramo inferiori basi ventricoso, petiolo elongato fere in medio costæ versus 2:dum distincte arcuatim curvatus; 4:tus bis furcatus, fur-

ca inferiori, cum ramo nervi 3:tii connexa; 5:tus, 6:tus et 7:mus (axillaris) simplices, recti; 4:tus et 5:tus per nervum transversum (qui in præcedentibus *ordinarius* vocatur, in hac vero est valde retractus) fere in centro alæ connectuntur. Halteres albi, clava parum elongata, leniter fuscana. Pedes longi, tenues, nudi, fuscescentes, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuriori. Coxæ femorumque ima basis testaceæ l. fusco-flavo-ferrugineæ.

70. *L. Virgo:* subrufescenti-cinerea, opaca; antennis fuscis, palpis nigris; abdomine obscuro; alis albo-hyalinis, immaculatis, stigmate nullo, nervis pallescentibus, transverso ordinario paullo pone centrum alæ ducto, axillari modice longo, recto; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime: ad Ejsta d. 2 Jul. 1841 unicum marem unicamque feminam detegi.

♂♀. Priori valde similis et affinis; sed magnitudine paullo minori, graciliori, colore thoracis dilutiori, subrufescenti-cinereo, antennis fuscis, nec nigris, alis magis albidis, nervisque pallidioribus, nervo transverso ordinario nonnihil pone medium, nec in medio alæ, ducto, halteribus totis albidis, pedibus magis pallide flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunneo, etc., certe diversa. Nec cohabitant. — Caput cum partibus, collum, thorax, abdomen, anus, alæ, halteres et pedes omnino ut in præcedente consructa. Scutellum rufum. Anus obscurus, summo apice in ♀ ferrugineus. Alæ pallide hyalinæ, nervis valde tenuibus, albidis. Nervi præterea ut in *L. alpina* directi, excepto quod nervus transversus (ordinarius) non omnino in centrum alæ sit retractus, sed paullo magis pone medium ductus, et duo reliqui nervi transversi simultanei lineam perpendicularem rectam (nec angulatam) nervos longitud. 3 et 4 pone medium alæ connectentem forment.

71. *L. juvenilis:* læte cinerea, opaca, fronte cana; antennis, palpis abdomineque obscuris; alis albo-hyalinis, immaculatis, stigmate nullo, nervis dilute brunnescentibus, transverso ordinario ad centrum alæ retracto, axillari modice longo, recto; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Gottlandia, rarius: ad Fardhem 3 Jul. 1841 individuum unicum masculum deprehendi, in eodem loco 27 Jun. 1850 individuum femineum invenit D. *Dahlbom*, qui etiam utrumque sexum ad Sanda, et ad Broa (in Fåhrön) 25 Jun., 13 Jul. anno nuper nominato legit.

♂♀. Capitis colore nervorumque in alis directione cum *L. alpina*, thoracis autem alarumque colore et loco natali cum *L. Virgine*, convenit; sed ab harum priori, colore thoracis lætiori, alis albidioribus et loco, a posteriori nervorum directione, atque ab ambabus magnitudine minori, recedit. — Alarum nervorumque colorem, nec non transversorum situm attente observes, ut hasce tres species certe quidem affines, sed sine dubio diversas, distingvas. — Femina *L. juvenilis* stylis analibus breviusculis, acutis, apice subrecurvis, rufescentibus gaudet.

B. Nervulus transversus inter nervos longitudinales 4 et 5 in medio alæ deest.

72. *L. bimaculata:* griseo-cinerea, opaca, thoracis vittis 3 fuscis; abdomine obscuro; antennis palpisque nigris; alis sordide hyalinis, nervis brunnescentibus, transversis leniter subinfuscatis, stigmatis oblongi fusci apicibus nervulo transverso terminatis; nervis: longitudinali 4:to versus apicem alæ in duas furcas inæquales abiente, axillari modice longo, recto; pedibus fuscis, coxis fe-

morumque basi flavidis. ♂♀. (Long. ♂ circiter $2\frac{1}{2}$, ♀ interdum fere 4 lin.).

Schumm. Dipl. Siles. 1829. p. 179. 54. ♂♀. T. 4. f. 1. (ala); certe.

Hab. in Svecia boreali et Lapponia Julio et Aug., passim, in copula etiam capta; scilicet in Jemtlandiæ alpibus Mulfjellet et Åreskutan, usque in regionem nivalem adscendens; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson.*

♂♀. Directione nervorum in alis præcipue dignota. Affinis *Dicranotæ Guerini* nobis. Caput obscure griseum, fronte lata. Antennæ in ♂ longitudine thoracis, validiusculæ, in ♀ paullo breviores, in utroque sexu nigræ, subnudæ, articulis oblongo-rotundatis. Rostrum et palpi nigra. Collum breviusculum. Stethidium griseo-cinereum, thoracis dorso puberulo, vittis 3 obscure fuscis, media lata, subgemina, integra, lateralibus antice abbreviatis. Abdomen puberulum, nigricans, incisuris tenuissime pallidis; ano basi obscuro, forcipibus in ♂ non magnis, fusco-rufis, stylis in ♀ acutis, sursum paullo curvatis, ferrugineis. Alæ angustæ, lenissime fuscanæ, nervis brunneis, longitudinalibus 5 et 7 validioribus, stigmate oblongo, apicem nervi longit. 2:di cingente et apicibus inter duos nervulos transversos incluso, toto fusco. Nervus 4:tus longitudinalis pone transversos ordinarios versus apicem in duos abit nervos furcatos, quorum superior furcam brevem, inferior furcam longiorem format, fere ut in *Limnob. (Tricyphona) immaculata* Meig. Tab. 5. f. 8. Nervi longitud. 3:ti pars inter seriem nervor. transversalium et nervum 2:dum breviuscula, curvata. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes mediocres, nudi, fusci, coxis, femorumque basi indeterminate, flavescentibus; femorum apice leniter crassiori, intensius fusco.

73. *L. coelebs:* griseo-cinerea, opaca, thoracis vittis 3 fuscis; abdomine obscuro; antennis palpisque ni-

gris; alis hyalinis, nervis tenuibus subbrunneis, stigmatis oblongi fuscani apice posteriori per nervulum transversum terminato; nervis: longitudinali 4:to versus apicem alæ in duas furcas inæquales abiente, axillari modice brevi, recto; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavidis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Svecia boreali, valde rara; scilicet in Jemtlandia ad alpem Mulfjellet et in jugo alpino Norwegiæ inter Suul et Kongsstuen 16—24 Jul. 1840 duo specimina legi.

♂. Præcedenti sat similis et affinis, sed magnitudine constanter minori et graciliori, alis minus fuscanis, nervis tenuioribus, transversis non infuscatis, at imprimis stigmate tantum ad apicem posteriorem per nervulum transversum occluso, nervo scilicet connectente inter nervum longit. 2:dum et basin furcæ nullo, sine dubio diversa. — Cetera ut in priori.

74. *L. zonata:* glauco-cinerea, opaca, thoracis vittis 4 fuscis; antennis, palpis pedibusque nigris; abdomine nigro, nitido, incisuris halteribusque pallide flavis; alis sordide hyalinis, nervis distinctis stigmateque oblongo obscuris, transversis infuscatis; nervis: longitudinali versus apicem furcato; axillari modice longo, recto. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Hab. in Svecia boreali et Lapponia, minus frequens; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan prope jugum alpinum 14—18 Jul. 1840 tres mares totidemque feminas legi; e Lapponia Lulensi a D. *Andersson* etiam missa.

♂♀. Colore capitis thoracisque glaucescente, pedibus totis abdomineque nigris, hoc flavo-cingulato, halteribus totis palli-

dis, nervorum directione, etc., ab aliis optime dignota. Antennæ parum ultra thoracis dimidium extensæ, breviter setulosæ, atræ, basi crassiusculæ, versus apicem tenuiores. Palpi atri. Frons lata. Collum mediocre. Thoracis dorsum vittis 3 fuscis, media gemina, lateralibus antice abbreviatis. Abdomen in ♂ latiusculum, derpressum, apice (in mortua) subreflexum, ano parum exserto, rufescenti-fusco; in ♀ lanceolatum, stylis analibus longiusculis, acutis, ferrugineis; in utroque sexu nigrum, nitidum, griseo-pubescens, segmentis (1:mo immaculato excepto) margine apicali distincte flavo. Alæ angustatæ, sordide hyalinæ, nervis validiusculis, obscuris, transversis sat longe ab apice alæ remotis, in lineam undulatam connexis, fusco-fimbriatis; longitudinali 1:mo (inter costalem et 2:dum) simplici, tenui, ferrugineo. Stigma oblongum, cum costa sat arcte connatum, saturate fuscum, antice per nervulum connectentem terminatum. Nervi prætera fere ut in *L. ciliari* (64) directi, præter areolam apertam, nec occlusam. Nervus long. 4:tus pone transversorum seriem furcatus, ramis petiolo paullo longioribus. Halteres modice longi, pallide flavi. Pedes non multo longi, neque multo tenues, femoribus versus apicem robustioribus; toti nigri, nudi.

Obs. Forte *Eriopteræ*, non arcte limitato generi, cui habitu valde similis, associanda; sed propter alas nervosque tota nuda in genere *Limnobiæ* repono.

236. CYLINDROTOMA Macqv.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, angustum, glabriculum. Caput non magnum, subobpyriforme. Os modice productum. Antennæ longitudine circiter thoracis, porrectæ, deorsum arcuatæ, simplices, subfiliformes, pilosæ; 17-articulatæ, articulo 1:mo breviusculo, cyathiformi, nudo, 2:do subgloboso, nudo, reliquis oblongiusculis, subcylindricis. Palpi exserti, crassiusculi, cylindrici, incurvi, 4-articulati, articulo ultimo nonni-

hil longiori. Oculi laterales, rotundi, late remoti. Ocelli nulli. Thorax postice sutura transversa. Abdomen elongatum, basi valde angustum, pone medium sensim paullo latius, subdepressum; 8:annulatum. Alæ incumbentes, modice angustæ, immaculatæ, in specie typica nudæ, nervis 7 apicibus ad marginem interiorem descendentibus. Nervi transversi nonnihil pone medium alæ formant lineam valde flexuosam, areas 2 basales terminantem. Immediate pone hanc lineam adest areola discoidalis, valde oblonga, subpentagona; ex apice emittens nervos tres, quorum superior furcam sessilem (raro breviter petiolatam) format. Nervi longitudinales: 1 et 2 (a costa) valde approximati; 3:tius furcatus, ante seriem transversorum petiolo longitudine fere furcæ in medium costæ rectus descendit; 5:tus (mente Schummeli) validiusculus, apice distincte curvatus; 6:tus rectus; 7:mus (nostra mente 9:nus seu axillaris Macqv.) modice longus, lenissime flexuosus, apice curvatus; transversus ordinar. paullo pone basin, raro medio, areolæ insertus. (Meig. Dipt. 1. Tab. 5. f. 5.). Margo interior breviter ciliatus. Halteres nudi. Pedes longiusculi, graciles, subnudi, inermes, exceptis calcaribus exiguis in apice tibiarum. Coxæ non elongatæ. *Color* flavidus. *Motus* ut in *Limnobia. Habitatio* in graminosis et fruticibus. *Larva C. distinctissimæ*, viridis foliis Anemones nemorosæ vescitur, observante *Zeller*, teste *v. Bremi* in Isis 1846. p. 174. — Larva ejusdem speciei in foliis Stellariæ Nemorum degens, et hujus metamorphosis a D. *Boie* describitur in Kröjers Tidsskrift 1838. 2. 3. p. 234. n:o 1. — *Differentia sexus; mas:* ano clavato, forcipibus extensis, lateralibus latis, fornicatis, antennis thorace fere longioribus, articulis subcylindricis; *femina:* ano subtumido, crasse conico, lamellis lateralibus subfoliaceis breviter acutis, antennis thorace paullo brevioribus, articulis subrotundatis. *Typus* generis: *C. distinctissima.*

1 *distinctissima* Meig. ♂♀. 2 *macroptera* Macqv.? Stæg. (*Limnob. pilosa* Schumm.?) ♂♀.

1. *C. distinctissima:* pallide flava, opaca, antennarum flagello, palpis, frontis pectorisque maculis, thoracis vittis tribus, halterum clava apice, tarsisque totis, nigris; alis sordide hyalinis, immaculatis, nudis; ano maris obscuro. ♂♀. (Long. 4 fere 5 lin.).

Macqv. Buff. 1. 107. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 15 (ala), f. 16 (caput maris). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 37. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 1. *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 1. 131. 27. Tab. 5. f. 5 (ala). — et 6. p. 273. ♂♀. Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 159. 40. ♀. T. 3. f. 1 (ala). Zett. Ins. Lapp. 835. 13. ♂♀. *Tipula brevicornis* Zett. Ins. Lapp. 846. 25. ♀ (immerito ♂). var.

Hab. in graminosis, fruticibus, etc., per hortos, prata et silvas totius Scandinaviæ, vulgaris, mihi Jul. et Aug. præsertim obvia, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ex. grat. ad Lund, Tranås et Esperöd, frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mulfjellet et Skalstugan, copiose; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*, in Umensi ad novaculum Umenäs, ipse; in Norwegia ad Kälahög, Näs, Levanger et Alstahaug, abundanter, in Gamst-tind Nordlandiæ, parcius; in Daniæ Charlottenlund (in Rubo idæo) frequenter, D. *Stæger*. Larva foliis herbarum vescitur. (E Kilia a *Wiedemann*, e Neuenkirchen (20 Maj.) a D. *Dahlbom*, et e Glogavia a D. *Zeller*, specimina etiam obtinui).

♂♀. Stramineo-flava. Glabra. Antennæ nigræ, pilosulæ, articulis 2 basalibus fuscis l. flavis. Frons latissima, macula magna, nigra. Oculi parvi, rotundi, nigri, etiam in viva. Palpi apice nigricantes. Thorax parum elevatus, dorso vittis 3 approximatis atris, nitentibus, lateralibus antice abbreviatis.

Metathorax macula apicali majuscula, nigra. Pleuræ punctis 2, antico majusculo, et pectus macula ante coxas intermedias magna, nigris. Abdomen fusco-testaceum, interdum obscurius; ano in ♂ nigro, partibus interioribus ferrugineis; in ♀ rufescente. Alæ modice latæ, basi late angustatæ. Nervi distincti, brunnei; superior eorum trium, qui ex area excurrunt, furcatus, furca normaliter sessili, interdum petiolata; area intus acuta. Stigma a nervo costali separatum, parvum, oblongum, dilute fuscum. Halteres longi, albido-flavi, clava apice late nigra. Pedes modice longi, flavi, coxis pallidioribus, femorum tibiarumque apice fusco, tarsis nigris.

Var. b. ♀. areola incompleta, basi nempe aperta. *Tip. brevicornis* Zett. Ins. Lapp. 846. 25. In alpe Dowre Norwegiæ, Prof. *Boheman.*

2. *C. macroptera:* "cinereo-lutescens; capite cinereo; antennis longitudine capitis thoracisque, 17-articulatis, nigris, articulis 2 basalibus ferrugineis; thorace vittis 3 obscuris, intermedia gemina; abdomine fuscescente, piloso, ano ferrugineo; alis (in ♀ amplis) cinereo-flavescentibus, pilosis, stigmate parum distincto. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 3 lin.)." *Stæger.*

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 37. 2. ♂♀. — Macqv. Buff. 1. 108. 3: "Long. 3½ lin. Ferruginea. Frons cinerea. Antennæ fuscæ, 13-articulatæ, articulis 2 primis flavis. Thorax vittis 4 brunnescentibus. Abdomen villosum; oviductu feminæ sursum flexo. Alæ valde latæ, præsertim in femina". Tab. 2. f. 9. ♀. f. 10 caput. Vix cum specie Stægeri identica?? — An *Limnobia pilosa* Schumm. Dipt. Siles. p. 149. 34. ♂♀: "cinerea; abdomine fusco; alis cinereis, pilosis, stigmate parum distincto". Tab. 2. f. 7 (ala), hujus speciei varietas obscurior? sicut autumat Cel. *Stæger.*

Hab. in Dania, ubi unicus mas unicaque femina deprehensi fuerunt, mens. Aug. et Octob., teste D. *Stæger.* — Hæc species mihi ignota, nisi ad eandem referre vellem *Limnob. pilosam* sub n:o 62. p. 3886 a nobis descriptam, cujus vero larvam mycetophagam in Agarico degere observavit *Stannius;* quæ vivendi ratio ab ea pro *Cyl. distinctissima* nimis recedit.

Obs. Cylindr. nigriventris: "abdomine nigro. Long. $4\frac{9}{12}$—5 lin." Löw. Ent. Zeit. 1849, 11. p. 342. ♂., in Russia boreali et Sibiria lecta, intra Scandinaviam hactenus non observata, quantum noverim.

237. GLOCHINA Meig.

Corpus medium, elongatum, glabriculum, habitu *Limnobiæ.* Antennæ thorace plerumque paullo breviores, vel ejus longitudine, simplices, pubescentes; 14-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, reliqvis globosis. Palpi exserti, incurvi, 5-articulati, articulo 3:tio majori, dilatato. Setæ maxillares 2 longitudine proboscidis adsunt, observante *Macqvart.* Oculi distantes. Ocelli nulli. Thorax postice sutura transversa. Abdomen 8-annulatum. Alæ parallelæ, incumbentes, angustatæ, nervis ut in *Limnobia modesta* directis (conferantur Meig. Pars 1. Tab. 6. f. 5; et Pars 6. Tab. 65. f. 7.; atque Schumm. Tab. 1. f. 9.). Nervi nempe sex apicibus ad marginem interiorem descendunt. Areola discoidalis subquadrata ex apice emittit nervos tres simplices. Areæ basales duæ. Nervus transversus ordinarius basi areolæ inseritur; axillaris modice longus, subrectus. Stigma subquadratum. Halteres nudi. Pedes elongati, tenues. Coxæ non elongatæ. *Color* cinereus aut flavidus. *Motus, habitatio* et *differentia sexus Limnobiæ.*

1 *stigmatica* Meig. ♂♀. 2 *autumnalis* Stæg. (var. a. b. c. d.) ♂♀. 3 *frontalis* Stæg. ♂♀.

1. *Gl. stigmatica:* dilute cinerea, thoracis vitta fusca; antennis longitudine thoracis, totis fuscis, rostro testaceo; abdomine pallido; alis hyalinis, stigmate obscuro; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 281. in observatione. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 50. 1. ♀. — *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 6. 278. 77. ♂♀.

Hab. in Dania rarissime: ad Leersjön mens. Sept. femina in unico exemplo inventa, *Stæger.*

♂♀. Caput canum. Antennæ nigricantes. Palpi nigri. Rostrum testaceum, supra grisescens. Thorax cinerascens, dorso vitta obscura nitente et vestigio vittarum lateralium. Scutellum flavo-griseum. Pleuræ, metathorax et abdominis segmentum 1:mum, obscure cinerea. Abdomen pallide flavum, linea dorsali fusca. Anus in ♂ crassus, clavatus; in ♀ longiusculus, ferrugineus, parte exteriori fissa et interiori integra æque longis. Alæ hyalinæ, stigmate majusculo, quadrangulo, nigro. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes obscuri, coxis flavis, femorum basi indeterminate ferrugineo-flava.

2. *Gl. autumnalis:* flavo-ferruginea, thoracis vittis tribus nitidis fuscis; capite cinereo, antennis longitudine thoracis palpisque nigris, rostro flavo; alis flavido-hyalinis, stigmate testaceo; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice et tarsis obscuris. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 51. 2. ♂♀.

Hab. in Dania: mense Octob. copiose observata, teste D. *Stæger.* Mihi non rite cognita.

♂♀. "Ferruginea. Caput, antennæ et palpi ut in priori, sed rostrum totum flavum. Thorax vittis 3 nigro-fuscis, nitidis, ut in præcedente sitis. Anus in ♂ ferrugineus; oviductus in ♀ a prioris diversus in eo quod forcipis pars interior integra sit duplo longior parte exteriori fissa. Halteres pallidi, clava fuscescente. Alæ flavicanti-hyalinæ, stigmate magno, quadrato, testaceo. Pedes ut in diagnosi". Stæg. l. c., ubi etiam sequentes varietates referuntur:

Var. b. ♂♀. thoracis dorso cinerascente, vittis externis obsoletis.

Var. c. ♂♀. thoracis dorso cinereo, fusco-vittato; abdomine supra vitta fusca; stigmate alarum fuscano.

Var. d. ♂♀. ut in var. c., thoracis abdominisque dorso metathoraceque fuscis, pleuris cinereis; stigmate alarum obsoleto.

Obs. In Scania ad Lundam in horto proprio mense Octob 1850, deprehendi marem, *Limnob. modestæ* sat similem, sed ob àntennarum formam etc., forte rectius *Glochinæ* generi associandum. A *Gl. autumnali* Stæg. vero, cui proxime accedit, magnitudine nonnihil minori, alis pure hyalinis, nec flavido-hyalinis, stigmate fusco, nec testaceo, ut et pedibus nigris, coxis tantum flavis, et femoribus basi obscure ferrugineis, discedit. Verosimiliter tamen ut varietas *Gl. autumnalis* considerandus. (Cfr. observatio sub *Limnob. modesta* p. 3863 n:o 45).

3. *Gl. frontalis:* cinerea, frontis macula thoracisque vitta antica fuscis; pleuris, scutello ventreque fusco-ferrugineis; alis fusco-hyalinis, stigmate pallide fusco; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice et tarsis obscuris. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 52. 3. ♂♀.

Hab. cum præcedente iisdem locis et tempore, D. *Stæger.* A me neque inventa, neque cognita.

♂♀. "Prioris var. d. similis, sed mox dignoscitur per maculam

oblongiusculam fuscam in fronte, quæ apud priorem per omnes varietates cinerea unicolor deprehenditur. In thorace cinereo antice adest tantum unica vitta obscura. Abdomen supra obscurum, subtus sordide ferrugineum. Cauda maris: lamellis 2 latis, convexis (nec cylindricis), ungviculatim conniventibus; infra has organis duobus minoribus, atris, nigro-ciliatis. Alæ cinereo-hyalinæ, stigmate tenui (svagt), pallide fusco. Halteres et pedes ut in *Gl. autumnali.*" Stæg. l. c.

238. SYMPLECTA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, glabriculum. Antennæ thorace nonnihil breviores, tenuiusculæ, filiformes, pilosulæ, 16-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, reliquis globosis. Os non longe productum. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulo 1:mo brevissimo, reliquis subæqualibus. Oculi purpurei, supra conniventes, subtus subconnati. Ocelli nulli. Collum non longum. Thorax postice sutura transversa. Abdomen elongatum, lineare, 8-annulatum, cauda simpliciori, recurvata. Alæ incumbentes, modice angustæ, sex nervorum apicibus ad marginem interiorem descendentibus. Nervi apicales microscopice hirti; transversi mox pone medium alæ formant lineam flexuosam, areas 2 basales terminantem. Immediate pone hanc lineam adest areola oblonga, irregularis, intus acuta; ex apice emittens tres nervos simplices. Nervus transversus ordinarius paullo ante basin areolæ insertus, obliquus; nervus axillaris (seu 1:mus a margine interiori) valde flexuosus (nota characteristica). Vide *Meigen* 1. Tab. 5. f. 7. Halteres nudi. Pedes longiusculi, tenues, subnudi, omnino inermes, tibiis apice non calcaratis. Coxæ non elongatæ. *Color* cinerascens, interdum flavidus. *Motus* et *habitatio* ut in *Limnobia*. *Differentia sexus; mas:* ano forcipibus 2, non tectis, modice longis, suberectis, hirtulis, apice incurvo conniventibus; *femina:* ano basi cras-

siusculo, stylis 2 modice longis, ensiformibus, nudis, nitidis, recurvis. *Typus* generis: *S. punctipennis.*

1 *punctipennis* Meig. ♂♀. 2 *stictica* Meig. ♂♀. 3 *similis* Schumm. ♂♀.

1. S. *punctipennis:* cinerascens, opaca, thoracis lineis tribus, antennis, palpis abdomineque fuscis; ano rufescente; alis albido-hyalinis, nervis transversis punctisque aliquot ad costam brunneis; nervulo transverso connectente ante apicem alæ præsente; pedibus fuscescentibus, femorum basi indeterminate flavicantibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 283. 1. Zett. Ins. Lapp. 838. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 109. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 11 (sub nomine *Helobia punctipennis):* ♀; f. 12: caput ex parte. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. 39. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austriæ 1848. p. 9. 1. *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 1. 147. 56. Tab. 5. f. 2: caput; fig. 3: os; f. 7: ala. Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 157. 39. ♂♀. Tab. 2. f. 10: ala. — *Helobia* eadem Saint-Farg. Encycl. Tab. 10, 585.

Hab. in graminosis et fruticibus, libenter locis paludosis, sed etiam aridis, per hortos, prata, arva, litora et silvas Scandinaviæ meridionalis, vulgaris, mediæ passim, borealis rarius, tempore præsertim vernali et autumnali, sed quoque media æstate mihi obvia; scilicet in Scania ubique et passim copiose; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena et Fylla; in Gottlandia ad Lummelund, Kinnare, Westös in Hall, Nähr, Rohne, Fardhem (27 Jun. *Dahlbom)*, Wamlingbo, etc., non parce; in Norwegia: ad Töien prope Christianiam, D. *Siebke*, etiam ad Dowre, Alstahaug, etc.; in Dania non infre-

quens, D. *Stæger*. (In insula Helgoland a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Per nervulum transversum ad apicem alæ non longe a costa, a seqventibus facile et statim dignota. Griseo-cinerea. Caput cinereum. Antennæ et palpi fusca l. nigra. Oculi in viva obscure violacei, in mortua nigri. Thoracis lineæ dorsales 3 fuscæ, laterales antice abbreviatæ. Abdomen griseo-fuscum, ano luteo (♂); l. fusco-ferrugineo (♀); incisuris dorsalibus in ♀ anguste albidis. Alarum nervi distincti, brunnei, transversi perspicue infuscati, horum etiam duo connectentes, unus ad basin, alter in medio rami superioris nervi 3:tii furcati, adsunt. Costa punctis 2 l. 3 fuscis notatur. Nervi longitudinales recti, præter axillarem modice longum, valde flexuosum; apicales pone seriem transversorum sat elongati. Halteres albido-flavi, clava fusca. Pedes plus minusve saturate fusci, femoribus basi plus minus late flavidis l. flavo-ferrugineis.

Variat ♀ rarius alis impunctatis; var. etiam nervis transversis late infuscatis (in Norwegia ad Alstahaug); variat denique coxis flavescentibus. Nervus axillaris apice sæpe puncto fusco notatus.

2. S. *stictica:* flavescens, opaca, thoracis lineis tribus, antennarum articulis 2 primis, palpis abdomineque fuscis; ano rufescente; alis hyalinis, nervis transversis punctisque aliquot ad costam brunneis; nervulo transverso connectente ante apicem alæ nullo; pedibus fuscescentibus, femoribus flavis, annulo mox ante apicem lato, obscuro. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 283. 2. Macqv. Buff. 1. 109. 2. Stæg. Dipl. Dan. 1840 p. 39. 2. ♂♀. Rossi, Dipl. Austr. 1848. 9. 2. — *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 1. 148. 57. ♂♀. Schumm. Dipl. Siles. 1829. p. 155. 37. ♂. Tab. 2. f. 9: ala.

Hab. in nemoribus, pratis et graminosis Scandinaviæ meridionalis et mediæ, Aug. Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, etc., utrumque sexum inveni; in Smolandia ad prædium Berga d. 3 Aug. 1850, D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Wadstena in palude Fylla marem et feminam quoque deprehendi; in Daniæ pratis ad Leersjön Aug., rarius, D. *Stæger*, qui etiam specimina mihi misit. (Ad Academiam agrariam Eldena prope Gryphiam Sept. 1842 femina a D. *Dahlbom* capta).

♂♀. A priori, cui similis, differt: colore corporis pallidiore, femorum summo apice flavo, et præcipue defectu nervuli transversi, qui ramos nervi furcati anterioris in ala *S. punctipennis* conectit. Caput flavidum, postice canum. Antennæ testaceæ, articulis 2 basalibus nigricantibus. Palpi nigri. Abdomen fuscum, margine laterali anguste pallido. Incisuræ ventrales pallidæ. Alarum nervi modice tenues, transversi crassiores. Halteres albidi, clava fusca. Pedes fuscescentes. Coxæ et femora flava, hæc ante apicem annulo modice lato obscuro. Sed ipse femorum apex flavus. Tibiæ basi sæpe testaceæ. — Cetera ut in antecedente. — Variat alarum punctis costalibus vix ullis.

3. *S. similis:* dilute fusca, opaca, thoracis lineis tribus, antennis totis, palpis abdomineque obscurioribus; ano rufescente; alis hyalinis, nervis transversis punctisque aliquot ad costam brunneis; nervulo transverso connectente ante apicem alæ nullo; pedibus fuscescentibus femoribus testaceis, annulo terminali usque ad summum apicem extenso, obscuro. ♂♀ (Long. $2\frac{1}{3}$– $2\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 39. 3. ♂♀. *Limnobia* eadem Schumm. Dipt. Siles. p. 156. 38. ♂♀. Tab. 2. f. 9 (ala). — *Sympl. stictica* Zett. Ins. Lapp. 839. 2. ♀.

Hab. in Scandinaviæ litoribus marinis, minus frequens; scilicet in Gottlandiæ pratis mari alluentibus ad Östergarn, Storugns, Kappelshamn etc., 16—27 Juli 1841 utrumque sexum inveni; in alpe Dowre Norwegiæ ♀, D. *Boheman*; in Dania tantum in litore Amager, ibi vero initio Septembris sat copiose a D. *Stæger* lecta.

♂♀. Præcedenti iterum simillima; sed paullo fuscior, et antennis totis obscuris, ac præsertim femoribus toto apice obscure fusco, nec annulo apicali per annulum tenuem flavum terminato, ornatis, certe distincta. Nec locus natalis idem. Ceteras vero notas ambabus communes repetere superfluum duco. — Variat, sicut præcedentes, raro alis parum pictis.

239. TIPULA Linn.

Corpus maximum aut magnum, raro mediæ magnitudinis; elongatum, cylindricum, parum pubescens, vix pilosum, fere semper opacum. Caput proportione corporis parvum, rotundatum, postice leniter productum. Os sat longe rostratum, rostro subcylindrico, apice superne acuto. Antennæ capite duplo aut triplo longiores, thorace vero plerumque paullo breviores, porrectæ, simplices, subfiliformes, deorsum arcuatæ, 13-articulatæ, articulo 1:mo longiusculo, cylindrico, 2:do parvo, cyathiformi, reliquis cylindraceis, aut subcylindraceis, ultimo parvo, omnibus tenuissime subpuberulis, articulis flagelli basi verticillatim pilosis. Palpi exserti, incurvi, subcylindrici, 4-articulati, articulis 3 basalibus æqualibus, pilosulis, ultimo elongato, pubescente. Oculi laterales, rotundati, modice distantes, in viva virescentes. Frons plana. Ocelli nulli. Collare breve, elevatum. Thorax posterius sutura transversa, angulata. Scutellum parvum. Metathorax paullo convexus. Abdomen elongatum, cylindricum, 8-annulatum. Alæ lanceo-

latæ, apice rotundatæ, basi angustæ; divaricatæ, nudæ, nervis septem ad marginem interiorem apicibus descendentibus, quorum axillaris sæpe vix ad tertiam marginis partem extenditur, subrectus. Nervi transversi pone medium alæ formant lineam arcuatam, areas 2 basales elongatas formantem. Immediate pone hanc lineam adest areola discoidalis (angulatim subovata), ex apice emittens nervos duos, quorum superior furcatus (in *T. nigra* n:o 51 variat furca jam subsessilis, jam plus minus breviter petiolata). Margo interior parum ciliatus. Halteres nudi. Pedes longissimi, sæpissime graciles, femoribus et tibiis subæque longis; toti nudiusculi l. breviter tantum puberuli, inermes præter calcaria duo in apice tibiarum brevia. Coxæ non elongatæ. Ungviculi minuti. *Color* cinerascens, luridus, raro nigricans, pictura alarum interdum insigni, et thoracis dorso vittis 3 paullo obscurioribus sæpe obsoletis plerumque notato. *Motus:* incessu haud agilis, laborans, at volatus velox, brevis, vento secundo facillimus. *Habitatio* in graminosis, fruticibus, sæpibus vivis, raro in floribus; per hortos, prata, litora et silvas, libenter locis uliginosis. *Larvæ* cylindricæ, capite corneo anoque sexradiato in terra humida, radicibus vegetabilium, ligno putrido, sub foliis deciduis putrescentibus, etc., degunt. *Pupæ* elongatæ, sæpe spinulosæ. *Differentia sexus: mas:* ano obtuso, subclavato, varie appendiculato, a *femina:* ano acuminato, bivaginato, mox dignoscitur. — Monographiam hujus generis elegantem, species silesiacas complectentem, et quoque partes sexuales multis figuris illustratas exhibentem, dedit D. *Schummel* (Vratislaviæ 1833). Metamorphosin variarum specierum descripserunt figurisque illustraverunt *Reaumur* (Ins. 5.) et *Degeer* (Ins. 6). — *Typi* generis: *L. lutescens* (n:o 2) et *oleracea* (n:o 33). (Meig. 1. Tab. 6. f. 8. — Schumm. Tab. 1. f. 1. — Macqr. Dipt. d. Nord etc. Tab. 3. f. 2.).

Divis. 1. Alæ marmoratæ aut fusco-alboque variegatæ, interdum leniter tantum testaceo-inductæ l. submaculatæ. Stigma fuscum.

1 *gigantea* Schrank *(Tip. sinuata* Fabr.) ♂♀. 2 *lutescens* Fabr. *(T. fulvipennis* Deg. ♀) ♂♀. 3 *vittata* Meig. *(Tip. rivosa* Fabr., museo Sehestedto-Lundiano) ♂♀. 4 *scripta* Meig. *(Tip. hortorum* Fabr., mus. Sehest.) ♂♀. 5 *nubeculosa* Meig. (Tip. guttulifera Zett. Ins. Lapp. ♂ var. — *T. hortorum* Fabr. Antl. — vix Linn.) ♂♀. 6 *hortensis* Meig. ♂♀. 7 *hortulana* Meig. ♂♀. 8 *flavirostris* Stæg. ♀. 9 *Speculum* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 10 *Truncorum* Meig. (an *Tip. 7-lineata* Macqv.?) ♂♀. 11 *varipennis* Hffgg. *(Tip. simplicicornis* Zett. Ins. Lapp. — *Tip. rivosa* mus. Fabr., teste *Meigen)* ♂♀. 12 *pictipennis* Stæg. ♀. 13 *micans* Zett. n. sp. ♀. 14 *marmorata* Meig. ♂♀. 15 *signata* Stæg. *(Tip. irrorata* Macqv.?) ♂♀. 16 *crassicornis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 17 *nodulicornis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 18 *octo-lineata* Zett. *(T. septemlineata* Macqv.?) ♂♀. 19 *nigricornis* Macqv.? ♂. 20 *obsoleta* Meig. ♂(♀). 21 *subunilineata* Zett. Ins. Lapp. ♂. 22 *vernalis* Meig. ♂♀. 23 *pabulina* Meig. ♂(♀). 24 *longicornis* Schumm. *(T. longicornis* Zett. Ins. Lapp. non eadem) ♂♀. 25 *Ceres* Fries ♂.

Divis. 2. Alæ, præter stigma plus minus infuscatum et plerumque maculam l. lunulam albam juxta stigma, immaculatæ. Costa interdum fusca vel testacea.

† corpore ex maxima parte pallescente (in *T. nodicorni* n:o 30, thorace læte cinereo).

26 *ochracea* Meig. *(Tip. lunata* Fabr. ♂.) ♂♀. 27 *fascipennis* Meig. ♂♀. 28 *lætabilis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 29 *limbata* Zett. Ins. Lapp. ♂. 30 *nodicornis* Hffgg. Meig. *(Tip. juncea* Hffgg. Meig. ♀.) ♂♀.

†† corpore cinerascente: capite et thorace sæpe totis cinereis, abdomine interdum lurido aut testaceo (*T. nodicornis* thorace pallide cinerascente sub n:o 30 quærenda).

31 *Selene* Meig. ♂♀. 32 *flavo-lineata* Meig. ♂♀. 33 *oleracea* Linn. ♂♀. 34 *paludosa* Meig. ♂♀. 35 *fusca* Stæg. (*T. fimbriata* Meig.?) ♂♀. 36 *marginata* Meig. ♂♀. 37 *lateralis* Meig. ♂♀. 38 *lunata* Linn.? (*Tip. lunata* Fabr. alia videtur) ♂♀. 39 *Diana* Meig. (*T. turcica* Fabr.) ♂♀. 40 *macrocera* Zett. (*Tip. longicornis* Ins. Lapp.) ♂♀. 41 *serricornis* Zett. Ins. Lapp. (*T. serricornis* Macqv. Dipt. Exot. Suppl. alia est) ♂. 42 *subserricornis* Zett. n. sp. ♂♀. 43 *subnodicornis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 44 *grisescens* Zett. n. sp. ♂♀. 45 *luteipennis* Meig. ♂♀. 46 *lineata* Stæg. ♀ (*T. cervina* Meig.? ♂. — *T. gracilis* Fries) ♂♀. 47 *humilis* Stæg. ♂♀. 48 *pruinosa* Meig. ♂♀. 49 *quadri-vittata* Stæg. ♂♀. 50 *pagana* Meig. (*T. luridiventris* Zett. Ins. Lapp.) ♂. 51 *nigra* Linn. (*Tip. verticillata* Fabr.) ♂♀.

Tipula.

Divis. 1. Alæ marmoratæ aut fusco-alboque variegatæ, interdum leniter tantum testaceo-inductæ l. submaculatæ. Stigma fuscum.

1. *T. gigantea:* cinerea, capite, antennis, collari et scutello luridis; alis albo-hyalinis, maculis ad costam tribus magnis subtrigonis saturate fuscis, totidemque ad marginem interiorem oblongis dilutioribus, puncto in disco alæ obscuro; pedibus testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigro-fusco. ♂♀. (Long. ♂ 8—10, ♀ 10—12 lin.).

Schrank Ins. Austr. p. 418. 845. Schæff. Icon. Tab. 15. f. 3. 4. Latr. Gen. 4. 256. Meig. Dipt. Europ. 1. 170. 1. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. 1833. 20. 2. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 81. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 3. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 456. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 1. — *Tipula sinuata* Fabr. Ent. Syst. 4. 234. 3. Antl. 23. 2.

Hab. in fruticibus, præsertim ad rivulos umbrosos, per hortos, silvas frondosas et prata Scandinaviæ meridionalis et mediæ, mihi versus finem Junii et toto Julio passim obvia; scilicet in Scania ad Abusa, Tranås, Esperöd, etc., sat frequens; in Blekingia, D. *von Borck;* in Smolandia ad Berga Calmariæ, 1812; in Ölandia; in Gottlandia ex. gr. ad Fardhem, non parce; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, D. Prof. *Wahlberg;* in Daniæ silvis locis paludosis, Aug. Sept., D. *Stæger;* in Norwegia ad Töien prope Christianiam, 11 Jun., D. *Siebke.*

♂♀. Inter maximas nostratum, per picturam alarum ab aliis facile dignota. Caput cum rostro griseum, sæpe lutescens. Antennæ capite saltem duplo longiores, cylindricæ, pilosæ, ferrugineæ, articulo 1:mo superne versus apicem fusco. Palpi fusco-ferruginei. Thorax læte glauco-cinereus, vittis dorsalibus saturatioribus, margine laterali luteo. Scutellum apice testaceum. Metathorax testaceus, cano-micans. Abdomen cinereum, interdum lutescens, incisuris plerumque dilutioribus, linea laterali interrupta fusca obsoleta. Ad basin singuli segmenti utrinque strigula transversa impressa fusca. Anus in ♂ valvulis externis lateralibus latis, cinereis, nudis, forcipibus duabus internis fusco-ferrugineis, apice ustulatis, intus pilosis; in ♀ acuminatus, rectus, fusco-ferrugineus, nudus. Alæ sat magnæ, albo-hyalinæ, costa maculis 3 magnis, saturate fuscis, media trigona, et ad marginem interiorem etiam

maculis 3 oblongis, dilutius fuscis; vel, si mavis, alæ sunt fuscæ, vitta media alba utrinque profunde bisinuata. Mox ante medium alæ inter nervos long. 2 et 3 (a margine interiori numeratos), adest punctum fuscum. Halteres testacei, clava fusca. Pedes ut in diagnosi. Coxæ cinereæ.

2. T. *lutescens:* lutea, thoracis dorso cinereo vittis 3 brunneis, media gemina; alis in ♂ fuscescentibus, in ♀ pallide testaceis, in utroque sexu stigmate punctoque in disco obscuris; pedibus flavo-testaceis, articulis apice obscure fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 8—10, ♀ 10—12 lin.).

Fabr. Antl. 24. 6. ♀. Meig. Dipt. 1. 172. 4. ♀. Macqv. Dipt. d. Nord. 1. 125. 3. ♀. Schumm. Tip. 18. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 13. 14. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 8. 3. *Tip. fulvipennis* Deg. Ins. 6. 343. 4. ♀.

Hab. in fruticibus ad aqvam in silvis et frondosis et acerosis, nec non in pratis, per Scandinaviam meridionalem et mediam, a fine Julii usque ad initium Septembris, passim; scilicet in Scania ad Thomarp, Tranås, Esperöd, etc., frequens; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg;* in Daniæ silvis sat vulgaris, D. *Stæger*, a quo etiam specimina utriusque sexus obtinui.

♂♀. Priori magnitudine haud cedit. Per alas imprimis in ♀ testaceo-subnebulosas mox dignoscenda. Caput, antennæ (ut in priori constructæ) obscure pilosæ, rostrum, palpi et collare testaceo-ferruginea. Frons leniter cinerascenti-micans. Oculi in viva ænescentes (♂), aut virescentes (♀). Stethidium rufo-cinerascens, dorso cano, vittis 3 obscurioribus, media gemina, lateralibus abbreviatis, puncto ante humeros impresso, fusco, margine laterali ferrugineo. Scutellum subte-

staceum. Metathorax rufo-cinerascens. Abdomen lutescens, linea laterali fusca. Anus ut in præcedente. Alæ fuscanæ (♂), aut flavescentes (♀), macula stigmaticali subtrigona fusca et puncto minuto ante medium alæ obscuro, ut in præcedente. In speciminibus bene conservatis macula transversa alba fasciam inchoans immediate ante stigma sita cernitur. Halteres fusci, clava obscuriori, basi pallida. Pedes flavo-testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro.

Obs. Mas hujus speciei in museo Sehestedto-Lundiano ut "*Tip. lunatæ* varietas" asservatur, testante *Stæger.*

3. *T. vittata:* cinerea, thoracis vittis tribus dorsalibus antice abbreviatis, abdominisque utrinque unica laterali interrupta, obscuris; antennis palpisque nigricantibus, illarum articulis 2 primis ferrugineis; alis fuscanis, medio vitta longitudinali interrupta, alba; pedibus fuscis, femoribus basi ferruginantibus. ♂♀. (Long. 7—8 lin.).

Meig. Dipt. 1. 171. 2. ♀. Macqv. Buff. 1. 81. 3. ♂. Schumm. Tipul. 22. 3? ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 3. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 8. 2.

Hab. in Scandinavia meridionali et media mense Majo; in Uplandia ad Holmiam, teste Prof. *Wahlberg*; mihi in Svecia non obvia; in Dania in Charlottenlund et Ordrupmose quotannis copiose lecta a D. *Stæger*, qui etiam exempla in utroque sexu mecum communicavit.

♂♀. Prioribus paullo minor et obscurior, alarum vitta media alba et abdominis utrinque vitta laterali interrupta nigricante, satis distincta. Læte cinerea. Antennæ capite cum rostro paullo longiores, validiusculæ, subcylindricæ, nigræ, articulis 2 primis rufescentibus, reliquis basi verticillatim pilosis. Palpi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3 latæ, fuscæ, antice abbreviatæ. Scutellum fusco-testaceum. Abdominis vitta

lateralis obscura in ♀ præsertim conspicua. Anus fere ut in prioribus constructus, in ♂ cinereus, partibus interioribus ferruginantibus; in ♀ nitidus, basi obscurus, apice ferrugineus. Alæ angustatæ, fuscanæ, medio vitta longitudinali inæquali interrupta, mox ante stigma obscurum in maculam transversam paullo dilatata, tota albo-hyalina. Nervi a basi ad transversorum primam (basalem) seriem subferruginei, reliqui plus minus obscuri. Punctum fuscum in disco nullum. Halteres flavidi, clava obscura. Pedes obscure fusci, coxarum articulo 1:mo cinereo, articulo 2:do femorumque basi indeterminate flavidis. — Var. tibiis basi etiam testaceis.

Obs. Asseverante D. *Stæger* hæc species in museo Sehestedto-Lundiano Hafniæ sub nomine: *Tipula rivosa* (Fabr.), exstat.

4. *T. scripta:* lurida, thorace pallide cinerascente, vittis dorsalibus 3 obscurioribus, media medio sat late divisa; antennis ferrugineis, articulis 3 primis immaculatis, reliquis fusco-annulatis; palpis obscuris, basi rufis; alis albo-fusco-que marmoratis, stigmate mediocri punctisque 2 juxta costam minutis obscurioribus; pedibus ferrugineo-testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro; stylis analibus in ♀ apice recurvis, serratis. ♂♀. (Long. ♂ 6—6½, ♀ 7—8 lin.).

Meig. Dipt. 6. 286. 45. ♂♀. Schumm. Tipul. 47. 5. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 3. 3. ♂♀. *Tip. hortorum* Fabr., Mus. Sehestedto-Lundianum (secundum *Stæger.*).

Hab. in silvis et pratis Jun. Aug. Septemb., passim; scilicet in Scania ad Tranås (5—10 Sept.) frequens, Esperöd etc.; in Ostrogothia ad Gusum et in Gottlandia, Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Skalstugan d. 29 Jun.; in Dania sat vulgaris, D. *Stæger*, qui etiam specimina mihi misit.

♂♀. Antennarum flagellum fere totum fusco-annulatum, thora-

cis vitta dorsali media medio divisa, alæ marmoratæ et punctis 2 parvis stigmateque fuscis notatæ, speciem præcipue designant. Caput cum rostro ochraceum, fronte modice lata plerumque leniter cinereo-micante. Antennæ capite cum rostro nonnihil longiores, subfiliformes, pilosæ, articulis 2—3 (in ♂), vel 4—5 primis (in ♀) immaculatis, reliquis basi fuscis, ultimis plerumque totis obscuris. Palpi obscuri, basi (articulo saltem 1:mo) rufa. Oculi in viva ænei. Collum flavum. Collare rufo-cinereum. Stethidium rufescenti-cinerascens, thoracis dorso vittis 3 saturatioribus, fusco-marginatis, media usque ad collare extensa, lateralibus antice abbreviatis; in ♀ perspicuis, in ♂ minus distinctis. Punctum humerale impressum nigrum. Vitta lateralis pallida. Scutellum apice testaceum. Metathorax cano-micans. Abdomen luridum, lineis 3 fuscis, media præsertim in ♂ plerumque obsoleta, parum conspicua. Segmenta ultima in ♂ fusca. Anus in ♂ parvus, fuscus, partibus interioribus rufis; in ♀ ferrugineus, nitidus, stylis 2 subhiantibus (sed post mortem non divaricatis), sat longis validiusculis ensiformibus, apice paullo reflexis, latere inferiori a medio ad apicem serrulatis. Alæ albo-diluteque fusco-marmoratæ, maculis nempe albo-hyalinis parvis in regione stigmatis, in disco et 2 ad medium marginis interioris distinctioribus; stigmate mediocri fusco, et punctis 2 costalibus parvis, uno ad originem nervi long. 3:tii, et altero ad nervos transversos basales, quoque magis perspicuis. Nervi fusci, ante seriem transversorum basalium pallidi. Halteres flavi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi. Coxæ rufæ, articulo 1:mo cinereo-micante.

Var. b. ♀. collari abdomineque griseo-cinereis, hujus incisuris dorsalibus luridis, ad Töien Norwegiæ Jun. 1845 a D. *Siebke* capta.

5. *T. nubeculosa:* lurida, thorace pallide cinerascente, vittis dorsalibus 3 obscurioribus, media per lineam integram cineream divisa; antennis ferrugineis, ar-

ticulis 3 (♂), aut 5—7 (♀), immaculatis, sequentibus sordidis basi nigris, apicalibus nigricantibus; palpis obscuris, basi rufis; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate mediocri punctisque 2 juxta costam minutis obscurioribus; pedibus ferrugineo-testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro; stylis analibus in ♀ apice recurvis, serrulatis, post mortem divaricatis. ♂♀. (Long. ♂ 6—6½, ♀ 7—8 lin.).

Meig. Dipt. 1. 174. 7. ♂♀. Schumm. Tipul. p. 44. 14. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 84. 14. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 5. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 839. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 12. *Tip. guttulifera* Zett. Ins. Lapp. 840. 4. ♂. hujus variet. *Tip. hortorum* Fabr. Antl. 24. 4 (exclus. forte Linn.). — Deg. Ins. 6. 344. 6. ♀.

Hab. in pratis humidis Majo, Junio, Julio, passim; scilicet in Scania ad Esperöd; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia, Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Skalstugan; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, in alpibus usque ad summa cacumina versus limitem nivalem adscendens, Prof. *Boheman;* in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi, ad Torneåträsk et in alpium jugo; in Norwegia ad Trondhjem, Aug. 1844, D. *Siebke;* in Dania in Charlottenlund etc., D. D. *Stæger* et *Drewsen*, rarius. Larvæ sub foliis deciduis putrescentibus degere dicuntur.

♂♀. Priori proxima, valde similis et vix differt nisi thoracis vitta media per totam longitudinem anguste et paralleliter divisa (nec apicibus connexa), antennis basi paullo latius ferrugineis, et in ♀ forcipibus analibus post mortem divergentibus. — Alæ albo-fuscoque marmoratæ. Macula pone stigma sublunata albo-hyalina. Apex alarum in ♂ fuscanus.

6. *T. hortensis:* lurida, thorace pallide cinerascen-

te, vittis dorsalibus 3 obscurioribus, media per lineam integram cineream divisa; antennis obscuris, articulis 2 basalibus ferrugineis; palpis luteis; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate mediocri, puncto ad medium costæ minuto, nervisque transversis basalibus, saturatius fuscis, macula sublunata pone stigma albo-hyalina distinctiori; abdominis vitta dorsali fusca; pedibus ferrugineo-testaceis, femorum et tibiarum apice tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. $6\frac{1}{2}$—8 lin.)

Meig. Dipt. 1. 178. 12. ♂♀. Schumm. Tipul. 27. 6. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 84. 13. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 6. 5. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 11.

Hab. in paludosis, Jun. Jul. passim; scilicet in Scania ad Esperöd; in Daniæ paludibus sylvaticis non raro, multoties in copula capta, D. *Stæger*, qui plura specimina feminea mecum communicavit; mas mihi non obvius, sed ad Töien Norwegiæ a D. *Siebke* lectus et missus. Larvæ in ligno putrescente Salicis vivunt.

♂♀. Per palpos lutescentes, etc. ab affinibus dignota. Ramo superiori nervi furcati pone stigma integro (nec abbreviato) a sequente mox differt. — Lurida. Frons latiuscula, cinerascens. Antennæ simplices, fuscæ, pilosæ, articulis 2 l. 3 primis ferrugineis. Palpi testacei l. lutei. Thoracis dorsum cinereum, vittis 4 fuscis, mediis approximatis integris, lateralibus antice abbreviatis. Pleuræ, scutellum et metathorax læte cinerascentia. Abdomen vitta dorsali fusca in ♀ saltem distincta; posterius cinerascens. Anus in ♂ fuscus; in ♀ nitidus, basi niger, stylis 2 elongatis, subulatis, rectis, ferrugineis. Alæ marmoratæ, stigmate, puncto paullo pone medium costæ et ad basin nervulis transversis fuscis, magis conspicuis. Macula alba pone stigma etiam sat distincta. Apex alæ fuscus. Halteres flavi, clava fusca. Pedes flavescentes, femo-

rum tibiarumque apice, et tarsis plerumque fere totis, obscure fuscis. Coxarum articulus 1:mus cinereo-micans. Tibiæ tarsis nonnihil breviores.

7. *T. hortulana:* pallide cinerascens, thoracis vittis dorsalibus 3 obscurioribus, media per lineam integram cineream divisa; antennis obscuris, articulis 2 l. 3 basalibus ferrugineis; palpis obscuris, basi rufis; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate mediocri saturatius fusco, nervis transversis basalibus luteis, macula sublunata pone stigma albida obsoleta, ramulo superiori nervi furcati pone stigma abbreviato; abdomine lurido, interdum vitta dorsali fusca; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ $6\frac{1}{2}$, ♀ $7\frac{1}{2}$—8 lin.).

Meig. Dipt. 1. 177. 11. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 83. 10. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 6. 6. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 5.

Hab. in Scandinavia meridionali passim, media et boreali rarius, Jun. Aug. Sept. obvia; scilicet in Scania ad Lund etc., haud parce; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Lapponia Lulensi (specimen masculum, rostro lutescente, et abdomine obscuriori) 1843, D. *Andersson* (*); in Dania ex. gr. in Charlottenlund, medio mensis Junii, copiose in copula, D. *Stæger*, a quo etiam exempla utriusque sexus obtinui.

♂♀. Ramulo superiori nervi furcati pone stigma abbreviato, capite cinerascente, nec non nervulis transversis ad basin alæ subferrugineis, nec obscuris, ab aliis affinibus mox dignosci-

---

*) exemplum hoc boreale *Tip. luridirostri* Schumm. Tipul. 1833, p. 30. n:o 7. non absimile videtur.

tur. Priori proxima. ***Mas:*** capite cum rostri superno cinereis, parce pilosis. Antennæ longitudine fere thoracis, cylindricæ, articulis plerumque 3 primis flavis, reliquis nigris, basi verticillatim pilosis. Palpi nigri, articulo 1:mo rufescente. Stethidium læte cinereum, thoracis dorso vittis 4 fuscis, mediis approximatis, lateralibus antice abbreviatis, puncto ante humeros impresso nigro; superne versus latera utrinque serie pilorum albidorum; ab humeris l. collari ad radicem alarum vitta pallescente. Abdomen luridum, vestigio vittæ lateralis fuscæ, postice fuscum, ano obscuro, partibus interioribus ferrugineis. Alæ marmoratæ, basi et nervis transversis basalibus luteo-flavis. Nervus furcatus anticus incompletus, ramulo nempe superiori mox pone stigma abrupto, nec ad costam extenso, (nota singularis). Nervi reliqvi fusci. Halteres flavidi, clava fusca. Coxarum articulus 1:mus cinereus. Reliqua ut in diagnosi vel in præcedente.

Femina, similis mari, sed differt: antennis paullo brevioribus et tenuioribus, abdominis cinerei vitta dorsali fusca plerumque distincta, incisuris albidis, ano nitido, basi fusco, stylis 2 superioribus longiusculis rectis valde subulatis, post mortem haud patentibus ut et denique alis in fundo magis albicantibus.

Obs. ***Tip. hortorum*** Linn., quæ in Fauna Svecica n:o 1741 ut in Svecia "ubique communis" refertur, forte sub quadam harum trium proxime præcedentium latet. De cetero mihi non rite cognita.

8. ***T. flavirostris:*** thorace cano, vittis dorsalibus 4 angustis, fuscis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 3 basalibus, et horum articulo 1:mo, pallide flavis; rostro abdomineque luteis, hoc obscure trilineato; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate saturatius fusco; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris. ♂(♀?). (Long. 5 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 8. 7. ♂(♀?).

Hab. in Dania, D. *Stæger:* mas in Charlottenlund pluries captus; femina in unico individuo in Jerup Mose ad Frederikshavn a D. *Schödte* inventa. — Speciem hanc non vidi.

"♂. Similis *T. hortulanæ*, sed colore dilutior et magnitudine minor. Rostrum totum flavum. Palpi et antennæ nigra, illorum articulo 1:mo flavescente, harum articulis 3 basalibus pallide flavis. Caput et thorax læte cinerea, fronte linea longitudinali obscura, dorso (thoracis) lineis 4 angustis, obscuris, subobsoletis; pone suturam macula gemina fusca utrinque. Pleuræ antice, et postice ad radicem alarum, flavæ, qui color fere ad scutellum extenditur. Metathorax griseus. Abdomen pallide ochraceum, linea dorsali angusta nigricante, et alia, obsoletiori, utrinque; in ventre quoque vestigio lineæ 4:tæ. Segmentum ultimum lateribus lævibus obliquis, margine posteriori æquali, brevi. Alæ ut in ♂ *T. hortulanæ*, sed color in fundo obscurior et maculæ albæ evidentiores; præterea lunula l. fascia alba ante apicem alæ per cellulam (aream) posteriorem 4:tam fere ad marginem interiorem extenditur; macula alba in cellula axillari est magis conspicua, et ad marginem interiorem, in eadem cellula, punctum album observatur. Ramus anterior furcæ nervi marginalis (ad costam) integer, sed brevis et pallidus. Halteres et pedes ut in *T. hortulana*."

"♀, quæ hujus videtur, mari descripto exacte similis, et differt tantum: rostro supra, ut et maculis lateralibus pleurarum cinerascenti-flavis; abdomine flavo-griseo, lineis dorsali et lateralibus nigris perspicuis, segmentis 2 primis ferrugineis; segmento anali fusco; forcipe elongata, ferruginea. Præter maculam albam ad marginem posteriorem alæ, in cellula axillari, observatur adhuc punctum album in nervo longitudinali 4:to ubi hic excurrit." Stæg. l. c.

9. *T. Speculum:* læte cinerea, thoracis vittis dorsalibus subtribus cinereis, brunneo-marginatis, media sub-

gemina seu anguste divisa; antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 basalibus ferrugineis; abdomine lurido; alis albo-fuscoque marmoratis, macula centrali alba distinsta, stigmate saturate fusco; pedibus fuscis, femorum basi late ferrugineo-testaceis. ♂♀. (Long. ♂ 6¼, ♀ fere 8 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 840. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi valde rara; scilicet in Lapponia Frederica d. 30 Jul. 1832 feminam, et in monte subalpino Stöttingsfjellet die sequente marem inveni; in alpe insigni Kälahög, in jugo alpino Norwegiæ, specimen femineum d. 22 Jul. 1840 usque in regionem nivalem adscendens, quoque legit D. *Dahlbom.*

♂♀. Per maculam subquadratam albam conspicuam in medio alæ, ab aliis facile dignota. *T. nubeculosæ* proxima. *A. T. scripta* n:o 4, cui etiam similis, antennarum colore differt. Antennæ in ♂ longitudine fere thoracis, articulis basi nodosis, pilosis; in ♀ capite tantum vix duplo longiores, articulis simplicibus. Caput griseum, lineà supra fusca. Palpi nigricantes, articulis 2 basalibus luridis. Stethidium canescens, vittis dorsalibus subquatuor cinereis, nempe 2 mediis approximatis, antice connexis et usque ad collare productis; atque 2 lateralibus antice abbreviatis, et ante illas (in humeris) foveola impressa; omnibus fere undique distincte (præsertim in ♀) brunneo-marginatis. Vitta lateralis ab humeris ad radicem alarum pallescens. Abdomen luridum, vix vestigio linearum lateralium fuscarum; ano in ♂ majusculo, valvulis externis sat latis, cinereis, partibus internis ferruginantibus; in ♀ fusco, stylis 2 subferrugineis, sat validis, subtus serrulatis, apice parum angustato, subcurvo. Alæ marmoratæ, stigmate et puncto ad medium costæ paullo obscurioribus. Nervi basales transversi sublutescentes l. pallide fusci (in exemplis diu exsiccatis), reliqui distincte fusci. Ramulus superior nervi an-

terioris furcati pone stigma integer. Macula alba, quæ in plerisque speciebus alis marmoratis in centro adest plus minus obsoleta, in hac sat determinata, licet non major. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi. Coxarum articulus 1:mus cinerascens, 2:dus flavus. Femora flavida, apice obscura.

10. *T. Truncorum:* cinerea, thoracis lineis subseptem castaneis, 3 mediis integris postice connexis, lateralibus antice abbreviatis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 primis flavis (♂), aut 1:mo griseo, 2:do flavo (♀); abdomine luteo, lineis 3 fuscis; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate, puncto ad medium costæ nervisque transversis basalibus saturatioribus; pedibus flavidis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano in ♂ ciliato. ♂♀. (Long. ♂ 5—6, ♀ circiter 8 lin.).

Meig. Dipt. 6. 287. 46. ♀. Schumm Tipul p. 51. 17. ♀.

Hab. in Scandinavia, minus frequens, a d. 22 Jun. ad 24 Jul. mihi obvia, in 9 individuis lecta; scilicet in Scania ad Lund in graminosis, ♀ semel; in Jemtlandiæ paludosis ad radicem alpium Åreskutan et Mulfjellen 1840 duo specimina mascula (unum par in copula), et quinque exempla feminea inveni; in Norwegia ad diversorium Garnäs Værdaliæ ♀ rarissime; ad Töien, D. *Siebke.*

♂♀. Antennarum thoracisque pictura, ut et cauda ciliata in ♂, speciem designant. Griseo-cinerea. Antennæ longitudine capitis cum rostro, subfiliformes, nigræ, in ♂ articulis 2 primis pallide flavis; in ♀ articulo 1:mo cinereo l. rufescenti-cinereo, 2:do flavo; flagello piloso. Palpi toti nigri. Frons linea fusca. Thoracis dorsum vittis 7 castaneis, quarum 3 mediis integris, postice cohærentibus, intermedia tenuissima, la-

teralibus modice latis, anterius sensim divergentibus, apice acutis; juxta has ad latera adsunt utrinque 2 vittæ antice abbreviatæ, ellipsin apicibus apertam formantes; pone humeros punctum profunde impressum, nigrum. Pone suturam macula gemina fusca. Abdomen testaceum, vittis 3 nigris, media angustiori, interrupta. Incisuræ pallidæ. Anus in ♂ majusculus, valvulis exterioribus satis obscuris, lateralibus et præsertim inferiori longe flavo-ciliatis, partibus interioribus non prominulis, rufis; in ♀ elongatus, nitidus, basi niger, stylis superioribus, longis, subulatis, rectis, ferrugineis. Alæ in ♂ obsolete, in ♀ perspicue marmoratæ, ramulo superiori anterioris nervi furcati pone stigma in utroque sexu integer. Halteres flavi, clava fusca. Pedes elongati, graciles, fusci, coxarum articulo 1:mo cinerascente, articulo 2:do femoribusque fere ad apicem flavicantibus. — A *Tip. 7-lineata* Macqv. Buff. 1. 83. 11. ♂. non multum differre videtur. An hujus speciei alter sexus?

11. *T. varipennis* Hgg.: cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 distinctis, fuscis; antennis palpisque nigricantibus, illarum articulo 2:do sæpissime flavido; abdominis incisuris albidis; alis albo-hyalinis, fusco-maculatis, nervis perspicue infuscatis; pedibus (♀) robustis nigris, femorum basi flava. ♂♀. (Long. ♂ 6, ♀ 6—7 lin.).

Meig. Dipt. 1. 183. 20. Schumm. Tipul. 37. 11. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 9. 8. ♂♀. *Tip. simplicicornis* Zett. Ins. Lapp. 841. 6. ♂♀.

Hab. in graminosis a fine Maj. usque ad finem Julii, per Scandinaviam meridionalem et mediam, passim, per borealem sat vulgaris, in copula etiam sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Fogelsång, Räften, etc.; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad

Östersund, Åreskutan etc., non parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Lulensi, D. *Andersson*; in Norwegia: ad Töien et Rÿnbjerg prope Christianiam, Jun., D. *Siebke*; et ad Alstahaug, Levanger, Näs, Garnäs et Suul Værdaliæ, valde frequens, ipse; etiam in Dowre; in Dania, rarius. (In Germania ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 15—20 Maj. a D. *Dahlbom* capta).

♂♀. Per antennas palposque tota obscura, illarum tantum articulo 2:do pallido, abdominis incisuras pallidas, alas albas, nervis maculisque distincte fuscis, ramulo superiori nervi furcati pone stigma abbreviato l. saltem obsoleto, et denique pedes (in ♀) validos fere totos nigros, tantum basi femorum anguste flava, ab aliis satis superque dignota. — Læte cinerea. Antennæ, in ♂ longitudine thoracis, cylindricæ; in ♀ breviores, longitudine circiter capitis cum rostro, extrorsum subtenues; in utroque sexu nigræ, articulo 2:do plerumque flavescente, reliquis basi pilosis. Palpi nigricantes. Frons lineola fusca. Thorax dorso vittis 4 latiusculis, perspicuis, fuscis, mediis approximatis, integris, lateralibus antice abbreviatis, puncto subhumerali impresso nigro. Vitta utrinque lateralis a collari ad radicem alarum pallida (in exsiccatis) rugosa. Abdominis incisuræ conspicue pallide flavæ. Anus in ♂ beviusculus, valvulis exterioribus cinereis, partibus interioribus parum l. vix prominentibus, rufis; in ♀ nitidus, obscure ferrugineus, stylis 2 elongatis, valde subulatis, rectis. Alæ in fundo albidæ, umbra fusca hinc inde tinctæ, stigmate, puncto ad medium costæ nervisque transversis basalibus distinctioribus, perspicue obscuris; nervi quoque reliqui conspicue infuscati. Ramulus superior nervi furcati anterioris pone stigma obscurum, ipse abbidus aut obsoletus, aut abbreviatus in area costali alba evanescit (ut in *T. hortulana* n:o 7) (*). Halteres pallide flavi, clava basi fusca.

---

*) vide etiam *Schummel* Tab. 1. f. 6.

Pedes in ♂ longiusculi, modice tenues, fusci, basi flavi, coxarum articulo 1:mo cinereo; in ♀ breviores, crassiores, basi anguste ferrugineo-flavi, coxarum articulo 1:mo cinereo.

Obs. Secundum *Meigen* hæc sub nomine *Tip. rivosa* in museo Fabriciano asservatur.

12. *T. pictipennis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 distinctis, fuscis; antennis palpisque nigris, amborum articulis duobus basalibus pallide flavis; alis fuscis, fasciis duabus maculisque pluribus albis, stigmate nigro; pedibus flavis, femorum tibiarumque apice, tarsisque fere totis, nigris. ♀. (Long. 9 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 9. 9. ♀.

Hab. in Charlottenlund Daniæ, D. *Stæger*. Mihi ignota.

"♀. Similis priori. Palpi et antennæ nigra, articulis 2 primis pallide flavis. Rostrum supra griseum, subtus nitidum nigrum. Caput et stethidium læte glauca: linea frontali medio paullo dilatata, vittis thoracis dorsalibus 4 æqualibus ante suturam, linea media maculisque 2 lateralibus pone suturam, et linea tenui in scutello et metathorace, obscure fuscis. Abdomen sordide testaceum (guul-graa), lineis 3 longitudinalibus indistinctis obscuris, lateralibus sutura alba terminatis. Segmentum anale nitidum nigrum, forcipe tenui, subulata, ferruginea. Halteres flavi, clava nigra. Alæ fuscescentes, nervis, præcipue longitudinalibus 1:mo, 3:tio et 5:to, stigmate magno, macula parva ad anastomosin nervi marginalis cum nervo 1:mo longitudinali et macula majori nervis transversis basalibus, nigricantibus. Tota area costalis, duæ fasciæ transversæ ex illa (una media, altera propius ad basin), macula magna ante et pone stigma, atque puncta 2 ad marginem interiorem in area axillari, alba. Pedes flavi, annulo apicali femorum lato, annulo in apice tibiarum angustiori, et tarsorum articulis quatuor ultimis, nigris". Stæg. l. c.

13. *T. micans:* læte cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 fuscis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 primis pallide flavis; abdomine lurido fusco-trilineato; alis fuscis, stigmate, puncto ad medium costæ nervisque transversis basalibus saturatioribus; fasciis 2 latis maculaque pone stigma lacteis; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice, tarsisque, fuscis. ♀. (Long. saltem 7—8 lin.).

Hab. in fruticibus et graminosis, passim, minus frequens, a d. 6 Jun. ad 5 Aug. mihi obvia; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Kivik et Esperöd; in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom*, et ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Suul, semel; in Norwegia ad Töien prope Christianiam 19 Junii 1846 a Clar. *Siebke* etiam inventa.

♀. Palpis totis nigris, antennarum articulis 2 basalibus pallide flavis, et imprimis alarum fasciis 2 latis determinatis lacteis, ab aliis dignota. Læte cinerea. Antennæ longitudine capitis cum rostro, filiformes (♀), nigræ, pilosæ, articulis 2 primis flavis, nudis. Palpi nigri. Thoracis vittæ dorsales 4 latiusculæ, fuscæ, mediæ approximatæ, laterales (raro omnes) antice abbreviatæ; puncto pone humeros impresso nigro. A collari ad radicem alarum vitta lateralis pallida. Abdomen luteum, segmento 1:mo (plerumque) et postice cinerascens, lineis 3 fuscis, media interdum obsoleta. Incisuræ posticæ albidæ. Anus nitidus, piceus, stylis 2 longiusculis, valde subulatis, rectis, ferrugineis. Alæ conspicue pictæ: in fundo fuscæ, stigmate mediocri, puncto ad medium costæ et nervis transversis basalibus obscurioribus; fasciis 2 latis, a costa non usque ad marginem interiorem extensis, una in medio, altera ante medium alæ sitis, maculaque immediate pone stigma majuscula, lacteis. Nervi omnes obscuri, præter ramulum superiorem nervi furcati pone stigma, albidum. Area discoidalis ob-

longo-pentagona. Nervi furcati apicalis seu ordinarii furca mediocris l. majuscula, ramis petiolò duplo longioribus. Nervus 3:tius longitud. (a margine interiori) validus, apice incurvus. Halteres flavi, clava obscura. Pedes longiusculi, tenues, flavi, femorum tibiarumque apice, tarsorumque articulis saltem ultimis, obscuris. Coxarum articulus 1:mus cinerascens. — Habitus *Tip. scriptæ* (4) et *Truncorum* (10), sed distincta. *T. irroratæ* Macqv. et Schumm. accedere quoque videtur.

14. *T. marmorata:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 fuscis, mediis approximatis; antennis palpisque nigricantibus, illarum articulis 2 primis flavis; abdomine luteo; alis fuscis, stigmate, puncto ad medium costæ nervisque transversis basalibus paullo distinctioribus, obscuris; maculis in singula ala circiter 10—12 albis; area discoidali ovali; nervi furcati ordinarii ramis basi subventricosis; pedibus flavidis, femorum tibiarumque apice, tarsisque fere totis, obscure fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Meig. Dipt. 1. p. 179. 13. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 11. 11. ♂♀. var. — Rossi, Dipt. Austr. 1848. 9. p. 6.

Hab. in fruticibus et graminosis Scandinaviæ meridionalis et mediæ, Aug. Sept. passim, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Tranås, Esperöd etc.; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Dania in Charlottenlund, rarius, D. *Stæger*, a quo etiam ambos sexus obtinui; in tecto stramineo magnam copiam feminarum ova ibi forte depositurarum d. 30 Aug. ad Lund Scaniæ semel observavi. (E Finlandia feminam misit D. Prof. *Sahlberg).*

♂♀. Præcedentibus minor. Cinerea. Antennæ in ♂ longitu-

dine fere thoracis, cylindricæ, in ♀ paullo breviores et tenuiores, in utroque sexu nigræ, pilosæ, articulis 2 primis flavis. Oculi in viva obscure ænei. Thoracis vittæ 4 fuscæ sat perspicuæ, laterales antice abbreviatæ, puncto ad humeros impresso minuto nigro. Pone suturam transversam lineola media et maculæ utrinque 2, fusca. Abdomen testaceum, postice interdum fuscescens, ano in ♂ modice magno, rufescente, partibus interioribus haud prominentibus, segmento ultimo ventrali protuberante, apice bifido; in ♀ nitido, ferrugineo, stylis 2 longis, subulatis, rectis. Alæ fuscanæ, stigmate saturatiori, maculisque parvis (circiter 10—12), subæque sparsis, quarum 3 ad marginem interiorem, 1 in centro alæ, 1 (obliqua) ante et 1 pone stigma, plerumque magis conspiciendæ. Ramus superior nervi furcati pone costam integer. Furca apicalis ordinaria sat magna, ramis petiolo fere triplo longioribus. Nervi omnes fusci; longitudinalis 3:tius (a margine interiori) apice leniter tantum curvatur. Pedes tenues, ut in diagnosi colorati. Coxarum articulus 1:mus rufescenti-cinereus. — Variat ♀ abdomine fusco, incisuris pallidis.

15. *T. signata:* pallide cinerea, thoracis lineis dorsalibus 4 fuscis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 primis pallide flavis; abdomine luteo, vestigio linearum 3 fuscarum, segmentis 2 ultimis fuscis; alis cinereis, albo-maculatis, lunula stigmaticali nigro-fusca; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂♀. (Long. 5 et 7 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 11. 12. *T. irrorata* Macqv. Buff. 1. 84. 15? ♂. — Schumm. Tipul. 40. 12? ♂♀. — Meig. Dipt. 7. 33. 53?

Hab. in Dania rarius, D. *Stæger*. Mense Septembri et initio Octobris ad Frederiksberg et in Ordrupkrat capta. In silva Silkeborg Jutlandiæ a D. *Schiödte* etiam inventa. A me neque lecta neque visa.

"♂♀. Valde similis priori, a qua vero alis paullo majoribus, stigmate magno, obscuro, pedibus longis, gracilibus, pallide flavo-coloratis, ut et maris organis caudalibus magnis, facile distingvitur. — Caput et stethidium pallide cinerea, frontis linea longitudinali tenui, scutelli metathoracisque latiori, ut et thoracis vittis 4 angustis (mediis antice connexis, lateralibus pone suturam in macula gemina desinentibus), nigrofuscis. Abdomen sordide testaceum, rudimento linearum 3 longitudinalium obscurarum, et segmentis 2 ultimis fuscis. Anus ferrugineus; in ♂ amplus, segmento ultimo ventrali semirotundo, in medio paullo elevato, et organis duobus e margine posteriori emissis et perpendiculariter pendulis magnis, cylindricis, pallide flavis, prædito; in ♀ forcipe sat longa, recta et valde tenui. Alæ cinerascentes, maculis albidis omnino ut in *T. marmorata* sitis, sed paullo majoribus et distinctioribus, præsertim macula in medio areæ axillaris, quæ (macula) juxta nervum 5:tum longitudinalem arcuatim extenditur, et cum medio punctorum alborum ad marginem interiorem confluit. Stigma obscure fuscum, fere nigrum, maris minus intensum (an casu?), ab apice areæ marginalis superioris supra nervum transversum usque ad basin areæ discoidalis, semilunatim extensum. Halteres pallidi, clava paullo obscuriori. Pedes tenues, flavi, annulo nigro lato ad apicem femorum, et puncto nigro in apice tibiarum. Tarsi versus apicem obscuri." Stæg. l. c.

16. *T. crassicornis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus quinque fuscis, intermedia tenuissima; antennis breviusculis, subvalidis, simplicibus, palpisque, nigris, illarum articulo 2:do fusco; abdominis incisuris posterioribus pallidis; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate, puncto ad medium costæ nervisque transversis basalibus obscurioribus; pedibus fuscis, femoribus a basi ultra medium flavidis. ♂♀. (Long. ♂ $6\frac{1}{2}$, ♀ fere 8 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 841. 7. ♂♀.

Hab. in Laponiæ sylvaticæ paludosis, rarissime; ♂ ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis 4 Jul. 1821, et ♀ ad Lycksele Lapponiæ Umensis Jul. 1832, a me inventi.

♂♀. Antennæ breviusculæ, nigræ, thoracis pictura, etc., speciem denotant. Cinerea. Antennæ in ♂ longitudine capitis cum rostro; in ♀ paullo breviores; in utroque sexu validiusculæ, cylindricæ, nigræ, articulo 1:mo obscure cinerascente, 2:do flavido (♂), l. fusco (♀); flagello pilosulo. Palpi toti nigri. Frons lineola fusca. Thoracis vittæ dorsales fuscæ 5, quarum 3 mediæ parallelæ, subintegræ, subliberæ (antice tamen subcohærentes), intermedia tenuissima, laterales modice angustæ; reliquæ 2 exteriores antice abbreviatæ. Punctum pone humeros impressum nigrum nitidum, in ♂ præcipue conspicuum. Pone suturam macula utrinque gemina fusca, et linea longitudinalis, quæ in metathorace continuatur, ejusdem coloris. Abdomen obscurum, incisuris 3—4 posticis pallidis, l. ferrugineis. Anus in ♂ majusculus, clavatus, valvulis exterioribus latis subintegris, fuscis, partibus interioribus subprominulis, flavis; in ♀ nitidus, stylis ferrugineis, rectis, 2 exterioribus subulatis. Alæ marmoratæ, stigmate, strigula ad medium costæ et nervis transversis basalibus, obscurioribus; atque maculis 1 ante et 1 pone stigma, et 1 in centro alæ parva quadrata, distinctioribus, albis, reliquis obsoletis. Apex alæ fuscanus. Nervi omnes distincti, fusci, 3:tius longitud. (a margine interiori) validior, apice incurvus. Ramulus furcæ superior pone stigma integer. Area discoidalis oblonga, subquadrata. Furca ordinaria modice magna, ramis petiolo saltem duplo longioribus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longi, tenues, obscuri, coxarum articulo 1:mo cinereo, 2:do femoribusque flavescentibus, his apice obscuris; tibiis basi testaceis.

17. *T. nodulicornis:* glaucescenti-cinerea, thoracis vittis dorsalibus subseptem castaneis, 3 mediis integris, late discretis, intermedia tenuissima; antennis palpisque

nigris, his in ♂ nodosis; abdominis dorso in medio lurido; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate punctoque ad medium costæ obscurioribus; pedibus fuscis, femoribus a basi ultra medium ferrugineis. ♂♀. (Long ♂ $6\frac{1}{2}$, ♀ 8 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 841. 8. ♂♀. Stæg. Grönlands Antliat. 1845. p. 355. 15. ♂♀.

Hab. in Septentrione; hactenus tantum in Grönlandia inventa, quantum noverim.

♂♀. Per antennarum (in ♂) fabricam et thoracis picturam ab aliis distincta. Similis *T. Truncorum* n:o 10, sed præter antennarum structuram aliam, differt etiam thoracis lineis parallelis et magis separatis. Schistacea. Caput subsessile, totum pilosum, fronte linea media fusca. Antennæ in ♂ longitudine fere capitis thoracisque, articulis flagelli breviusculis, intus distincte dilatatis, basi verticillatim nigro-pilosis; in ♀ paullo brevioribus, simplicibus, pilosis; in utroque sexu nigris, articulo 1:mo cinerascente, 2:do fusco. Thoracis vittæ brunneæ subseptem, nempe intermedia tenuissima, 2 laterales angustæ, albido-pilosæ, et utrinque 2 aliæ exteriores, abbreviatæ, antice posticeque subcohærentes, unde ad latera utrinque ellipsin formant. Lineæ thoracis pone suturam obsolete continuantur. Metathorax pilosulus. Abdomen luridum, segmentis 1:mo cinereo, posticis fuscis. Anus in ♂ sat parvus, valvulis exterioribus breviusculis fuscis, partibus interioribus haud prominulis, ferrugineo-flavis; in ♀ in meo specimine hodie abscissus (in Insectis Lapponicis ut in *T. Speculum* n:o 9, similis describitur). Alæ in ♂ obsoletius, in ♀ distinctius marmoratæ. Pictura et nervorum directio ut in præcedente, sed in ♀ macula centralis quadrata alba major. Alæ apice fuscæ. Nervi transversi in individuis nostris vetustis lutescentes. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi; tenues, etiam tibiis medio testaceis. Coxarum articuli ambo fusci l. obscuri.

18. *T. octo-lineata:* læte cinerea, thoracis lineis dorsalibus octo, castaneis, mediis integris valde approximatis, 4 extimis brevibus curvatis; antennis nigris, articulis basalibus 2 (♂), aut 3 (♀) flavescentibus; palpis obscuris; abdomine lurido; alis albo-fuscoque marmoratis, stigmate saturatiori; pedibus fuscis, femoribus a basi ultra medium ferrugineis. ♂♀. (Long. 6½—7 lin.).

Tip. septemlineata Macqv. Buff. I. 83. 11? ♂. Meig. Dipt. 7. 34. 56? ♂ (ex descriptione Macqvarti transscripta).

Hab. in paludosis Scandinaviæ borealis mense Julio, rarius; scilicet in Jemtlandia ad alpes Mulfjellet et Åreskutan; in jugo alpino Norwegiæ ad Suulstuen Værdaliæ. Sex mares et unicam feminam comparavi.

♂♀. Similis *T. Truncorum* (10) et *nodulicorni* (17), sed linearum numero et situ in thorace, discrepat. In *T. 7-lineata* Macqv. "abdomen pallide griseo-flavum, vitta dorsali nigricante, et thorax lineis 7", notata sunt, unde etiam de hujus identitate dubium, licet in ceteris conveniens. — Dilute cinerea. Antennæ in ♂ longitudine fere thoracis cum capite, articulis 2 primis rufescentibus, reliquis nigris, cylindricis in medio paullulum angustioribus, basi pilosis; in ♀ breviores, longitudine circiter capitis cum rostro, subfiliformes, articulis 3 basalibus rufescentibus, reliquis nigris, breviusculis, oblongo-rotundatis, pilosulis. Palpi nigri. Rostrum ad insertionem palporum macula rufa. Frons sat lata, lineola ferruginea. Thoracis lineæ 8 fuscæ, tenues, 4 interiores subintegræ, subparallelæ, postice (ante suturam) paullo appropinquantes, harum 2 mediæ valde approximatæ fere connexæ, ita ut obiter intuitæ quasi vittam unicam intermediam lineola tenuissima divisam constituant; reliquæ 4 laterales breves ellipsin postice apertam utrinque formantes, ante quam punctum impressum nigrum. Sub thoracis lateribus a collari ad radi-

cem alarum vitta (in mortuis rugosa) pallescens. Metathoracis linea media fusca. Abdomen in ♂ testaceum, lateribus vestigio lineæ fuscæ; postice fusco-maculatum; ano mediocri, segmento ventrali ultimo breviusculo integro, valvulis lateralibus etiam subbrevibus, partibus interioribus flavis, corpusculis 4 acutis apice curvis magis prominulis; in ♀, apud specimen meum, abscissum. Alæ ut in priori pictæ. Nervi quoque ut in illa directi. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longiusculi, tenues, coxarum articulo 1:mo cinerascente, 2:do femoribusque ferrugineo-flavis, his apice obscuris. Tibiæ testaceæ, apice tarsisque totis fuscis.

19. *T. nigricornis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 latiusculis fuscis; antennis breviusculis, totis, palpisque, nigris; abdominis incisuris posticis, margineque laterali, pallidis; alis albo-fuscoque obsolete marmoratis, stigmate obscuriori, nervis transversis basalibus flavis; pedibus obscure fuscis, femoribus tibiisque basi late ferrugineis, coxarum articulis ambobus cinereis; capite, rostro antennarumque scapo hirtis. ♂. (Long. 6 lin.).

Macqv. Dipt. d. N. 1. p. 129. 11?: "cinerea; antennis totis nigris; thorace 4-vittato; alis maculatis; long. 6 ½ lin." — Ejusdem Buff. 1. 85. 19? (ubi *T. vernali* similis dicitur). — Meig. Dipt. 7. 34. 57? (ex descriptione Macqvarti transcripta).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime: in jugo alpino Norwegiæ ad diversorium Suul specimen descriptum d. 14 Jul. 1840 inveni.

♂. Antennis breviusculis totis nigris, abdominis incisuris posterioribus rufo-flavis, alarum pictura obsoleta, nervis transversis basalibus flavidis, coxis totis cinereis, capite antennarumque basi hirsutis, etc., ab aliis affinibus thorace fusco-

4-vittato præditis, abunde dignoscitur. Schistacea. Antennæ capite cum rostro paullo tantum longiores, basi crassiusculæ, extrorsum sensim tenuiores, articulis 2 primis obscure cinereis, hirsutulis, reliquis nigris, modice longis, subcylindricis, basi paullo crassioribus, verticillatim pilosis. Caput subsessile, cinereum, linea frontali fusca; postice imprimis pallide hirtum. Rostrum obscurum, griseo-hirtum. Palpi crassiusculi nigri. Thoracis dorsum vittis 4 fuscis, modice et subæque latis, 2 mediis subintegris, subapproximatis, lateralibus antice abbreviatis, ante quas punctum ordinarium impressum nigrum. Series longitudinalis utrinque pilorum alborum. Vitta lateralis subrugosa sordide pallida a collari ad radicem alarum adest. Lineola dorsalis fusca tenuis pone suturam in metathorace continuatur. Abdomen cinereum, dorso vittis 3 interruptis fuscis; margine laterali fere toto (postice latius), et segmentorum 4 ultimis pallidis. Segmentum ventrale ultimum breve, integrum. Anus non magnus, subnudus, valvula inferiori lata obscura, partibus interioribus non prominulis, flavis. Alæ modice longæ (abdomine distincte longiores), parum marmoratæ, nervis fuscis, ut in priori directis. Alarum basi, usque ad nervos transversos, hi nervi et interstitium 1:mum usque ad stigma, flavo-ferruginea. Stigma distinctum, nigro-fuscum. Ramulus superior nervi furcati pone illud integer. Halteres sordide pallidi, clava fusciori. Pedes graciles, femoribus breviusculis, tibiis tarsisque elongatis. Coxæ hirtæ, articulis 1:mo cinereo, 2:do obscuriori. Femora flavo-ferruginea, apice subcrassiori, sat late indeterminate nigra; ad basin posticorum superne adest quoque vitta nigra (an semper ita?). Tibiæ ferrugineæ, apice sat late obscuræ. Tarsi toti obscuri.

Obs. Descriptio Macqvarti speciei cum nostra bene congruit, præter id, quod alæ (in Dipt. d. Nord, sed non in Buff.) ''satis parvæ'' dicantur. Alæ quoque in nostra parum fusco-maculatæ, et nervi quidem proprii fusci, sed vix fuscedine cincti. Neque sexum indicavit *Macqvart*. Hinc de identitate dubiolum.

20. T. *obsoleta:* pallide cinerea, thoracis lineis dorsalibus subqvatuor fuscis, quarum 2 mediis antice posticeque connexis; rostro et collari subrufescentibus; antennis palpisque obscuris, illarum articulis 2 primis flavis; abdomine lurido, postice fusco incisuris pallidis; alis fusco-alboque marmoratis, stigmate obscuro, furca ordinaria subventricosa; pedibus ferrugineo-flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂. (Long. fere $5\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 179. 14. ♂♀ (ubi stigma "testaceum" dicitur). — Schumm. Tipul. p. 34. 9. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 840. 3. ♂.

Hab. in Scandinavia, rarissime; tantum in gramine loco arido in Bottnia boreali ad villam Johannis Ro prope Torneå d. 2 Sept. 1821 mihi obvia.

♂. Colore pallido-, fere rufescenti-cinereo, rostro et collari rufo-testaceis, thoracis pictura, alarum furca ordinaria basi subventricosa, etc., ab affinibus dignota. Antennæ thorace nonnihil breviores, subfiliformes, fuscæ (in specimine vetusto), articulis 2 basalibus flavis, flagello piloso. Palpi filiformes, fusci. Frons lata, immaculata. Thoracis vittæ l. lineæ dorsales 4 castaneæ, harum 2 mediæ tenues, antice saltem connexæ, et 2 laterales paullo latiores, antice abbreviatæ, ante quas punctum impressum nigrum. Macula utrinque pone suturam dilute fusca et linea per metathoracem ejusdem coloris. Scutellum et vitta rugosa pleurarum a collari ad basin alarum, pallida. Abdomen luteo-ferrugineum, dorso a basi ad pone medium subimmaculatum; postice vero fuscum, incisuris flavis; in lateribus vestigium lineæ fuscæ. Segmentum ultimum ventrale in medio incisum, apice late flavum. Anus mediocris, subnudus, valvulis exterioribus fuscis, partibus interioribus flavis, parum prominulis. Alæ fuscæ, maculis sparsis albis, quarum quædam in disco (una in centro non ma-

gna, subquadrata), 1 ante et 1 pone stigma, atque 2 ad marginem interiorem certo luminis situ paullo magis conspicuæ sunt. Nervi omnes pone transversos basales fusci, apicales pilosuli, longitudinales 1:mus et tertius (a margine interiori numerati) validiores, apice curvati. Rami nervi furcati ordinarii petiolo duplo longiores; ramus superior furcæ pone stigma integer. Area discoidalis ovalis l. ovata. Halteres pallidi, clava subfusca. Pedes ut in diagnosi, coxarum articulo 1:mo basi cinereo.

♀: antennis paullo brevioribus, forcipe anali valde tenui, subulato, recto, ferrugineo, a *Meigen* et *Schummel* describitur, a me non visa.

21. T. *subunilineata:* pallide cinerea; thoracis lineis dorsalibus subtribus fuscis, harum media angusta; rostro et collari subrufescentibus; antennis nigris, nodosis (♂), articulis 2 primis flavis; palpis obscuris; abdomine fusco-ferrugineo; alis fuscanis, maculis parvis albis marmoratis, stigmate dilute fusco; pedibus testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂. (Long. fere 6 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 841. 5. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime: in alpium Tornensium jugo d. 12 Jul. 1821 semel capta.

♂. A priori, cui valde similis, thoracis pictura antennisque nodosis, distincta. Pallide cinerea. Antennæ nodosæ, nigræ, articulis 2 basalibus luteo-flavis. Palpi fusci. Frons linea fusca. Thoracis dorsum griseum, lineolis subtribus angustis ferrugineis, quarum media subintegra, antice simplex, postice per lineolam tenuissimam subdivisa, et laterales breves valde curvæ, utrinque ellipsin glauco-cineream postice apertam includentes; hinc in thoracis dorso lineæ subquinque tenues numerantur, quarum media recta, laterales 4 arcuatæ. Abdomen fusco-ferrugineum, basi dilutius, segmentis lateribus

pallidis, ultimo (dorsali) margine apicali flavo. Segmentum ventrale ultimum breve, integrum. Anus mediocris l. parvus, valvulis exterioribus fuscis, interioribus parum prominulis, ferrugineis. Alæ fuscæ, maculis aliquot albis in disco et ad marginem interiorem, parvis, vix nisi ante objectum obscurum visis conspicuis, atque una mox pone stigma, majori, fasciformi. Halteres et pedes ut in præcedente.

22. *T. vernalis:* dilute cinerea, thoracis vittis dorsalibus tribus obscure fuscis, media lata integra; antennis nigris, articulo 2:do semper, 1:mo sæpe (saltem basi) flavo-ferrugineis; palpis obscuris, basi rufescentibus; abdomine lurido, fusco-vittato, incisuris albidis; alis albidis, nervis obscuris, margine interiori dilute cinerascente, stigmate testaceo, area discoidali subparva; pedibus fuscis, femoribus basi ferruginantibus; ano parvo, brevi. ♂♀. (Long. ♂ 5—5½, ♀ 6—6½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 192. 19. ♂♀. Schumm. Tipul. 63. 23. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 85. 17. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 13. 13. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 9. 9.

Hab. in pratis et litoribus, tempore verno et iterum autumnali, per Scandinaviam meridionalem et mediam, passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Lackalänga, etc., *B. Fries* et ipse; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger rarius, D. *Dahlbom*; in Dania ad Amager, Frederikshavn etc., D. D. *Stæger*, *Schiödte* et *Drewsen*.

♂♀. Per magnitudinem mediam, thoracis vittas 3 obscuras, intermediam latam, antennarum articulum saltem 2:dum flavum, alas late albo-vittatas, stigma dilutum, caudam brevem, etc., ab aliis confinibus dignota. Cinerea. Antennæ in ♂ capite

cum rostro paullo longiores, sed cum thorace paullo breviores; in ♀ longitudine capitis cum rostro; in utroque sexu subfiliformes, articulo 1:mo plerumque ex parte, et 2:do semper toto, ferrugineo-flavis; flagello nigro, piloso. Rostrum cinerascens, subtus ochraceum. Palpi obscuri, saltem articulo 1:mo rufescente. Frons lata, linea fusca obsoleta. Thoracis vittæ dorsales 3 obscuræ, media lata integra, laterales antice abbreviatæ, puncto ante humeros impresso, nigro. Vitta pleurarum ordinaria rugosa pallida, a collari ad basin alarum ducta, adest. Abdomen luridum, vittis 3 fuscis, media antice evanescente, posterius (præsertim in ♂) dilatata, lateralibus plerumque valde obsoletis; incisuris mediis et posterioribus pallidis; in ♂ segmentum ultimum ventrale breve integrum, anus proportione parvus, brevis, valvulis exterioribus fuscis, partibus interioribus haud exsertis, ferrugineis; in ♀ anus insolito brevis, forcipibus brevibus, foliaceis, flavis, apice subconniventibus. Alæ inter nervos obscuros vittis latis albidis. Areola minuscula, ovata, ut punctum album ante objectum obscurum conspicitur. Alæ basi ad nervos transversos, et costa (præcipue in ♂) usque ad stigma anguste, flavidæ. Stigma subtestaceum, parum distinctum, ante quod fasciola albida obsoleta et in ipsa costa strigula longitudinalis alba lucida, certo situ sat conspicua. Margo interior cinereus. Nervi: furcatus ordinarius ramis petiolo parum longioribus, plerumque illo æque longis; longitudinalis 3:tius (a margine interiori) subduplicatus; ramulus superior furcæ pone stigma integer, obscurus. Halteres pallescentes, clava fusca, puncto apicis albo. Pedes modice longi et modice tenues, fusci, femoribus in ♂ ultra medium, in ♀ ad medium ferrugineis, coxarum articulo 1:mo in utroque sexu cinereo, 2:do pallido. Tibiæ basi sæpe testaceæ.

23. *T. pabulina:* dilute cinerea, thoracis dorsalibus quatuor lineaque unica intermedia tenui fuscis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 3 primis flavis (♂); abdomine lurido, fusco-vittato; alis pallide fusco-cine-

reis, obsoletissime albo-maculatis, stigmate dilute fusco; pedibus fuscis, femoribus basi late ferrugineis; ano ciliato. ♂. (Long. circiter 6 lin.).

Meig. Dipt. 1. 180. 16. ♂. Schumm. Tipul. 53. 18. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 85. 16. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 10. 10. ♂.

Hab. in Scandinavia sat rara; in Scania circa Lund olim a Prof. *B. F. Fries* capta, et in museo meo asservata; in Uplandia ad Holmiam, teste Prof. *P. F. Wahlberg*; in Dania mense Aug. raro, D. *Stæger*.

♂. Antennarum articulis 3 basalibus flavis, thoracis pictura, alis parum marmoratis, et ano (♂) ciliato, ab aliis hujus subdivisionis distincta. Canescens. Antennæ longitudine fere thoracis, subcylindricæ, pilosæ, nigræ, articulis 3 primis læte flavis. Rostrum obscurum. Palpi nigri. Frons lata, linea media fusca obsoleta; antice albescens. Collare distinctum. Thoracis vittæ dorsales 4 fuscæ, subæque latæ, harum 2 mediæ subintegræ, subapproximatæ, per lineolam longitudinalem intermediam angustissimam fuscam anguste separatæ; laterales antice abbreviatæ, ante quas punctum impressum nigrum distinctum. Pleurarum vitta solita pallida rugosa adest. Abdomen luridum, vitta dorsali fusca, posterius dilatata, incisuris posticis tenuiter albidis. Lineæ laterales et unica ventralis, fuscæ, etiam conspiciendæ. Anus mediocriter magnus. Segmentum ultimum ventrale breviusculum, integrum, fuscum, margine apicali flavo-ciliatum. Partes interiores ani parum prominentes, ferrugineæ, flavo-pilosulæ. Alæ dilute fuscanæ, nervis obscurioribus; stigmate non multo notato. Præter maculas 2 parvas albas, unam ante, alteram pone stigma, pictura alba in reliqua ala vix observatur. Areola discoidalis oblongo-ovata. Furca ordinaria mediocris, ramis petiolo fere duplo longioribus. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma integer. Nervi fusci, exceptis illis ante transversos

basales, et longitudinali 2:do, flavis. Halteres pallidi, clava fusca, apice albida. Pedes mediocres, coxarum articulo 1:mo cinerascente, 2:do flavo. Femora et tibiæ flavescentia, apice fusca. Tarsi toti fusci.

♀: antennis brevioribus, articulis 5, 6 vel 7 primis flavis, ano nitido ferrugineo, stylis tenuibus rectis, a mare diversa, a *Schummel* l. c. describitur, mihi de cetero ignota.

Obs. *Tip. nervosa* non est varietas sexualis hujus, ut contendit *Meigen* in Tomo suo 6:to p. 285. Ex ambabus speciebus exactus et oculatissimus ille *Schummel* descripsit utrumque sexum, qui pro diversis his speciebus satis dissimilis deprehenditur.

24. *T. longicornis:* dilute cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 fuscis; antennis thorace paullo longioribus (♂), aut paullo brevioribus (♀), nigris, articulis 2 (♂), vel 3 (♀) primis ferrugineis; rostro palpisque rufescentibus; abdomine lurido, vitta dorsali posticoque fuscis; alis pallide cinereo-fuscanis, obsolete et parce albo-maculatis, stigmate fusco; pedibus fuscis, femoribus usque ad apicem obscurum ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 5½, ♀ 6—7 lin.).

Schumm. Tipul. 32. 8. ♂♀. Tab. 1. f. 7 (antenna maris).

Hab. in Norwegia boreali rarissime; ad Alstahaug prope Levanger d. 8 Jul. 1840 unicum individuum masculum inveni; feminam non vidi.

♂. Similis *T. marmoratæ* n:o 14, sed antennis (in ♂) longioribus, alarum stigmate nonnihil majori, nervi furcati ordinarii ramis basi non ventricosis, etc., distincta. Subrufescenti-cinerea. Antennæ capite thoraceque paullo longiores, versus apicem subtenues, articulis 2 primis flavo-ferrugineis, reliqvis longiusculis subcylindricis medio paullo angu-

stioribus, totis nigris, basi sat longe verticillatim pilosis. Rostrum et palpi rufescenti-ochracea. Frons lata. Thoracis dorsum cinereum, vittis 4 latiusculis fuscis, 2 mediis integris, approximatis, lateralibus antice abbreviatis, puncto pone humeros impresso. Abdomen luteum, vitta dorsali posterius dilatata, segmentisque apicalibus fuscis. Segmentum ultimum ventrale longiusculum, apice profunde excisum, angulis acutis. Anus majusculus, valvis exterioribus sat longis et latis, fuscis, subciliatis, partibus interioribus parum prominulis, flavidis. Alæ subfuscanæ, stigmate, puncto ad medium costæ, nervisque transversis basalibus paullo saturatioribus. Maculæ albæ, præter unam in centro alæ mediocrem irregularem, 1 ante et 1 pone stigma distinctiores, obsoletæ. Nervi, exceptis basalibus et costalibus flavidis, fusci. Area discoidalis oblongo-subpentagona; ramis nervi furcati petiolo fere triplo longioribus. Ramulus superior furcæ ad costam pone stigma breviusculus integer fuscus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longiusculi, tenues, fusci, coxarum articulo 1:mo rufescenti-cinereo, 2:do femoribusque flavis, his apice obscuris. Tibiæ basi sat late testaceæ.

♀: antennis thorace paullo brevioribus, articulis 3 primis sæpe flavis, flagelli subcylindricis, alarum maculis albis sæpe majoribus, femoribus pallidioribus, ano nitido nigro-fusco, forcipibus rectis, linearibus, ferrugineis, a mare diversa, a D *Schummel* l. c. describitur.

Obs. *Tip. longicornis* Zett. Ins. Lapp. alia est species, hodie *T. macrocera* (n:o 40) denominata.

25. *T. Ceres:* pallide rufescenti-cinerascens, thoracis lineis dorsalibus 4 fuscis; antennis longitudine thoracis fuscis, articulis 2 primis flavis; rostro palpisque rufo-flavis; abdomine flavo, ano concolore; alis cinereis, stigmate oblongo, fusco, parce et obsoletissime albo-maculatis; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco. ♂. (Long. 6 lin.).

Fries, Tipular. Svec. in manuscr.

Hab. in Svecia meridionali, rarissime, in Scania semel tantum lecta.

♂. Similis priori, sed non ejus varietas dilutior, nam præter colorem corporis patiumque pallidiorem, differt etiam nervi furcati ordinarii ramis basi subventricosis, fere ut in *T. marmorata* (14), ut et antennis paullo brevioribus. Caput canum, fronte inter oculos modice lata, immaculata. Antennæ subfiliformes, pilosæ, fuscæ, articulis 2 basalibus flavis. Rostrum, palpi et collare rufescenti-flava. Stethidium pallide rufo-cinereum, thoracis lineis dorsalibus ut in priori, sed paullo dilutioribus. Abdomen stramineo-flavum, postice superne macula fusca. Segmentum ventrale ultimum (in mortua elevatum) flavo-pubescens, apice excisum. Anus ut in priori constructum, sed flavum, basi subtus fuscum. Alæ pallide cinereæ, maculis albis vix conspiciendis, nisi 1 in centro, parva, 1 ante et 1 pone stigma, obsoletis. Stigma oblongum, fuscum. Nervi dilute fusci, fere ut in præcedente directi, sed furca ordinaria basi nonnihil magis dilatata. Halteres pallidi, clava dilute fusca. Pedes valde longi et graciles, in specimine vetusto toti flavi, femorum et tibiarum apice anguste, tarsorumque apice latius, fusco. — *T. pabulinæ* n:o 23 accedit.

Obs. Tipula limbata: alis, excepto stigmate fusco utrinque albo-terminato, maculis nullis albis notatis, infra sub n:o 29 quærenda. — *Tip. macrocera* alis cinereis, maculis aliquot albidis, obsoletissimis, certo situ tantum vestigio indagandis, sub n:o 40 invenienda.

Divis. 2. Alæ, præter stigma plus minus infuscatum et plerumque maculam l. lunulam albam juxta stigma, immaculatæ. Costa interdum fusca vel testacea.

† corpore ex maxima parte pallescente (in *T. nodicorni* n:o 30, thorace læte cinereo).

26. *T. ochracea:* flavo-testacea, thoracis dorso lineis 4 ferrugineis, obsoletis; antennarum palporumque apice fusco; alis cinereis, ante stigma fuscum lunula abbreviata, alba; pedibus flavis, apice femorum tibiarumque anguste, tarsorumque late, fusco; ano maris magno, ciliato, feminæ longo subulato. ♂♀. (Long. ♂ 7, ♀ 8—8½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 186. 25. ♂♀. Schumm. Tipul. 88. 38. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 87. 25. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 842. 9. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 15. 20. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 16. *Tip. lunata* Fabr. Ent. Syst. 4. 236. 13. ♂. et Antl. 27. 15. ♂. (exclus. synon.).

Hab. in pratis et hortis, per Scandinaviam, vulgaris, mihi mense Julio præsertim obvia, sed etiam Majo, Junio et Augusto deprehensa; in copula haud raro capta; vespere plerumque exiens; scilicet in Scania frequens; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Norwegia ad Alstahaug et Näs, non parce; etiam in Töien, D. *Siebke;* in Lapponia Umensi ad Nästansjö in paroecia Wilhelmina, rarius; in Dania, vulgaris in vicinitate aquæ, Jun. Aug., teste D. *Stæger.* (Ad Neuenkirchen, Gryphiam et Helgoland, 20 Maj., 6—12 Jun., 12 Jul. —1842—1843 mares plures legit D. *Dahlbom;* e Kilia a *Wiedemann* missa). Larvæ, similes larvis *T. nubeculosæ*, 9 lin. longæ, in ligno putrescente Salicis mense Aprilis inventæ. Pupæ quoque *T. nubeculosæ* fere similes, corniculis capitis filiformibus, mens. Majo, Junio excludentur. Imagines in pineto ad Lackalänga Scaniæ initio mensis Julii in utroque sexu fere quotannis observatæ.

♂♀. Magna, pallide ochracea. Antennæ vix thoracis longitudine, subcylindricæ, pilosæ, extrorsum nonnihil angustiores; nigricantes l. fuscæ, basi plus minus late rufo-flavæ. Palpi ferruginei, pilosi, articulo saltem ultimo nigricante. Frons immaculata, inter oculos modice lata. Oculi in viva aureo-virides. Thoracis dorsum serie ad latera pilorum pallidorum; lineis 4 sæpissime ferrugineis, raro fuscis, plerumque obsoletis, mediis integris, lateralibus abbreviatis, his antice puncto impresso. Abdomen testaceum, interdum rudimento lineæ utrinque lateralis fuscæ; incisuris tenuiter albidis. Anus in ♂ magnus, tumidus, fusco-ferrugineus, segmento ultimo ventrali brevi, integro, valvula inferiori sat magna alboterminata, apice sat late sed non profunde emarginata et in emarginatura fasciculo pilorum l. ciliarum subpendulo, flavo, nitido, partibus interioribus paullo dilutioribus, pilosis; in ♀ ferrugineus, nitidus, stylis 2 subulatis, rectis. Alæ latiusculæ, cinereæ, stigmate dilute fusco, ante quod immediate lunula alba, vix ad medium alæ transversæ extensa. Nervi dilute fusci. Area oblonga. Rami nervi furcati ordinarii petiolo saltem duplo et ultra longiores, et ramulus superior furcæ anterioris pone stigma proportione longiusculus, integer, fuscus. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes longiusculi, tenues, ut in diagnosi colorati. — Thorax in ♂ lætius flavus, in ♀ testaceus. — Variat antennis flavo-testaceis, flagelli articulis basi obscuris. Variat etiam imprimis in ♀ abdominis linea dorsali media fusca.

27. *T. fascipennis:* testacea, thoracis dorso læte cinereo, lineis 3 fuscis obsoletissimis; pleuris canis; antennis in ♂ nigricantibus, articulis 2 primis flavis, in ♀ flavo-ferrugineis versus apicem fuscescentibus; palpis ferrugineis, apice obscuris; abdomine linea dorsali fusca; alis cinereis, ante stigma fuscum fascia transversa tenui subrecta fere continua, alba; pedibus flavidis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco; ano maris magno, feminæ brevi. ♂♀. (Long. ♂ $6\frac{1}{2}$, ♀ 7 lin.).

Meig. Dipl. 1. 187. 26. ♀. — et 6. p. 286. Schumm. Tipul. 94. 42. ♂♀. Tab. 2. f. 8. 9. 10 (anus maris) et f. 11. 12 (anus feminæ). Macqv. Buff. 1. 87. 26. ♀. Zett. Ins. Lapp. 842. 10. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 16. 22. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ pratis et silvis, passim; mihi Jul. Aug. et Sept. obvia; scilicet in Scania ad Tranås, Esperöd, etc.; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Gothem, Thorsborg, etc.; in Lapponia Tornensi ad Kengis, raro; in Norwegia ad Christianiam, D. Hortulanus *Moë*; in Dania ad Charlottenlund, sat raro, D. *Stæger*.

♂♀. Similis priori, sæpe paullo minor, et thoracis disco dorsali pallide cinereo, parum vittato, alarum fascia alba recta, a costa et fere ad marginem interiorem alæ extensa, et denique ano in ♂ absque fasciculo pilorum, in ♀ brevi, certe distincta. Ochracea l. ferrugineo-testacea. Caput cum antennis rostro et palpis fere ut in præcedente. Oculis in viva læte virides. Stethidium flavo-ferrugineum, thoracis dorso ante et post suturam griseo vel pallide cinereo, lineis 3 fuscis parum conspicuis. Scutellum ferrugineum. Metathorax et pleuræ pallide cinereo-micantia. Abdominis linea dorsalis fusca in ♀ præsertim plerumque perspicua, in ♂ sæpe obsoleta, vestigio linearum lateralium fuscarum in utroque sexu. Anus in ♂ magnus, tumidus, fusco-ferrugineus, valvula externa inferiori ampla, margine apicali rotundato-emarginata, angulis acutis apice pilosis, partibus interioribus implicitis, corniculis duobus acutis recurvis intus tuberculo majusculo instructis, magis prominulis, et tandem in medio membranis 2 depressis, albidis; in ♀ basi crassiusculus, nitens, supra niger, subtus ferrugineus, forcipibus 2 breviusculis rectis ovatis acutis ferrugineis nitidis hirtis. Alæ ut in priori etiam quoad nervorum directionem, sed striga seu fasciola transversa alba longior, a costa et fere usque ad marginem

posticum (præcipue in ♀) oblique extensa. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes elongati, tenues, fusci, coxarum articulo 1:mo rufo-cinerascente, 2:do et femoribus flavidis, his apice fuscis. Tibiæ et tarsi basi quoque, præsertim in exsiccatis, sæpe testacea. — Variat ♀ antennis sordide flavis, flagelli articulis basi fuscis.

Obs. *T. Selene*, huic et antecedenti affinis, ob thoracem cinereum ad sequentem subdivisionem refertur et sub n:o 31 invenitur. — In Thorsburg Gottlandiæ 6 Aug. 1850 specimen femineum invenit D. *Dahlbom*, quod alarum pictura et ani structura *T. fascipenni* simile est, sed corpore magis cinereo, pedibus fere totis fuscis, antennis, rostro palpisque totis obscuris l. nigricantibus, differt; an variet. *T. fascipennis?* aut nov. species? *T. lunatæ* affinis videtur.

28. *T. lætabilis:* straminea, thoracis dorso vittis 3 latiusculis fusco-cinereis; antennis flavidis, fusco-annulatis; palpis apice fuscis; abdomine lurido; alis cinereis, ante stigma fuscum lunula alba; pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco; ano maris mediocriter magno, intus ciliato, feminæ piceo. ♂♀. (Long. ♂ circiter 5, ♀ saltem 6 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 842. 11. ♂.

Hab. in Gottlandia, in Bottnia occidentali et Lapponia rarissime; specimen masculum, quod ante oculos habeo in Ångermannia ad Hernösand d. 30 Aug. 1821 captum, femineum in Thorsborg Gottlandiæ 14 Jul. 1841 lectum.

♂. A duabus proxime præcedentibus, quibus similis, magnitudine paullo minori, thoracis vittis tribus fuscis latioribus, pedibus gracilioribus, et ano in ♂ breviori, dignoscitur. Caput cinerascens. Antennæ ut in *T. ochracea* (26), articulis flagelli ima basi nigro-annulatis. Stethidium rufescenti-stramineum, pleuris concoloribus, thoracis dorso vittis 3 cinereis,

media integra fusco-marginata, lateralibus antice abbreviatis. Thorax pone suturam cinerascens. Scutellum flavum. Metathorax rufescens, leniter cinereo-micans. Abdomen subnitidum, flavidum, linea dorsali fusca; postice dilute brunneum, segmentorum margine pallido. Anus modice magnus, nitidus, basi fuscus, apice flavus. Valvula inferior non lata, apice leniter emarginata, fasciculo denso pilorum flavorum nitidorum, Partes ani interiores flavæ, nitidæ, flavo-pilosulæ, harum 6 paullo magis prominentes, quarum 2 superiores latæ, subfalcatæ, 2 mediæ paullo minores, basi latæ, apice acutæ (ferrugineæ), et 2 inferiores subcylindricæ, pallidiores. Alæ cinereo-fuscanæ, stigmate parvo, obscuriore. Lunula ante-stigmaticalis alba, ad medium latitudinis alæ extensa, areolam oblongam transiens. Nervi ut in priori directi, modice tenues, fusci. Nervi furcati rami petiolo duplo longiores, recti, basi minime ventricosi. Halteres sordide albi, clava medio fusca. Pedes longi, tenues, pallidi, femorum, tibiarum tarsorumque summo apice fusco.

♀, mari similis, differt vero ano nitido, stylis 2 longiusculis, subulatis, rectis, ferrugineis.

29. *T. limbata:* pallide testacea, thoracis dorso læte cinereo, lineis subquatuor fuscis obsoletis; antennis pilosis nigris, articulis 2 primis flavis; palpis fuscis; alis cinereis, stigmate oblongo, fusco, utrinque albo-terminato; pedibus flavis, femorum tibiarumque apice, tarsisque, fuscis; ano maris modice magno. ♂. (Long. circiter 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 842. 12. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi, rarissime: ad officinam metallicam Kengis d. 22 Aug. 1821 inventa.

♂. Substraminea. Caput canescens. Antennæ simplices. Collare elevatum, pallidum. Stethidium subrunnescenti-canum,

thoracis dorso lineis 4 dilute fuscis, parum conspicuis, 2 mediis antice connexis, lateralibus antice abbreviatis. Vitta supra pleuras a collari ad radicem alarum albida. Scutellum testaceum. Abdomen testaceum, postice fuscum, incisuris pallidis. Anus mediocriter magnus, valvulis externis, superiori nempe et inferiori, breviusculis, basi fuscis, apice flavis, bifidis, angulis rotundatis (nec acutis). Partes ani interiores haud prominentes, apice flavæ, non ciliatæ. Alæ cinereohyalinæ, stigmate oblongo, dilute fusco, macula minori alba antice posticeque terminato. Punctum centrale et unum alterumqve in margine posteriori album adesse videntur, sed omnia minutissima, valde obsoleta, et non nisi certo luminis situ observanda. Areola suboralis. Nervi dilute fusci, furcati ordinarii rami petiolo duplo longiores, microscopice pilosuli, basi leniter ventricosi (nec recti). Furcæ anterioris ramus superior pone stigma breviusculus, integer. Halteres albidi, clava medio fuscana. Pedes longiusculi, tenues, pallidi, femorum tibiarumque summo apice, tarsisque, fuscis.

30. *T. nodicornis* Hffgg.: dilute cinerascens, thoracis vittis dorsalibus 4 latis fuscis; antennis thorace fere duplo longioribus (♂), aut illo paullo brevioribus (♀), nigricantibus, articulis 2 primis flavis; palpis obscuris; abdomine flavicante (in ♀ alis multo longiore), vitta dorsali fusca; alis cinerascentibus, stigmate parum conspicuo absque lunula alba; halteribus fuscis; pedibus fuscis, femoribus flavescentibus, apice obscuris; ano maris nigricante, modice magno, piloso, feminæ fusco. ♂♀. (Long. ♂ circiter 8, ♀ 10—11 lin.).

Meig. Dipt. 1. 185. 23. ♂. — et 6. p. 286. ♂♀. Schumm. Tipul. 78. 18. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 23. 32. ♂. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 466. ♂♀. Rossi, Dipl. Austr. 1848. p. 9. 15. *Tip. juncea* Hffgg. Meig. Dipt. 1. 184. 21. ♀.

Hab. in Scandinavia, raro: in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby marem et feminam 24 Jul. 1843 inveni; ad Olle Hau in Fåhrön Gottlandiæ 15—20 Jul. 1850 etiam utrumque sexum in magna copia legit D. *Dahlbom;* in Dania ad Frederiksbavn 2 mares a D. *Schiödte* capti, teste D. *Stæger;* iterum in Svecorum insula Gottlandia ad Nähr in floribus Heraclei femina deprehensa a Prof. *Wahlberg*, qui mihi scripsit: "speciem (sub nomine *T. juncea* Meig.) singularem esse et distinctissimam". — (Ambo sexus ad Gryphiam atque ad Moabite prope Berolinum 6—12 Jun. et 16 Jul. 1842—1843 a D. *Dahlbom* lecti; ex Hamburgo exemplum femineum a *von Winthem* olim missum quoque possideo).

♂ (*T. nodicornis* Hffgg.). "Rostrum et antennarum scapus flavicantia, flagello fusco-nigro. Antennæ thorace duplo longiores, fere ut in *Nephrotoma* constructæ, flagelli articulis nempe paullo excisis; sed tantum 13-articulatæ (nec 19 articulatæ). Caput linea fusca. Thoracis vittæ testaceæ. Scutellum flavescens. Abdominis 1:mum segmentum tantum basi sulphureum; abdominis linea media nigro-fusca, et in singulo segmento striga transversa nigra perspicua; linearum lateralium vestigium nullum. Alæ flavicantes, stigmate testaceo parum notabili. Halteres fusci. Femora flavida, apice fusco-nigro; tibiæ paullo obscuriores; tarsi nigri". Stæg. l. c. — "Rostrum griseo-flavum, antice et lateribus magis rufescenti-flavum. Palpi obscure cinerei. Caput griseum, raro linea obscura. Collare griseum. Thorax pallide fusco-cinereus, vittis 4 fuscis, plerumque perspicuis. Scutellum ferrugineum. Metathorax griseus. Pleuræ tantum medio transversim schistaceæ, antice et postice ferrugineæ. Abdomen melleum, vitta dorsali obscura, sæpe vitta ventrali fusca, et interdum linea utrinque laterali interrupta fusca. Segmentum 1:mum basi sulphureum, et anale dorsale nigro-fuscum. Fabrica ani sin-

gularis in Tab. 4. f. 1. depicta (*). Pedes nigro-fusci, coxarum articulo 1:mo schistaceo, 2:do et femoribus usque ad apicem obscurum, fuscescenti-flavis. Tibiæ basi testaceæ. Halteres flavescentes, clava obscura. Alæ pallide fusco-cinereæ, basi ad nervos transversos basales fusco-flavæ. Stigma fuscum, cellulis stigmaticalibus ex parte albidis. Nervi nigro-fusci". Schumm. l. c. (**).

♀ (*T. juncea* Hffgg.) a mare differt sequentibus: "antennis multo brevioribus, non longitudine thoracis, articulis 2 primis sæpe fuscis, 3:tio crasso, reliquis basi etiam paullo incrassatis; abdomine (alis) multo longiori et tenui, dorso sæpe cinerascente, unde vitta media plerumque latiuscula minus conspicua, vittis lateralibus fuscis interruptis; incisuris nitidis; ventre fere toto fusco; alarum stigmate nonnihil dilutiori; ano nitido, fusco". Meig. et Schumm.

Obs. Mea specimina (quorum 12 mares et 15 feminas numero) illis ab auctoribus ita descriptis in plurimis et essentialibus similia sunt, et vix discrepant nisi magnitudine paullo minori et colore paullulum obscuriori, ut ex nostra diagnosi speciei patet. Huic diagnosi sequentes notas tantum addere placet: ♂♀. Exsiccata. Caput flavido-canum, fronte latissima, linea media tenui fusca. Antennæ in ♂ thorace dimidio longiores, in ♀ illo fere dimidio breviores. Thoracis vittæ dorsales fuscæ distinctæ, mediæ approximatæ, integræ, laterales antice abbreviatæ, puncto humerali impresso. Scutellum ochraceo-flavum. Abdomen in ♀ alis multo longius, nudum, subnitidum, in utroque sexu cylindricum, tenuiusculum, flavo-luridum, lineis 3 fuscis, lateralibus sæpe obsoletis, incisuris pallidis; basi pallidius. Anus in ♂ mediocriter magnus, externe obscurus, valvula supriori apice angulatim emarginata, angulis apice deflexis; valvula inferiori medio in ligulam flavam margine inflexo extensa; ex partibus interioribus fusco-

---

*) tabula 4:ta in meo exemplari opusculi citati Schummeli desideratur, et forsan numquam in lucem prodiit.

**) caudæ fabricam in mare descripsit D. *Stæger* l. c.

flavidis appendices quatuor paullo prominent, nempe 2 superiores longiores, modice angustæ, longe pilosæ, et 2 inferiores breviores, lamelliformes, basi latæ, apice acutæ. Anus in ♀ nitidus, ferrugineo-fuscus, articulo 1:mo longo, cylindrico, basi et subtus valvulis dilutioribus arcte adpressis tecto; apice terminato stylis duobus articulo antecedente fere duplo brevioribus, conicis, angulatis, rectis, basi crassis, apice acutis, totis præsertim subtus pubescentibus; plus minus hiantibus. Alæ modice latæ, subfuscanæ, stigmate mediocri, nonnihil obscuriori, lunula alba nulla. Nervi validiusculi, obscuri, basi dilutiores. Areola oblonga, irregulariter quadrata. Furca ordinaria basi parum l. lenissime tantum ventricosa, ramis petiolo duplo longioribus. Ramus superior furcæ anterioris pone stigma modice brevis, integer. Halteres pallidi, clava fusca; raro toti fusci. Pedes elongati, tenues, coxarum articulo 1:mo cinereo, 2:do femoribusque flavis, his apice sat late obscuris. Tibiæ testaceæ, apice tarsisque fuscis.

†† corpore cinerascente: capite et thorace sæpe totis cinereis, abdomine interdum lurido aut testaceo (*T. nodicornis* thorace pallide cinerascente sub n:o 30 quærenda).

31. *T. Selene:* læte cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 latiusculis, fuscis; rostro, palporum basi antennisque ochraceo-flavis, harum flagello articulis basi fuscis; scutello pallescente; abdomine ochraceo-flavo, vitta dorsali obscura; alis cinereis, ante stigma fuscum lunula alba; pedibus ferrugineo-flavis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis; ano maris magno, obscuro, pilosulo, feminæ piceo, stylis subulatis, rectis, ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 8, ♀ 10—11 lin.).

Meig. Dipt. 6. 288. 49. ♂♀. Schumm. Tipul. 92. 40. ♂♀. Tab. 2. f. 6. 7 (anus maris). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 16. 21. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, passim, toto mense Julio mihi obvia; femina frequentius occurrit: scilicet in Scania parcius inventa: in insula Fåbrön juxta Gottlandiam ad cumulum arenosum insignem Olle Hau dictum, semel; in Norwegia ad Alstahaug et Levanger ♀ non raro; etiam e Töien prope Christianiam a D. *Siebke* missa; in Dania ex. gr. in Charlottenlund versus finem Junii sat copiose observata, brevi tempore vigens, D. *Stæger*, qui mihi etiam specimina ex utroque sexu communicavit.

♂♀. Similis *T. ochraceæ* (26) et *fascipenni* (27), sed in variis diversa. Dilute cinerea. Caput rufo-canescens, fronte lata, lineola impressa, fusca. Antennæ capite cum rostro et collari non multo longiores, subfiliformes, pilosæ, flavo-ferrugineæ, flagello fusco-annulato. Rostrum et palpi rufo-flava, hi articulo ultimo nigricante. Thoracis vittæ dorsales fuscæ, in ♀ præsertim distinctæ; mediæ integræ. Pleurarum vitta ordinaria pallida a collari ad radicem alarum. Thorax pone suturam et metathorax rufo-cinerei, lineola media fusca. Scutellum ochraceum. Abdomen flavo-ferrugineum, in ♂ linea dorsali fusca; in ♀ vittis 3 obscuris, media (et supra et infra) latiori et distinctiori. Anus in ♂ magnus, tumidus, ferrugineus, pubescens, valvulis externis: superiori et inferiori, nigricantibus, apice emarginatis; partibus interioribus parum prominulis, harum quatuor breviter flavo-ciliatis; anus in ♀ longiusculus, niger, nitidus, stylis 4 rectis ferrugineis, terminatus, quorum 2 superiores longiores, subulati, 2 inferiores breviores et crassiores. Alæ longiusculæ, cinereæ, stigmate mediocri, fusco. Nervi mediocres, fusci, basi flavidi. Lunula antestigmaticalis alba, sat distincta, basin areolæ ovatæ etiam excipiens. Furca ordinaria apicalis non ventricosa, ramis subrectis petiolo saltem duplo longioribus. Ramus superior furcæ anterioris pone stigma modice longus, integer. Halteres pallidi, clava medio fusca. Pedes valde longi (præsertim in ♂), tenues, ut in *T. nodicorni* (30) colorati.

32. *T. flavo-lineata:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 latiusculis, fuscis; capite rostroque canis; palpis antennisque fuscescentibus, his basi flavis; abdomine: in ♂ ferrugineo-ochraceo, lineis longitudinalibus 4 fuscis; in ♀ fusco, linea dorsali flava; alis cinereis, ante stigma testaceum lunula brevi subobsoleta albida; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque, fuscis; ano maris —? feminæ piceo, stylis subulatis, rectis, ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 8, ♀ 10—11 lin.).

Meig. Dipt. 1. 185. 24. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 87. 24. ♂♀. Stæg. Dipt. Daniæ 1840. 17. 23. ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarius; marem non vidi, sed feminas aliquot in Scania olim a beat. *Fries*, et in Jemtlandia ad radicem alpis Mulfjellet 27 Jun. 1840 a me, captas lustravi; e Töien Norwegiæ 4 Jun. 1847 capta communicata a D. *Siebke;* in Dania ad Skovsborg uterque sexus, D. *Drewsen*, testante D. *Stæger*.

♀. Priori sat similis et affinis, sed rostro cano, nec ferrugineo, palpis totis fuscis, abdomine aliter picto, alarum stigmate testaceo, nec fusco, lunula albida minori obsoletiori, ramulo superiori furcæ anterioris pone stigma paullo breviori, etc., abunde distincta. Caput rufescenti-canum, fronte lata, vix vestigio lineolæ impressæ fuscæ. Antennæ capite cum rostro nonnihil longiores, filiformes, fuscescentes, articulis 2 l. 3 primis flavis, immaculatis, reliquis basi annulo obscuriori. Palpi plus minus pallide fusci. Thoracis vittæ fuscæ perspicuæ, mediæ approximatæ, integræ. Pleurarum vitta ordinaria albida superne adest. Abdomen fuscum, vitta media et linea utrinque laterali ferrugineis; incisuris pallidis. Anus niger, nitidus, stylis 4 rectis, ferrugineis, longiusculis, superioribus subulatis, subhiantibus (post mortem), inferioribus nonnihil brevioribus, latioribus, compressis, conniventibus. Alæ cinereæ, basi et stigmate flavidis. Areola oblonga. Furca ordi-

naria ut in priori, sed ramis forte paullo longioribus. Halteres et pedes ut in præcedente.

♂, antennis longitudine dimidii corporis (?), et abdomine lurido, lineis 4 longitudinalibus fuscis, a ♀ diversus, a *Meigen* l. c. designatur, mihi ignotus.

Obs. Nympha hujus speciei, in truncis Betulæ deustis inventa, 10 lin. longa, fusco-flava segmentorum margine nigro, etc., a D. *Stæger* l. c. describitur.

33. *T. oleracea:* griseo-cinerascens, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, obscure marginatis, media latissima; antennis nigris (♂), aut fuscis (♀), articulis 2 basalibus testaceis; abdomine cinereo (♂), aut lurido (♀); alis cinerascentibus, vitta albida valde obsoleta juxta marginem costalem fuscum; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque, obscuris; ano maris lamellis lateralibus pallide ochraceis, feminæ ferrugineo stylis longis subulatis rectis. ♂♀. (Long. ♂ 7—8, ♀ 9—11 lin.).

Linn. Fn. Sv. n:o 1740 (ubi synonyma veterum citantur). — System. Nat. 2. 971. 5. Deg. Ins. 6. 339. 1. T. 18. f. 12. ♂. 13. ♀. Bjerkander, Act. Holm. 1779. p. 161: (larva, pupa et imago). — Schrank, Ins. Austr. p. 420. 850. Fabr. Antl. 23. 3. Latr. Gen. 4. 256. Meig. Dipt. 1. 189. 30. Schumm. Tipul. 68. 26. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 82. 5. ♂♀. T. 1. f. 11 (caput). Dahlb. Skand. Ins. Lund. 1837. p. 331. 227. Zett. Ins. Lapp. 843. 13. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 14. 17. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 20. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 466.

Hab. in pratis, hortis et pascuis, Jul. Aug. Sept., per Scandinaviam meridionalem et mediam, vulgatissime, versus septentrionem rarius (ex. gr. in Norwegia ad Smölen et Töien mense Junio a D. *Siebke* capta); vespere

præsertim copiose apparens; in copula frequenter observata. Feminas ova in terra humida deponere sæpe vidi. (Ad pagum Moabite prope Berolinum 14 Aug. 1847 abundans, D. *Dahlbom)*.

♂♀. Pallide cinerea. Frons lata. Antennæ verticillatim pilosæ, in ♂ longitudine thoracis, cylindricæ, nigræ, articulis 2 primis flavis; in ♀ tantum capite rostroque paullo longiores, subfiliformes, fuscæ, articulis 1 et 2 (interdum etiam 3 et 4) basalibus ferrugineis. Rostrum ferrugineo-ochraceum. Palpi fusci, basi sæpe rufescentes. Oculi in viva virides. Thoracis vittæ dorsales tres minus perspicuæ, subfuscæ, obscurius marginatæ, media latissima, revera gemina saltem antice per lineam abbreviatam anguste divisa; laterales antice abbreviatæ; punctum ante humeros impressum, nigrum. Margo lateralis certo situ distincte obscure fuscus, sub quo (in pleuris) vitta ordinaria rugosa sordide alba observatur. Abdomen in ♂ cinerascens; in ♀ plerumque luridum, linea dorsali sæpe fusca obsoleta, et in singulo segmento utrinque strigula transversa fusca. Incisuræ pallidæ. Anus in ♂ modice magnus, valvulis 2 latis, superne conniventibus, totis pallidis l. stramineis; partibus interioribus non prominentibus et vix ciliatis; in ♀ nitidus ferugineus, stylis 4 longis rectis pallidioribus, horum 2 superioribus paullo longioribus, valde subulatis, inferioribus paullo crassioribus. Alæ mediocres (in ♀ abdomine distincte breviores), cinereæ, margine costali a basi ad apicem posteriorem stigmatis parum notati sat perspicue fusco, et mox infra illum vitta longitudinali angusta albida, plerumque valde obsoleta et vix nisi certo luminis situ conspicienda. Nervi dilute fusci l. ferruginei. Areola ovata, subpentagona. Furca ordinaria basi haud ventricosa, ramis petiolo saltem duplo longioribus. Ramus superior furcæ anterioris pone stigma modice brevis. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes tenues, in ♂ paullo longiores, quam in ♀. Femora, tibiæ et tarsi fere æque longa, at tarsi posteriores tibiis paullo longiores. Color pedum ut in *T. Selene.*

34. *T. paludosa:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media latissima; antennis obscuris, articulis 2 basalibus flavo-ferrugineis; abdomine cinereo (♂), aut ferruginoso (♀), sæpe lineola dorsali tenui fusca; alis fuscanis, margine costali saturatiori; vitta submarginali albida nulla; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano maris lamellis lateralibus pallide ochraceis, feminæ ferrugineo stylis longis subulatis rectis. ♂♀. (Long. ♂ circiter $7\frac{1}{2}$, ♀ circiter 10—11 lin.).

Meig. Dipt. 6. 289. 50. ♂♀. Schumm. Tipul. 66. 25. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 14. 18. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali et media cum priori, minus frequens; in Scania aliquoties lecta; in Smolandià in luco ad Berga 3—5 Aug. 1850 utrumque sexum invenit D. *Dahlbom*; in Daniæ paludibus sylvaticis Jun. et Aug. sat vulgaris, D. *Stæger.*

♂♀. A præcedente, cui valde similis, vix differt nisi alis paullo obscurioribus, subunicoloribus, costa tantum fusca, vitta submarginali alba deficiente, ut et pedibus paullo crassioribus. Caput canum, linea frontali sæpe fusca. Antennæ in ♂ longitudine fere thoracis, nigricantes, articulis 2 primis flavis l. ferrugineis; in ♀ breviores, fuscæ, articulis 2, interdum 3 l. 4 primis ferrugineis. Thoracis vittæ dorsales fuscæ tres, subconfluentes, media latissima, subgemina. Scutellum rufocinereum. Metathorax et pleuræ læte cinerea, hæ juxta marginem thoracis vitta ordinaria pallida. Abdomen in ♂ cinereum, ano ferrugineo-flavo; in ♀ alis multo longius, ferruginosum, ano elongato nitido ferrugineo. Alæ et pedes ut in diagnosi. Nervi fusci, basi flavidi. Pedes in ♂ antici tarsis breviusculis, posteriores tarsis valde elongatis; in ♀ pedes paullo breviores. Coxarum articulus 1:mus griseus.

Obs. Hæc species mihi anceps videtur.

35. *T. fusca:* fusco-cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis obscure marginatis, media linea longitudinali nigra notata; antennis palpisque obscuris, illis basi flavescentibus; abdominis vitta dorsali fusca, incisuris albidis; alis cinereis, costa fusca; halteribus fuscis; pedibus nigris, femoribus basi testaceis; ano maris supra ferrugineo, subtus griseo, lateribus nigricante; feminæ nitido nigro, stylis ferrugineis, subulatis, rectis. ♂♀. (Long. 6—7 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 14. 19. ♂♀. *Tip. fimbriata* Meig. Dipt. 1. 190. 31? (opinante *Stæger*).

Hab. in Dania: locis uliginosis in Charlottenlund Sept. Oct., D. *Stæger.* Mihi ignota.

♂♀. "Magnitudine paullo minori, colore præcipue alarum pedumque obscuriore, ut et tempore vigendi seriori, hæc a *T. oleracea* et *paludosa* facile distingvitur. — Obscure cinerea. Palpi et antennæ nigro-fusca, harum articulis basalibus plus minus flavicantibus. Thoracis vittæ tres obscure fuscæ, nigromarginatæ, harum media per lineam longitudinalem nigram divisa. Abdomen linea dorsali lata, obscura, et incisuris albidis; segmento 1:mo basi albo-cinereo. Cauda maris: supra ferrugineo-flava, subtus cinerea, lateribus nigricans, linea transversa flava; feminæ nitida, nigra, forcipe ferruginea, recta, acuta (subulata?). Alæ fusco-cinereæ, margine antico obscure fusco, in cellula (area) basali 1:ma stria tenui albomicante. Halteres toti obscuri. Pedes nigri, femoribus basi flavo-fuscis." Stæg. l. c.

36. *T. marginata:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media geminata; antennis palpisque obscuris, illis articulis 2 (♂), aut 3 (♀) primis testaceis, his basi pallide fuscis; abdomine nigro-fusco, basi pallide maculato, ano ferrugineo; alis fuscescentibus, medio pallidis: mar-

gine antico nigricante; pedibus obscuris, femoribus a basi ad medium ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Meig. Dipt. I. 173. 5. ♂. Schumm. Tipul. 61. 22. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 83. 9. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 14. 15. ♂♀.

Hab. in Dania raro: in pratis ad Leersjön in fine Junii, D. *Stæger*. Mihi non cognita.

♂. "Palpi fusci, basi pallida. Antennæ longitudine capitis thoracisque simul sumtorum, articulo 1:mo et 2:do testaceis, flagello obscure fusco, basi etiam flava. Frons cinerea, linea longitudinali fusca, orbita oculorum albida. Rostrum supra fusco-rufum, subtus nigro-fuscum. Thorax cinereus, vittis dorsalibus 3 fuscis, media duplicata, lateralibus parvis, ante has puncto fusco. Scutellum et matathorax rufescenti-fusca. Abdomen basi fascia transversa angusta albida, et mox pone illam macula semiorbiculata ferruginea, quæ antice utrinque puncto nigro notatur; abdomen de cetero supra obscure fuscum, nitidum, lateribus subtestaceum; sæpe vestigio lineæ dorsalis ferrugineæ. Anus ferrugineus. Pedes longi, imprimis tarsi; nigro-fusci, femoribus a basi ad medium ferrugineis. Halteres flavi, clava fuscescente. Alæ fuscescentes, a basi ad nervos transversos (ordinarios) medio vitta pallide flavida extus latiori; ad marginem costalem quoque vitta nigro-fusca, prope basin incipiente et fere usque ad stigma extensa; inter has 2 vittas interstitium pallide flavo-coloratum. Nervus 3:tius longitudinalis, et transversorum infimus obscure infuscati. — In pratis sylvaticis Junio." Meigen l. c.

♀ similis mari, sed differt: "antennis brevioribus, articulo etiam 3:tio toto (nec solum basi) ferrugineo, ano et forcipe recta, tenui, nitidis, fusco-flavis". Schumm. l. c.

37. *T. lateralis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media lata, linea longitudinali obscura inscripta; antennis subfiliformibus palpisque obscuris, illis basi ro-

stroque luridis; abdominis vitta laterali nigro-fusca; alis cinereis, nervis et stigmate fuscis, costa subtestacea, lunula albida; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano maris parvo, externe obscuro, partibus internis pallidis, feminæ brevi, ferrugineo, stylis brevibus, subulatis, rectis. ♂♀. (Long. ♂ 5½ fere 6, ♀ 6½—7 lin.).

Meig. Dipt. 1. 174. 6. ♂♀. Schumm. Tipul. 57. 20. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 86. 21. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 843. 14. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 14. 16. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 9. 4.

Hab. in fruticibus et graminosis, per hortos, prata et silvas Scandinaviæ præsertim meridionalis et mediæ, verno tempore et iterum Jul. Aug., sat vulgaris, in copula quoque pluries deprehensa; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Norwegia ad Töien, D. *Siebke*; in Dania tota æstate frequens, D. *Stæger*. (Ad Eldenam prope Gryphiam, et ad Neuenkirchen, specimina utriusque sexus 15—28 Maj. copiose legit D. *Dahlbom*).

♂♀. Per thoracis, abdominis alarumque picturam, ut et caudam in utroque sexu brevem, ab affinibus facile dignoscenda. — Tota cinerascens. Caput griseum, fronte lata, linea longitudinali tenui fusca (quæ deinde per collare, thoracem, scutellum et metathoracem continuatur). Antennæ pilosæ, in ♂ longitudine fere thoracis, subcylindricæ, nigræ, basi (articulis 1, 2 interdum etiam 3:tio) cinereæ aut rufescenti-cinereæ; in ♀ paullo breviores, subfiliformes, fuscæ, articulis 4 l. 5 primis sordide ferruginosis. Rostrum rufo-cinereum. Palpi obscuri. Oculi in viva virescentes. Thoracis vittæ dorsales fuscæ, obscure marginatæ, media præsertim lata, integra, li-

nea tenui obscuriori inscripta; laterales antice paullo abbreviatæ, et antice puncto nigro impresso. Pleuræ canæ, vitta ordinaria superna sordide rufescenti-albida. Abdomen cinereum, dorso vittis 2 versus latera fuscis, postice sæpe coëuntibus, incisuris tenuiter albidis. Anus parvus: in ♂ valvula superiori breviuscula, lata, obscura, apice biemarginata; partibus interioribus pallidis, quarum sex subæque magnæ paullo prominent, nempe 2 superiores ovatæ, compressæ, apice acutæ, pilosulæ, 2 mediæ fornicatæ, nudæ, et 2 inferiores membranaceæ, integræ, nudæ; in ♀ anus valde brevis, subnitidus, ferrugineus, stylis 4, quorum 2 brevissimis, et 2 brevibus, subulatis, rectis, leniter divergentibus. Alæ subangustatæ, leniter subfuscanæ, costa et stigmate saturatioribus, lunula antestigmaticali alba. Nervi obscuri, distincti, 3:tius longitudinalis (a margine interiori), atque transversus inferior, præsertim validi et infuscati. Areola oblonga, minime lata. Furca ordinaria (apicalis) subangusta, ramis petiolo saltem duplo longioribus. Ramus superior furcæ anterioris pone stigma brevis, integer. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes elongati, graciles, coxarum articulo 1:mo rufocinerascente, 2:do femoribusque flavo-ferrugineis, his apice obscuris. Tibiæ testaceæ, apice tarsisque fere totis obscuris. Tarsi in ♂ tibiis paullo longiores. — Variat ♀ vitta alarum nigra intra marginem costalem a basi ad stigma extensa; talia exempla præsertim e Neuenkirchen obtinui.

Obs. *Tip. lateralis* Meig. ♂, est "*Tip. variegata*" Mus. Linn. ex parte, asseverante *Haliday*.

38. *T. lunata:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 fuscis; antennis palpisque obscuris; abdomine lineis 3 angustis, fuscis; alis cinerascentibus, lunula antestigmaticali alba; pedibus subferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano maris obscuro, apice ferrugineo, subtus fasciculo pilorum aureo-flavorum; feminæ nitido fusco-ferrugineo, stylis brevibus tenuibus rectis fusco-flavis. ♂♀. (Long. ♂ 7, ♀ $8\frac{2}{3}$ lin.).

Linn. Fn. Sv. p. 432. n:o 2744? (*T. lunata:* alis cinerascentibus lunula marginali alba). — Meig. Dipt. I. 188. 28. ♂♀. Schumm. Tipul. 87. 37. ♂♀. Tab. I. f. 14. 15. (anus maris). Macqv. Buff. I. 86. 22. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 17. 24. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ pratis, rarius: in Scania ad Röddinge 19 Jun. 1850 marem invenit D. *Dahlbom*; in Dania mense Aug., D. *Stæger*. Femina mihi non rite cognita.

♂♀. "Palpi et antennæ obscure fusca. (Antennæ in ♂ cylindricæ, pilosæ, nigro-fuscæ, articulo 2:do ferrugineo, 1:mo cinereo, raro flavido; in ♀ paullo breviores, obscuræ, articulis 3 l. 4 primis sæpe ferrugineis. Schumm.). Caput læte cinereum, rostro subtus fusco. Thorax cinereus, vittis 4 dilute fuscis; metathorace etiam sæpe fusco-maculato. Abdomen obscure cinereum (glaucescenti-cinereum, Schumm.), lineis 3 obscure fuscis (et incisuris tenuiter albis, Schumm.). Halteres fusci (testacei, Schumm.), clava obscuriore. Alæ pallide fusco-cinereæ, stigmate testaceo; ante hoc lunula alba (non multo conspicua, Schumm.). (Nervi obscuri, basi testacei, Schumm.). Femora et tibiæ testacea, apice et tarsis nigro-fusca. (Pedes nigro-fusci, coxarum articulo 1:mo schistaceo, 2:do femoribusque fere ad medium testaceis, his versus apicem obscuris, Schumm.)". Meig. l. c. — Specimen scanense masculum gaudet antennarum articulis 4 primis fusco-rufescentibus et ano mediocri, nigricante, forcipibus 2 ligulatis, inflexis, pallide flavis, atque subtus (ad apicem segmenti ventralis ultimi) lamina elevata dense aureo-villosa.

Obs. 1. An hæc sit Linnæi vera *Tip. lunata* ex descriptione ejus perbrevi et insuficiente dijudicare non possum. In Svecia plures obveniunt *Tipulæ* cinereæ lunula alarum alba, inter quas *T. lunata* Auctorum, si cum Linnæana vere identica sit, sane inter rariores numeranda. In Germania, Sile-

sia, Austria, Gallia frequens videtur. — *Tip. lunata* Fabr. pro *Tip. ochracea* Meig habetur.

Obs. 2. Teste *Haliday*, "*Tip. lunata*" in museo Linnæo est *Tip. ochracea* Meig. ♂.

39. *T. Diana:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 fuscis, mediis approximatis; antennis (in ♂ subtus serratis) nudis, nigris, articulo 3:tio ferruginante; palpis obscuris, basi subrufescentibus; abdomine vitta unica dorsali nigro-fusca; alis cinerascentibus, stigmate fusco, lunula alba; pedibus testaceis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis; ano maris nigro, lamellis 4 prominulis, latis, ferrugineo-flavis; feminæ brevi obscuro, stylis 2 elongatis subulatis rectis ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 5, ♀ 6 lin.).

Meig. Dipt. 1. 189. 29. ♀. Tab. 6. f. 8 (femina). — Schumm. Tipul. 85. 36. ♂♀. Tab. 1. f. 9 (antenna maris), f. 12, 13 (anus maris). — Macqv. Buff. 1. 86. 23. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 18. 25. ♂. *Tip. turcica* Fabr. Ent. Syst. 4. 237. 14. — et Antl. 27. 16.

Hab. in Scandinaviæ pratis valde rara; marem in Dania ad Leersjön Jun. et Aug. legit D. *Stæger;* feminam in Sveciæ Scania ad Lund d. 1 Jun. 1838 invenit mihique communicavit D. *Dahlbom.*

♀. Caput subsessile, pilosulum, subtus canum, supra obscure cinereum, fronte latissima, macula media fusca, orbita oculorum albida. Antennæ capite cum rostro parum longiores, versus apicem tenuiores, totæ nigræ, articulo 3:tio fere toto ferrugineo, articulo 1:mo pubescente, flagello nudo, articulis subtus parum serrulatis. Rostrum nigrum, subtus testaceum. Palpi obscuri, basi rufescentes. Oculi parvi. Thorax cinereus, vittis 4 latiusculis, obscure fuscis, mediis integris, approxi-

matis, antice subconnexis, lateralibus abbreviatis, antice puncto nigro impresso. Regio pone radicem alarum pallide flava. Pleuræ canescentes, superne ad thoracem fascia ordinaria pallida. Abdomen cinereum, vitta dorsali determinata nigro-fusca; subtus (margine inflexo) utrinque linea albido-flava; incisuris dorsalibus posterioribus tenuiter albidis. Anus brevis, nigricans, subopacus, apice stylis 2 longis, linearibus l. subulatis, rectis nitidis, flavo-ferrugineis. Alæ modice angustæ, dilute cinerascentes, costa testacea, stigmate fusco; lunula ante stigma alba, non multo evidens. Nervi distincti, fusci, basi flavidi. Areola oblonga. Furca ordinaria mediocris, ramis apice sat divergentibus, petiolo circiter $2\frac{1}{2}$ longioribus. Ramulus superior furcæ anterioris, brevis, integer. Halteres pallidi, clava fusca, Pedes tenues, modice longi, tibiis femoribus, et tarsis tibiis, parum longioribus; ut in diagnosi colorati. Coxarum articulus 1:mus cinereus.

♂ (a me non visus) secundum *Stæger* differt a femina: antennis (in flagello) subtus serratis, totis nigris, articulo 1:mo rufescente, cylindrico, crasso, distincte piloso; 2:do brevi, cyathiformi; 3:tio longitudine 1:mi, basi ferruginante, hoc et sequentibus 8 subtus serratis; 9:no cylindrico (tenui?), apice brevi, subulato. Cauda nigra, lamellis 4 prominentibus, latis (ovatis?), ferrugineo-flavis; margine segmenti superioris analis apicibus 4 rufescentibus; segmento abdominali ultimo brevi, margine posteriori recto et æquali. — Conferantur etiam Schummeli Tab. 1. figuræ 9, 12 et 13 (maris antennæ et ani).

40. *T. macrocera:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 modice latis fuscis; antennis pilosis, in ♂ capite thoraceque nonnihil longioribus, cylindricis, nigris, articulis 2 primis fuscis; in ♀ capite cum rostro parum longioribus, subfiliformibus, fuscis, articulo 2:do rufescente; palpis obscuris; abdomine obscure lurido, incisuris pallidis; alis dilute cinereis, stigmate fusco, intus macula

alba; pedibus obscuris, femorum basi ferruginea; ano maris parvo, apice flavo; feminæ rufescente. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Tip. longicornis Zett. Ins. Lapp. 843. 15. ♂♀.

Hab. in Lapponiæ et Bottniæ borealis paludosis sylvaticis, Jun. Jul. et Aug., minus frequens; scilicet ad Lycksele, Pello, Wittangi et Juckasjervi inventa, in copula quoque deprehensa.

♂♀. Similis *T. vernali* (22), et *longicorni* (24), sed variis dignota. Caput subsessile, cinereum, fronte latissima, linea glaucescente, interdum obsoleta. Antennæ in ♂ thorace dimidio longiores, articulis flagelli elongatis, basi subnodulosis; in ♀ thorace dimidio breviores, simplices, extrorsum attenuatæ; in utroque sexu articulo 1:mo mediocri, 2:do brevissimo, 3:tio longissimo, reliqvis sensim paullo brevioribus. Thoracis vittæ dorsales 3 fuscæ, interdum obsoletæ, media paullo latior, per lineolam tenuissimam cineream divisa. Pleurarum vitta superna ordinaria pallida adest. Abdomen basi indeterminate luridum, posterius fuscum l. obscurum, incisuris et margine laterali albidis. Anus maris parvus, fuscus, partibus interioribus haud prominulis, flavicantibus; feminæ rufescens, stylis in nostris individuis abscissis. Alæ (in speciminibus vetustis) subcinerascentes l. albido-hyalinæ, nervis sat distinctis obscuris; basi pallidæ. Macula stigmaticalis non magna, dilute fusca, intus macula minori alba terminata. Areola oblongo-ovata. Furca ordinaria ramis petiolo plerumque duplo longioribus, apice sat late divergentibus, basi leniter ventricosis. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma modice brevis integer. Alæ modico spatio ab oculo et ante objectum obscurum visæ, paullo fuscanæ et certo luminis situ macula una alterave parva alba ornatæ videntur. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes elongati (præsertim in ♂), tenues, obscuri, femoribus ad medium l. paullo ultra medium ferrugineis. Coxarum articulus 1:mus cinerascens. Tibiæ basi (in exsiccatis) etiam testaceæ.

41. *T. serricornis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 obscure fuscis, media lata, lineola tenui nigra inscripta; antennis longitudine fere thoracis, nigris, articulis 1:mo piloso, flagelli nudis, subtus distincte serratis; palpis nigricantibus; abdomine obscuro, incisuris albidis; alis cinerascentibus, stigmate fusco et lunula alba subobsoletis, ramis furcæ ordinariæ petiolo saltem duplo longioribus, apice modice divergentibus; pedibus nigricantibus, femoribus basi ferrugineis; ano maris parvo, brevi, apice lamellis 4 erectis flavis. ♂. (Long. 4—4½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 844. 16. ♂.

Hab. in Bottnia boreali et Lapponia rarius, Majo, Jun. et iterum Aug. capta: scilicet in floribus salicis ad Karungi et Juckasjervi Lapponiæ Tornensis, atque in Norwegia ad Alten Finmarkiæ inventa.

♂ mari duarum proxime præcedentium affinis et similis, sed a *T. Diana* antennarum articulo 1:mo nigro, nec rufescente, et thoracis vittis dorsalibus 3 (nec 4), media per lineolam tenuissimam nigram, nec cineream, subdivisa; atque a *T. macrocera* colore corporis paullo obscuriori, antennis brevioribus, flagello intus serrato, macula stigmaticali fusca pallidiori, ut et lunula alba in medium latitudinis alæ fere extensa (nec brevissima maculiformi), angusta, obsoleta, diversus videtur. Caput pilosum, cinereum, fronte latissima, macula obscura. Antennarum articulus 1:mus longus, cylindricus, 2:dus brevissimus, cyathiformis, 3:tius 1:mo paullo brevior, et sequentes breves, intus apice dilatati, ultimus simplex, acutus. Articulus 3:tius ima basi subrufescens. Rostrum nigrum. Stethidium cinereum, thoracis dorso pilosulo, vittis 3 latiusculis obscuris, lateralibus abbreviatis, media latiori medio linea longitudinali nigra notata, quæ per scutellum et metathoracem continuatur. Abdomen obscurum, in diu exsiccatis fere nigricans, incisuris posterioribus et supra et subtus tenuiter,

et margine laterali, albidis. Anus parvus, valde brevis, lamellis 4 rotundatis flavis. Alæ ut in diagnosi. Nervi fusci, basi (ante transversos basales) flavescentes. Areola discoidalis oblonga. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma brevis, integer.

Obs. Tip. serricornis Macqv. Dipteres Exot. Supplem. 1846. p. 13. 12. a nostra specie est longe diversa.

42. *T. subserricornis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 obscure fuscis, media lata lineola tenui cinerea inscripta; antennis in ♂ longitudine vix thoracis, subtus subserratis; in ♀ capite cum rostro parum longioribus, subtusque parum serrulatis; in utroque sexu totis nigris, nudis, articulo 1:mo piloso; palpis nigricantibus; abdomine obscure cinereo, vitta dorsali saturatiori; incisuris albidis; alis cinerascentibus, stigmate fusco, lunula alba; ramis furcæ ordinariæ petiolo saltem duplo longioribus, apice sat late divergentibus; pedibus nigricantibus, basi ferrugineis; ano maris parvo, brevi, apice lamellis 4 erectis flavis; feminæ brevi, obscuro, stylis 2 breviusculis subulatis rectis fusco-ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ $4\frac{1}{2}$, ♀ fere 6 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, rarissime: in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan, et in jugo alpino Norwegiæ inter Suul et Kongsstuen Værdaliæ marem et feminam 29 Jun. et 16 Jul. 1840 inveni.

♂♀. *T. Dianæ* et *serricorni* iterum similis, et in paucis tantum discrepans. Caput ut in *T. serricorni.* Antennæ etiam ut in illa, sed in ♂ subtus minus distincte serratis, in ♀ adhuc paullo minus et tantum obtusissime subserrulatis, et in utroque sexu totæ atræ, ne quidum articulo 3:tio basi rufescente. Palpi toti nigricantes. Orbita oculorum albida. Thorax ut in priori, sed vitta dorsalis media per lineolam longi-

tudinalem tenuissimam cineream, nec nigram, antice evanescentem, subdivisa. Abdomen in mare ut in *T. serricorni*, etiam quoad structuram et colorem ani, sed vitta dorsali in *subserricorni* forte paullo distinctiori (in specimine bene conservato); in femina sordide cinereum, vitta dorsali obscura, incisuris tenuissime albidis, ano brevissimo obscuro, stylis apicalibus 2 breviusculis rectis subulatis ferrugineis, apice fuscis. Alæ modice latæ, in ♂ subfuscanæ, stigmate obscuriori, lunula alba sat distincta, ad medium alæ descendente etiam basin areolæ excipiente; in ♀ cinerascentes, stigmate obscuriori, lunula alba minus conspicua; in utroqe sexu nervi etiam ad basin alæ fusci, areola oblonga, ramulus superior furcæ anterioris pone stigma brevissimus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longi (præsertim in ♂), tenues, nigricantes, coxarum articulo 1:mo cinereo, 2:do femoribusque circiter ad medium ferrugineis. Femora postica imprimis in ♀ latius et fere ad apicem fuscum ferruginea; tibiæ etiam (in ♀) basi testaceæ.

43. *T. subnodicornis:* læte cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 obscure fuscis, media subgemina; antennis in ♂ thorace paullo longioribus, articulis flagelli nodosis; in ♀ thorace paullo brevioribus; in utroque sexu nigris, pilosis; palpis obscuris; alis albido-cinereis, nervis validis, stigmateque obsoleto, fuscis; pedibus in ♀ subvalidis, in utroque sexu nigricantibus, basi ferrugineis; ano in ♂ parvo, obscuro, in ♀ brevi, nitido, fusco, stylis modice longis, rectis, ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 5 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 844. 17. ♂♀.

Hab. in graminosis et paludosis, per Scandinaviam borealem et Lapponiam, Jun. Jul. passim, in copula etiam deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad Mulfjellet et Skalstugan sat frequens; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarius, D. *Dahlbom*; in Lappon. Lulensi, D. *An-*

dersson; in alpe Kälahög in jugo alpino Norwegiæ, usque in regionem nivalem adscendens, non parce.

♂♀. Proxime præcedentibus similis, sed colore corporis in fundo lætiori, antennis in ♂ nodosis, nec serratis, alis in utroque sexu subalbicantibus, nervis validis, stigmate obsoleto, lunula alba vix ulla, femoribus in ♀ validioribus, coxis totis cinereis, etc., certe distincta. Griseo- vel dilute cinerea. Caput rotundatum, subsessile. Frons latissima. Antennæ in ♂ nonnihil longiores, articulo 1:mo modice longo cylindrico piloso, 2:do brevissimo cyathiformi, 3:tio 1:mo paullo longiori, reliquis subelongatis, medio angustis, basi verticillatim pilosis, ultimo simplici; in ♀ capite cum rostro parum l. paullo tantum longiores, simplices, filiformes, pilosiusculæ, articulis breviter oblongis; in utroque sexu totæ nigræ. Palpi nigricantes. Thoracis vittæ dorsales ut in *T. subserricorni.* Abdomen obscure cinereum, immaculatum, incisuris mediis tenuissime albidis. Anus in ♂ insolito parvus, in mortuo erectus, obscurus, appendiculis prominentibus nullis; in ♀ etiam brevis, præterea ut in diagnosi. Alarum nervi fusci, validiusculi, præsertim 3:tius long. a margine interiori, basi (ad nervulos transversos basales) flavidi. Areola oblonga. Rami furcæ ordinariæ variant plus minus elongati, petiolo normaliter duplo longiores, in uno exemplo femineo petiolo æque longi, apice semper parum modice divergentes. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma paullo longior, quam in priori, integer. Halteres fuscescentes, clava obscuriori. Pedes in ♂ longi, tenues, in ♀ paullo breviores et crassiores, in utroque sexu nigricantes, coxis totis cinereis, femoribus basi, vix ad medium, ferrugineis.

Var. b. ♂. in specimine juvenili antennarum articulo 2:do flavo. Lappon. Lulens. cum var. a.

44. *T. grisescens:* griseo-cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media subgemina; antennis in ♂ thorace paullo longioribus, articulis flagelli subnodulosis; in ♀

thorace paullo brevioribus, subcylindricis; in utroque sexu pilosis, fuscis, articulo 2:do rufo; palpis obscuris; abdomine lurido versus apicem fusco, incisuris albidis; alis albido-cinereis, nervis validiusculis stigmateque fuscis, macula antestigmaticali albida; pedibus fuscis, femoribus basi late ferrugineis; ano maris minusculo, fusco; feminæ longiusculo, nitido, basi fusco, stylis apicalibus subulatis rectis ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ circiter 6 lin.).

Hab. in Scania meridionali minus frequens, in copula quoque capta; scilicet ad Lund utrumque sexum mense Majo inveni, et feminam in Fogelsång 24 April 1838 legit D. *Dahlbom.* Tres mares totidemque feminas comparavi.

♂♀. *Tipulæ melanoceros* Schumm. Tipul. p. 75. 30. ♂. affinis et similis videtur, sed antennarum articulo 2:do distincte rufo-flavo, nec nigro-cinereo, etc., diversa. Griseo-cinerea. Frons latissima, immaculata. Antennæ in ♂ capite thoraceque fere dimidio longiores, articulis 1:mo modice longo, cylindrico, obscuro, et 2:do brevissimo, cyathiformi, ferrugineo-flavo, nudis, reliquis elongatis, cylindricis, basi subnodosis et pilosis, totis nigricantibus, articulo 2:do rufo. Thoracis vittæ dorsales 3, fuscæ, media late integra, per lineolam tenuissimam cineream divisa, laterales abbreviatæ, puncto antico ordinario nigro impresso. Scutellum, metathorax et pleuræ schistacea, harum vitta superna solita pallida. Abdomen aut fuscum, basi lutescens, aut plerumque (præsertim in ♂) luridum, versus apicem fuscum l. obscurum, incisuris pallidis. Anus in ♂ minusculus, fuscus, partibus interioribus parum prominulis, dilutioribus; in ♀ ut in diagnosi. Alæ modice longæ et latæ, albido-cinereæ, vitta medio certo situ subdilutiori, macula stigmaticali obscura sat distincta, ante quam macula minor albida obsoleta. Nervi validiusculi, 3:tius lon-

git. a margine interiori præcipue crassus, omnes fusci, basi flavidi, axillaris breviusculus. Area discoidalis oblonga, quadrata. Furca ordinaria (apicalis) ramis petiolo duplo longioribus, apice modice divergentibus, sed basi leniter ventricosis. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma modice longus, integer. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longiusculi, tenues, obscuri, coxarum articulo 1:mo cinereo, 2:do femoribusque circiter ad medium flavo-ferrugineis. Variat, uti sæpe in exsiccatis, tibiis basi testaceis.

45. T. *luteipennis:* pallide cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis subobsoletis, media lata per lineam tenuissimam obscuriorem divisa; antennis cylindricis pilosis fuscis, basi plus minus late ferrugineis, in ♂ longitudine thoracis, in ♀ hoc paullo brevioribus; rostro palpisque luteis; abdomine ferrugineo-luteo, vitta fusca; alis flavescentibus, stigmate concolore; pedibus ferrugineis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro; ano ferrugineo, maris breviusculo, feminæ longiusculo, stylis apicalibus subulatis, rectis, nitidis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 6, ♀ 6—7 lin.).

Meig. Dipt. 6. 288. 48. ♂♀. Schumm. Tipul. 76. 31. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 19. 28. ♂♀.

Hab. in paludosis, et graminosis juxta aquam, per hortos et prata silvatica Scandinaviæ meridionalis et mediæ, Aug., Septemb. et initio Octobris, passim frequens, in copula etiam sæpe capta; scilicet in Scania sat vulgaris et præsertim ad Lund (in Paradislyckan), et ad Esperöd in paroecia Tranås, copiose; in Ostrogothia ad Gusum et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Dania frequens, D. *Stæger*, a quo etiam specimina obtinui.

♂♀. Per alas flavescentes immaculatas, antennarum basin plerumque late ferrugineam, os lutescens, etc., in hac subdivisione dignota. Magnitudine majuscula, dilute cinerea. Frons inter oculos modice lata, linea media pallide fusca. Antennæ nigricantes l. fuscæ, basi plus minus late ferrugineo-flavæ. Rostrum et palpi rufescenti-testacea, hi apice sæpe fusci. Oculi in viva aureo-virides. Collum brevissimum. Thoracis vittæ dorsales 3 dilute fuscæ, plerumque obsoletæ, media latior, linea longitudinali obscuriori divisa; laterales abbreviatæ, puncto humerali impresso nigro. Vitta pleurarum pallida adest. Abdomen ferrugineo-luteum l. testaceum, vitta dorsali et ventrali fusca, plus minus conspicua; postice in ♂ supra fuscum, incisuris in utroque sexu pallidis. Anus maris non magnus, brevis, fuscus, partibus interioribus (superne lamellis 4 rotundatis, muticis) parum vel modice prominulis, ferrugineis; feminæ sat elongatus, parte antica rufa, opaca, stylis terminalibus 2 subulatis rectis flavo-ferrugineis nitidis. Alæ mediocres flavescentes, stigmate parum notabili, signo ante stigma albido certo situ conspiciendo. Nervi dilute fusci. Areola oblonga, utrinque acuta. Furca ordinaria mediocris, ramis rectiusculis, apice modice divergentibus, petiolo duplo, in ♂ sæpe $2\frac{1}{2}$, longioribus. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma modice longus, in ♀ paullo brevior. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes longi (præsertim in ♂), tenues, ferruginei, coxis rufo-cinereis, femorum tibiarumque apice, tarsisque sæpe fere totis, obscure fuscis.

Variat mas, a.: antennis totis ferrugineis, flagelli articulis basi nigris. Meig. Stæg.

b.: antennarum articulis 1 et 2 ferrugineis, 3—5 fuscis, basi nigris, reliquis totis obscuris. Schumm. Stæg.

c.: antennarum articulis 1 et 2 ferrugineis, reliquis nigris.

46. *T. lineata:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media lata medio linea tenuissima obscuriori; antennis cylindricis, pilosis, nigricantibus, in ♂ longitudine

fere thoracis, in ♀ paullo brevioribus; rostro fusco-cinereo; palpis obscuris; abdomine ferrugineo-luteo, vitta fusca; alis sordide cinerascentibus, stigmate dilute fusco, macula antestigmaticali albida obsoleta; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscure fuscis; ano ferrugineo, maris breviusculo, feminæ longiusculo, stylis apicalibus subulatis, rectis, nitidis. ♂♀. (Long. circiter 5, ♀ circiter 6 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 20. 29. ♀. *Tip. cervina* Meig. Dipt. I. 181. 17? ♂. *Tip. gracilis* Fries, Tipul. manuscr. 1826.

Hab. in paludosis, Aug. Sept. passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby *(Dahlbom)*, Esperöd in paroecia Tranås, etc., frequens; in Blekingia *(von Borck)*; in Lapponia Lulensi *(Andersson)*; in Dania in Ordrupmose copiose, D. *Stæger*. — 8 mares et 3 feminas comparavi.

♂♀. Similis *T. cervinæ* et *lineolæ* Meig., sed antennarum colore et abdominis pictura differre videtur. A *T. luteipenni*, cui quoque similis, magnitudine paullo minori, antennis obscurioribus, alis cinerascentibus (nec flavicantibus), ut et in mare lamellis caudalibus flavis nigro-margiatis, apice dentatis (nec flavis, margine concolore et integro). — Læte cinerea. Caput rotundatum, subsessile. Frons lata, macula pallide brunnea. Antennæ nigricantes, scapo sæpe griseo. Oculi in viva aureo-virides. Thoracis vittæ dorsales 3, plus minus intense fuscæ, interdum subobsoletæ, media semper latior, medio linea longitudinali angustissima obscuriori, in individuis lapponicis parum conspicua; laterales parvæ, abbreviatæ, antice puncto impresso nigro. Pleurarum vitta superna pallida adest. Abdomen ferrugineo-testaceum, vitta dorsali fusca, et plerumque alia ventrali ejusdem coloris. Anus in ♂ breviusculus, ferrugineo-flavus, lamellis 4 subovatis, quarum 2 su-

perioribus magis prominulis, margine nigris et denticulatis; in ♀ longiusculus, flavo-ochraceus, parte anteriori subcylindrica, opaca, stylis apicalibus 2, subulatis, rectis, nitidis. Alæ modice angustæ, sordide cinereæ, stigmate subtestaceo, ante quod vestigium maculæ albidæ. Nervi brunnescentes, basi et ad costam flavidi. Areola oblonga, utrinque subacuta. Furca ordinaria mediocris, ramis petiolo circiter duplo longioribus,, subrectis, apice modice divergentibus. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma modice brevis, integer. Halteres pallidi, clava parum fusciori. Pedes longi, tenues, in nostris speciminibus exsiccatis ferruginei, coxarum articulo 1:mo cinereo. Femorum tibiarumque apex plus minus late, et tarsi plerumque toti, obscure fusci.

47. *T. humilis:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 4 approximatis fuscis; antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 primis flavis; abdomine lurido, vittis 4 fuscis; alis cinereis, stigmate fusco, lunula alba; femoribus tibiisque testaceis, apice nigris. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 18. 26. ♂♀.

Hab. in Dania: in Charlottenlund d. 20 Jul. in copula capta, D. *Stæger*. Mihi ignota.

♂♀. "Palpi et antennæ nigra, harum articulis 2 basalibus pallide flavis, reliqvis (a 3:tio) in ♂ elongatis, cylindricis, basi apiceque incrassatis, illa longe verticillatim pilosa. Rostrum flavum (*), supra cinerascens. Frons cinerea, linea longitudinali obscura, obsoleta; orbita oculorum albida. Thorax flavo-cinereus, vittis 4 latis, approximatis, obscuris. Pleuræ schistaceæ, superne vitta pallida. Scutellum flavo-cinereum, linea longitudinali tenui, nigra. Metathorax cinereus. Abdomen sordide testaceum, vittis 4 latis, obscuris, incisuris albidis. Cauda fusco-flava: supra in ♂ lamellis 2 latis, pa-

*) forte in utroque sexu?

ullo acutiusculis, singula in latere interiori dente brevi, et medio macula ovali brunnea; segmentum ultimum ventrale margine posteriori angusto, paullo inflexo, angulis prominulis et lateribus obliqvis, integris; in lamellis lateralibus latis pone hoc segmentum sitis linea transversa nigra. Feminæ segmentum anale breve, forcipe longitudine hujus segmenti, ensiformi. Halteres pallidi, clava fusca. Alæ fusco-cinereæ, stigmate obscuro et ante hoc lunula alba. Femora et tibiæ fusco-flava (testacea) apicibus annulo nigro. Tarsi nigri". Stæg. l. c.

48. *T. pruinosa:* cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media lata medio linea longitudinali angustissima obscuriori inscripta; antennis palpisque totis nigris, illis in ♂ longitudine fere thoracis, cylindricis, pilosis, in ♀ paullo brevioribus, subfiliformibus, pubescentibus; abdomine glaucescente, vitta laterali fusca; alis fuscescentibus, stigmate dilute fusco, absque lunula alba; pedibus obscuris, femoribus basi ferrugineis; ano maris minusculo, ferrugineo, feminæ nitido brevi, obscuro, stylis apicalibus longiusculis, subulatis, rectis, ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 5—6, ♀ 6 interdum fere 7 lin.).

Meig. Dipt. 1. 191. 32. ♂♀. Schumm. Tipul. 72. 23. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 82. 7. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 23. 33. ♂♀.

Hab. in pratis paludosis et in graminosis ad aquam, per Scandinaviam meridionalem et mediam, fere tota æstate, passim, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Skarhult, etc., mens. Jun. et Jul. sat frequenter capta; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Norwegia ad Töien 6 Jul., *Siebke;* in Dania in pratis ad Leersjön copiose præsertim Jul. Sept.,

D. *Stæger*, qui etiam specimina utriuque sexus communicavit. (Ad Gryphiam Jul. 1843, D. *Dahlbom)*.

♂♀. Dilute cinerea, Frons latissima, medio linea longitudinali tenuissime fusca, quæ per thoracem, scutellum et metathoracem continuatur, in thorace vero paullo evidentior. Antennæ et palpi tota nigra. Thoracis vittæ dorsales 3 fuscæ, media latior, subcuneiformis, laterales abbreviatæ, antice puncto impresso nigro. Vitta pleurarum pallida superne adest. Abdomen angustatum, sericeum, dorso glaucescens, utrinque vitta laterali obscura, sub qua margo segmentorum lateralis lineam albidam format. Segmentum 1:mum margine basali pallido. Incisuræ præsertim posteriores albidæ. Anus maris non magnus, ferrugineus, valvula superiori incisa, sub qua laminæ 4 rotundatæ conniventes nonnihil dilutiores paullulum prominent, ad quarum basin puncta aliquot nigra conspiciuntur; feminæ ut in diagnosi. Alæ modice angustæ, subfuscæ, stigmate oblongo paullo distinctiori, intus lunulæ l. maculæ albæ vix vestigio. Nervi modice tenues, fusci, basi nonnihil pallidiores. Areola oblonga, subquadrata, apice subacuta. Furca ordinaria ramis petiolo circiter duplo longioribus, subrectis, apice non late divergentibus. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma modice brevis. Halteres testacei, clava fusca. Pedes elongati, tenues, obscuri, coxarum articulo 1:mo cinereo, 2:do femorumque basi circiter ad medium ferrugineis.

49. *T. 4-vittata:* dilute cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media gemina; antennis in ♂ thorace paullo longioribus, cylindricis, nigris, articulis 2 primis flavis, in ♀ paullo brevioribus, filiformibus, fuscis, basi testaceis; palpis obscuris, articulo 1:mo ferrugineo; abdomine angusto, lurido, nitido, vittis 4 nigricantibus (quarum 2 ventralibus); alis fuscescentibus, stigmate obsoleto, absque lunula alba; pedibus ferrugineis, femorum

tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano ferrugineo, maris parvo, superne stylis 2 brevibus atris; feminæ brevi, stylis 2 longiusculis, subulatis, rectis. ♂♀. (Long. ♂ fere 6, ♀ 7 lin. vel paullo ultra).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 21. 30. ♂♀.

Hab. in Dania: in pratis ad Leersjön mense Aug. copiose, D. *Stæger*, qui specimina utriusque sexus mecum communicavit.

♂♀. Per structuram ani in ♂, et abdomine gracili in utroque sexu, ab affinibus facile dignota. Similis priori, sed præter nuperrime allatas notas differt etiam antennis palpisque basi ferrugineis, ut et thoracis vitta media fusca per lineam cineream, nec nigram, divisa. Antennæ nigricantes, basi (plerumque articulis 2 primis) flavæ. Rostrum rufo-flavum, supra in ♀ cinerascens. Frons latissima, macula fusca. Thoracis vittæ ut in priori constructæ et coloratæ, sed linea media, quæ vittam mediam dividit, ut nuper dictum cinerea, plus minus distincta. Scutellum, thorax et metathorax postice, pleurarumque vitta superna, pallida. Abdomen (in ♀ alis paullo longius) tenue, nitidum, ochraceum, vittis 4 fuscis, quarum 2 dorsalibus versus latera, et 2 ventralibus, his plerumque evanescentibus l. post mortem a margine laterali lato albo tectis, ut rite observavit *Stæger*. Anus parvus, ferrugineus; in ♂ brevis, partibus interioribus parum prominulis, præter organa 2 parva (sub valvula superiori), conica, apice atra; in ♀ parte antica breviuscula, opaca, stylis apicalibus 2 longiusculis rectis nitidis. Alæ ut in præcedente etiam quoad colorem et nervorum directionem. Pedes longi, tenues, flavo-ferruginei, coxarum anteriorum articulo 1:mo cinereo, coxis posticis totis flavis, femorum tibiarumque apice, et plerumque tarsis totis, nigro-fuscis.

50. *T. pagana:* griseo-cinerea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis, media subgemina; antennis (in ♂) tho-

race fere longioribus, subcylindricis, nigris, articulo 2:do flavo; palpis obscuris; abdomine subangusto, lurido, postice fusco; alis cinereo-hyalinis, immaculatis; pedibus obscuris, femoribus basi ferrugineis; ano maris parvo, ferrugineo, flavo-lamellato. ♂. (Long. 4–4½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 184. 22. Stæg. Dipt. Dan. 1840 p. 19. 27. ♂. *Tip. luridiventris* Zett. Ins. Lapp. 844. 18. ♂.

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali, passim, versus autumnum vigens; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp *(Dahlbom)*, Kjeflinge, etc., 24 Sept. 3 Oct., non parce; in Ångermannia ad Hernösand 30 Aug. 1821, rarissime; in Norwegia ad Töien 6 Sept. 1849 a D. *Siebke* deprehensa; in graminosis horti Frederiksberg Daniæ 3—10 Oct. 1839, copiose, D. *Stæger*. Specimina tantum mascula hactenus observata.

♂. Statura gracilis fere præcedentis, eique affinis, sed antennarum tantum articulo 2:do flavo, abdomine parum nitido, postice fusco, etc., differt. Caput ut in priori. Antennarum flagellum articulis basi nodulosis, verticillatim pilosis. Thoracis vittæ dorsales ut in præcedente. Scutellum testaceum. Metathorax et pleuræ canescentia. Abdomen subochraceum, postice fuscum, incisuris tenuiter albidis. Anus parvus, rufus. Alæ cinereæ, basi pallidiores. Nervi tenuiusculi, fusci, 3:tius longitud. a margine interiori crassior. Stigma obsoletum. Macula l. lunula antestigmaticalis alba vix ulla. Nervi ut in præcedente, sed areola discoidalis brevior, ovata, basi subtruncata, apice tantum acuta. Halteres pallidi, clava fusca, apice flavo. Pedes longi, graciles, obscuri, coxarum omnium articulo 1:mo cinereo; articulo 2:do, femorumque et sæpe quoque tibiarum basi (in exsiccatis) flavo-ferrugineis.

51. *T. nigra:* brunneo-nigra, abdomine nitido; antennis basi ferruginantibus; alis fuliginosis; pedibus ob-

scuris, femoribus basi flavo-ferrugineis; ano piceo, maris parvo, feminæ stylis 2 subulatis, rectis, ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 4—4½, ♀ 5—6 lin.).

Mas: antennis capite thoraceque nonnihil longioribus, articulis flagelli basi pilis verticillatis, et mediis basi subnodulosis; abdomine alis parum longiore, ano non magno, piceo, partibus interioribus parum prominulis;

Fem.: antennis capite cum rostro circiter dimidio brevioribus, plerumque ferrugineis, articulis suboblongis basi pilosulis; abdomine alis distincte (circiter ⅓ interdum fere duplo) longiore, incisuris posticis albidis, ano longiusculo, parte 1:ma obscura, stylis apicalibus 2 subulatis, rectis, ferrugineis, nitidis; in copula.

Linn. Fn. Sv. p. 433. n:o 1748. ♂♀. Syst. Nat. 2. 972. 13. Geoffr. Ins. Paris. 2. p. 559. 10. Schrank Ins. Austr. p. 428. 684. Fabr. Ent. Syst. 4. 239. 23. Schumm. Tipul. 70. 27. ♂♀. Meig. Dipt. 1. 192. 34. ♂. (exclus. *Ptychoptera nigra* Fabr. Antl., quæ ad *Ptychopteram scutellarem* Meig. infra pertinet). — et 6. 286. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 87. 27. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 22. 31. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 13. *Tipula verticillata* Fabr. Ent. Syst. 4. 237. 18. Antl. 28. 22.

Hab. in pratis paludosis, interdum etiam in floribus, per Scandinaviam meridionalem et mediam, mensib. Majo, et toto Julio, vulgaris; scilicet in Scania ad Lund (præsertim ad Sliparehögen), Esperöd (in litore maris), etc., non parce; in Smolandia; in Ölandia ad Ottenby etc., frequens; in Gottlandia ad Hoburg, Ahlskog, Nähr, Ruthe, Sanda, Ejsta, Furillen, Fåhrön, etc., copiose; in Westrogothia ad prædium Tubbetorp, D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Uplandia rarius, *Linné*; in Dania ex. gr. in Charlottenlund et Dyrehaven, sat

raro, D. *Stæger*, a quo etiam specimina oblinui. E Töien Norwegiæ, Jul. 1845 capta, a D. *Siebke* quoque communicata. (Ad Rixdorff, Johannis Thal et Rudower, 13—15 Jul. 1842, in utroque sexu, ut et ad Gryphiam Jul. 1843, a D. *Dahlbom* copiose inventa). 36 mares et 9 feminas comparavi. — Larvæ latent in terra pingvi humida, observante *Linné*.

♂♀. Corpore fere toto, et partibus maxima ex parte nigris, ut et alis in ♀ abdomine multo brevioribus, ab aliis facile dignota. — Brunneo-nigra, opaca. Caput subsessile, interdum luteum. Antennæ plerumque articulis 2 primis et 3:tio basi ferrugineis. Palpi basi interdum lutei. Frons lata. Abdomen nitidum, basi sæpe luteum, in ♂ lineare, alis parum longius; in ♀ lanceolatum, alis multo longius. Alæ modice latæ, fuliginosæ, stigmate nonnihil saturatiore, vestigio lunulæ antestigmaticalis albæ. Areola oblongo-ovata. Furca ordinaria jam subsessilis (plerumque in ♀), jam plus minus breviter petiolata, ramis nempe petiolo duplo vel triplo longioribus, subrectis, apice modice divergentibus. Ramulus superior furcæ anterioris pone stigma breviusculum, integer. Halteres fusci l. fusco-testacei, clava nigricante. Pedes modice longi (postici in ♂ elongati), non multo tenues, ex parte obscuri, coxarum nempe articulo 1:mo concolore, 2:do, et femorum basi circiter ad medium, ferrugineo-flavis. Tibiæ testaceæ, apice fuscæ. Tarsi plerumque toti obscuri. — Variat antennarum flagello articulis basalibus basi ferrugineis. — Hæc species *Tipulam* et *Pachyrhinam* connectit.

Obs. In Museo dipterologico Linnæano (quod hodie a Societate Linneana Londini possidetur) hæc species Meigeniana nomine: "*Tipula nigra*" designata exstat, teste D. *Alex. H. Haliday:* Brief über die Dipteren der Linnéischen Samlung; in Entom. Zeit. Stett. 1851. n:o 5. p. 131—145.

---

240. RHAMPHIDIA Meig.

Corpus mediæ l. minoris magnitudinis; elongatum, cylindricum, parum puberulum, opacum. Caput parvum, rotundatum, postice leniter productum. Rostrum capite saltem duplo longius, angustum, rectum, cylindricum. Antennæ longitudine circiter rostri, simplices, pilosæ, extrorsum subsetaceæ; 16-articulatæ, articulo 1:mo modice longo, cylindrico, 2:do cyathiformi, reliquis globosis. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulis 3 basalibus oblongis, ultimo paullo longiori et angustiori. Oculi laterales, rotundi, late distantes. Ocelli nulli. Collare breve. Thorax postice sutura transversa. Scutellum parvum. Abdomen elongatum; 8-annulatum. Alæ modice augustæ, incumbentes, parallelæ, nudæ, hyalinæ, nervis apicibus 6 ad marginem inferiorem descendentibus, quorum axillaris modice extensus, rectus. Areola majuscula, subquadrata nervos 3 simplices ad apicem alæ emittit. Nervus transversus ordinarius basi l. mox pone basin areolæ insertus. (Meig. Dipt. 1. Tab. 6. f. 6. et Schumm. T. 1. f. 1: ala). Margo interior brevissime ciliatus. Halteres nudi. Pedes elongati, graciles, fragiles, subnudi, subinermes, tibiarum calcaribus brevissimis. Coxæ non elongatæ. Femur, tibia et tarsus subæque longa. *Color* testaceus l. fuscus. *Motus* et *habitatio* ut in *Limnobia*. *Differentia sexus; mas:* ano non magno, forcipe inflexa; *femina:* ano stylis 2 elongatis, subulatis, subrectis.

1. *Rh. longirostris:* testacea, opaca, thoracis vittis dorsalibus 3 obscuris, lateralibus abbreviatis; antennis, rostro et palpis nigricantibus; abdomine fusco; alis cinereis; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavidis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 282. 1. Tab. 65. f. 8 (caput). Macqv. Buff. 1.93. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 2 (caput). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 27. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 1. *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 1. 146. 53. ♂. Tab. 5. f.

1 (caput); Tab. 6. f. 6 (ala). Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 102. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 1 (ala). — *Megarhina*, S. Farg. et Serv. Encycl. — *Leptorhina bicolor* Steph.

Hab. in Scandinavia meridionali et media, passim; scilicet in Scania ad Lund (6 Jun.); in Westrogothia ad prædium Tubbetorp, Jul. 1849, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Officinam orichalchariam Gusum in paroecia Ringarum, Prof. *Wahlberg;* in Dania ad Leersjön, Jun. Jul. frequens, D. *Stæger.* (In Germania ad Neuenkirchen 20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* capta, mecumque communicata).

♂♀. Caput in omnibus nostris speciminibus cinereum, nec (ut apud *Meigen)* fronte pallide flava. Oculi modice distantes, in viva obscure violacei. Stethidium rufo-testaceum, thoracis dorso vittis 3 subcohærentibus, fuscis, lateralibus antice abbreviatis. Collum et saltem apex metathoracis, fusca. Pleuræ flavæ. Abdomen fuscum, ventre in ♂ flavido. Anus in ♂ flavus, in ♀ ferrugineus. Alæ cinereo-hyalinæ, vestigio stigmatis pallide fusci. Nervi tenues, subfusci, transversus ordinarius plerumque ipsi basi areolæ discoidalis, sed interdum mox ante, interdum mox pone hanc areolam, insertus. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes fusci, coxis femorumque basi plus minus late, indeterminate flavescentibus. Tibiæ etiam in exsiccatis basi testaceæ.

---

241. PACHYRHINA Macqv.

Corpus majoris magnitudinis; elongatum, cylindricum, glabriculum. Caput parvum, rotundatum, postice leniter productum. Os modice longe rostratum, rostro crasso l. crassiusculo, cylindrico, apice superne acuto. Antennæ longitudine fere thoracis (plerumque in ♂), aut illo paullo breviores (plerumque

in ♀), porrectæ, simplices, pilosæ, subfiliformes, extrorsum subsetaceæ, deorsum arcuatæ, 13-articulatæ, articulo 1:mo typice breviusculo l. modice longo, subobconico, 2:do brevissimo, cyathiformi, reliqvis cylindraceis, versus apicem sensim angustiores. Palpi exserti, incurvi, subcylindrici, 4-articulati, articulis 3 basalibus subæqualibus, ultimo longiori et paullo angustiori. Oculi sat late remoti. Frons typice antice prominula. Ocelli nulli. Collare distinctum. Thorax postice sutura transversa, angulata. Scutellum parvum. Metathorax subconvexus. Abdomen elongatum, cylindricum, 8-annulatum. Alæ lanceolatæ, apice rotundatæ, basi angustæ; divaricatæ, (sub quiete incumbentes), nudæ, nervis septem apicibus ad marginem interiorem descendentibus, quorum axillaris modice longus, subrectus. Areola discoidalis oblongo-ovata emittit ad apicem alæ tres nervos simplices, quorum duo superiores basi sæpissime coëuntes furcam sessilem formant. Nervus transversus ordinarius obliquus basi areolæ insertus. Margo interior subnudus. Halteres nudi. Pedes elongati, graciles, nudiusculi, inermes præter calcaria 2 in apice tibiarum brevia. Coxæ non elongatæ. Ungviculi parvi. *Color* ater pictura flava, aut flavus pictura nigra. *Motus* et *habitatio* ut in *Tipula*. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, subclavato, varie appendiculato; *femina:* ano acuto, stylis 2 plerumque elongatis, subulatis, rectis. *Typus* generis: *P. crocata*. (Qvoad nervorum directionem in alis conferantur: Meig. Dipt. 1. Tab. 6. f. 9. et Macqv. Buff. Tab. 1. f. 13).

Sect. 1: Species typicæ (vide notam infra).

A. Alæ stigmate distincto, obscuro.

*). corpore nigro, flavo-picto.

1 *crocata* Linn. ♂♀. 2 *pratensis* Linn. ♂♀.

**). corpore flavo, nigro-picto.

3 *imperialis* Meig. ♀. (*Tip. scalaris* Meig. ♂; *Tip. varie-*

gata Deg.?). 4 *dentata* Meig.? Stæg. ♂♀. 5 *fascipennis* Zett. (*Tip. quadrifaria* Schumm., non Meig. eadem) ♂♀. 6 *Sannio* Meig. (*Tip. iridicolor* Schumm. *Tip. cornicina* Zett. Ins. Lapp., exclus. synon.) ♂♀. 7 *cornicina* Linn. (*Tip. quadrifaria* Meig.?) ♀.

B. Alæ stigmate minus conspicuo, pallescente.

8 *maculosa* Meig. (non *Tip. maculosa* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 9 *Histrio* Fabr. (*Tip. flavo-maculata* Deg. — *Tip. maculosa* Zett. Ins. Lapp.) var. a. b. ♂♀. 10 *Scurra* Meig. var. a. b. ♂♀.

Sect. 2. Species anomalæ.

11 *variicornis* Schumm. ♂(♀). 12 *picticornis* Zett. nov. sp. ♂.

Pachyrhina.

Sect. 1: Species typicæ (*).

A. Alæ stigmate distincto, obscuro.

*). corpore nigro, flavo-picto.

1. *P. crocata:* atra, frontis litura, thoracis maculis subseptem, abdominisque fasciis 3, croceis; alis fusco-hyalinis, nubecula nigricante; pedibus nigris, femoribus basi ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 6, ♀ fere 8 lin.).

*) Species *typicæ* dicuntur, in quibus alarum furca ordinaria sessilis, rostrum breviusculum, crassum, frons antice subprominula l. saltem convexa, et denique antennarum articulus 1:mus non multo longus, subobconicus. Hinc a *Tipula*, cui sat affines, distingvuntur.

Macqv. Buff. 1. 88. 1. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 23. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 1. *Tipula* eadem Linn. Fn. Sv. n:o 1739 (*). Schæff. Icon. Tab. 126. f. 4. Deg. Ins. 6. 349. 10. Schrank Ins. Austr. p. 423. 854. ♀ (non ♂, qui ad *Ctenophoram flaveolatam* infra pertinet). Fabr. Ent. Syst. 4. 234. 5. (exclus. synon. Geoffr., quod ad *Ctenophor. festivam* Meig. pertinet). — et Antl. 25. 9. Meig. Dipt. 1. 192. 35. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. 1833. p. 120. 56. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 845. 20. ♂♀.

Hab. in graminosis, fruticibus, foliis roridis, truncis arborum, etc., per hortos, prata, paludes et litora, Maj., Jun., Jul., Aug., in Scandinavia meridionali et media, vulgaris, in septentrionali, rarius; in terra nuda feminam mense Aug. etiam vidi; scilicet in Scania, Blekingia passim copiose; in Smolandia et Ostrogothia etiam occurrit; in Roslagia, *Linné;* in Norwegia ad Christianiam frequens, D. D. *Siebke* et *Moë;* in Daniæ paludibus sylvaticis Julio non raro, D. *Stæger.* Larvæ in ligno putrescente degere dicuntur.

♂♀. Per corpus atrum fulvo-pictum ab affinibus facile dignota. — Atra, nitida. Frons macula didyma fulva. Antennæ in ♂ capite cum rostro fere duplo longiores, in ♀ capite cum rostro circiter $1\frac{1}{2}$ longiores; articulis scapi subtus plerumque macula flava. Rostrum breviusculum, crassum. Palpi hirti. Oculi in viva nigri. Collare croceum. Thorax maculis lateralibus 6 l. 8 fulvis, quarum vero quædam interdum deficiunt, humerales plerumque evidentes. Abdomen atro-holosericeum, opacum, in medio supra fasciis 3 fulvis, et in ♀ sæpe

*) etiam eodem nomine ♀ designata in Museo Linneo obvia, testante *Haliday.*

rudimento qvartæ; infra maculis 3 flavis. Anus in ♂ brevis, truncatus, hirtus, niger, superne valvulis 2 ovatis, flavis; in ♀ cylindricus, nudus, nitidus, flavus, stylis 2 elongatis, subulatis, rectis, ferrugineis. Alæ hyalinæ, leniter fuscanæ, basi ferruginantes, stigmate distincto, nigricante. Nervi omnes validi, obscuri, longitudinalis 3:tius (a margine interiori) subduplicatus; transversi fuscedine cincti. Areola oblonga, subquadrata, basi truncata. Furca ordinaria sessilis. Ramus superior furcæ anterioris pone stigma brevissimus. Halteres fusci, clava obscuriori, apice pallida. Pedes nigri, coxis concoloribus. Femora basi, antica non ad medium, posteriora sæpe ad medium, interdum paullo ultra medium, ferruginea. Tarsi tibiis paullo longiores.

Var. b. ♀. thoracis dorso croceo, vittis 3 latis subcohærentibus nigris, lateralibus antice abbreviatis; antennarum articulo 2:do flavo. In unico individuo vidi furcam ordinariam in ala sinistra breviter petiolatam, in ala dextra sessilem.

2. *P. pratensis:* nigra, frontis litura, thoracisque maculis subseptem, croceis; abdomine nigricante, maculis lateralibus flavis; alis fusco-hyalinis, stigmate nigricante; pedibus nigris, femoribus basi ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ 6, ♀ 8 lin.).

Macqv. Buff. 1. 89. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 23. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 2. *Tipula* eadem Linn. Fn. Sv. n:o 1745, et Ejusdem Museum. Schæff. Icon. Tab. 15. f. 5. Fabr. Ent. Syst. 4. 237. 15. — et Antl. 27. 17. Meig. Dipt. 1. 194. 37. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. p. 123. 57. ♂♀. Tab. 1. f. 2 (ala), 3, 4 (antennæ), 5 (palpus). Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 466. ♂♀.

Hab. in hortis, pratis et pascuis, per Scandinaviam meridionalem vulgaris, per mediam rarius; Maj. Jun. Jul. mihi obvia, in copula etiam aliquoties capta; scilicet in

Scania ad Lund (in horto proprio), Paradislyckan, Kjellby, Lomma, Björnstorp *(Dahlbom)*, Esperöd, etc., frequens; in Blekingia, *von Borck*; in Ostrogothia ad Wadstena, parce; e Töien Norwegiæ a D. *Siebke* missa; in hortis Daniæ sat frequens, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam et Neuenkirchen 15—20 Maj., et 6—12 Jun. in utroque sexu sat copiose collecta a D. *Dahlbom*). — Larvæ sub foliis deciduis putrescentibus vivere putantur; graminum radices destruentes, *Gmelin* et *Fabricius*.

♂♀. Priori valde similis et affinis, sed corpore nigro, nec atro, abdomine cinereo-nigricante, tantum lateribus flavo-maculatis, alarum nervis transversis parum fuscedine tinctis, nervis 3 ex area emissis basi sæpe fere æque remotis, nec horum 2 superioribus basi approximatis furcam sessilem formantibus, etc., certe diversa. Caput cum antennis, rostro et palpis omnino ut in præcedente constructum et coloratum, sed orbita oculorum inferne (præsertim in ♂) plerumque late albida. Rostri margo infra quoque sæpe albidus. Oculi et in viva et in mortua nigri. Collare albo-flavum. Thorax fere ut in priori pictus, sed maculæ humerales croceæ (præcipue in ♀) plerumque per lineam tenuem subinterruptam usque ad suturam continuatæ, unde 3 vittæ latæ, nigræ in dorso exstant, ut in *P. crocatæ* varietate b. Thorax postice et metathorax, utrinque macula flava distincta gaudent. Abdomen cinereo-nigricans, lateribus flavo-maculatis, segmentis 1:mo et duobus l. tribus ultimis plerumque immaculatis. Alarum nervi validi, obscuri. Stigma determinatum, nigricans. Reliqua ut in antecedente.

Var. b. ♀. abdomine croceo-flavo, vitta dentata nigra, in dorso latiori, in ventre plerumque paullo angustiori; segmento ultimo sæpe flavo, immaculato. Schumm., Wiegm.; Stæger l. c.

Hab. cum var. a. Ad Lund plura specimina legi.

**). corpore flavo, nigro-picto.

3. *P. imperialis:* crocea, thoracis vittis dorsalibus 3 discretis nigris; antennis obscuris, articulis 2 primis testaceis; palpis fuscis, flavo-notatis; abdomine fasciis nigris; alis pallide fuscis, stigmate distincto, nigricante; pedibus obscuris, femoribus basi ferruginantibus. ♂♀. (Long. ♂ 6, ♀ 8 lin.).

Macqv. Buff. 1. 89. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 24. 3. ♂♀. *Tipula imperialis* Meig. Dipt. 1. 196. 39. ♀. Tab. 6. f. 9. ♀. — Ejusdem 6. p. 286. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. p. 118. 55. ♀. *Tipula scalaris* Meig. Dipt. 1. 195. 38. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 3.

Hab. in Dania, D. *Westermann*, teste D. *Stæger* l. c. — Mihi numquam obvia.

♂♀. "Color dominans croceus. Palpi ferruginei, apice fusci; (palpi fusci, articulis 2 ultimis testaceis, Schumm.). Rostrum supra nigrum. Frons macula nigra antice acuta. Vittæ thoracis 3 nigræ, quarum media lata, nitida, laterales antice abbreviatæ et paullo curvatæ. Scutellum basi nigrum; (scutellum fuscum Schumm.). Thorax postice et pleuræ obscure maculata. Abdominis (♀) segmentum 1:mum basi nigrum, 2:dum antice macula parva transversa nigra, margine postico fascia nigra in medio mucronem emittente; omnia reliqua dimidietate postica nigra. Venter niger, incisuris et maculis flavis. Anus (♀) forcipe testacea. Femora (♀) rufa, apice nigra; tibiæ antice rufæ, postice — sicut etiam tarsi — obscure fusca. Coxæ (♂) nigræ; femora testacea, a medio ad apicem nigra; tibiæ et tarsi fusco-nigra. (Pedes (♀) nigri, coxis femoribusque testaceis, his in pedibus anticis a medio, in posterioribus apice, nigro-fuscis, Schumm.). Halteres fusci, clava nigra apice flava. Alæ dilute fuscæ, stigmate determinato nervisque nigro-fuscis." Meig. l. c.

Obs. 1. Secundum *Rossi* l. c. hæc species in pratis humidis Austriæ Jun. et Sept. raro occurrit.

Obs. 2. Cel. *Haliday* (Ent. Zeit. Stett. 1851. p. 134) putat *Tipul. variegatam* Deg., Fabr. et Schrank, atque *Tipul. imperialem* Meig. identicas esse).

4. *P. dentata:* flava, nigro-variegata, thoracis vittis dorsalibus 3 rectis, nigris; antennis obscuris, articulis 3 primis flavis; abdomine nigro-quadrivittato; alis hyalinis, stigmate fasciaque transversali obscuris; pedibus rufo-flavis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis; ano ferrugineo. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. 24. 4. ♂♀. *Tipula* eadem Meig. Dipt. 7. 35. 60? ♀.

Hab. in Daniæ pratis, mense Aug., rarius, D. *Stæger.* A me femina in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby semel tantum inventa.

♂♀. Per alarum fasciam obscuram transversam et thoracis vittas dorsales rectas dignota. — *Femina:* caput, palpi et antennarum fuscarum articuli 3 inferiores rufo-flava. Puncta obscura in fronte juxta oculos nulla; sed unicum fuscum sub antennis adest. Macula verticis antice acuminata, et alia in rostro superna, nigræ. Stethidium flavum, thoracis dorso vittis ordinariis nigris rectis, discretis, lateralibus antice abbreviatis. Scutellum et metathorax linea media nigra. Pleuræ ut in *P. maculosa* fusco-maculatæ, sed maculæ dilutiores. Collare utrinque macula nigricante. Abdomen vittis 4 nigris: harum dorsali composita e maculis trigonis cohærentibus, quarum apex (1:mæ exceptæ) basin spectat; lateralibus multo tenuioribus, et ventrali adhuc tenuiori, lineari. Apex abdominis niger. Oviductus ferrugineus. Halteres flavi, clava fuscana, apice pallida. Pedes rufo-flavi, ut in diagnosi picti. Alæ hyalinæ, stigmate ovali obscuro. A stigmate ad nervum longitudinalem 3:tium et ulterius per eundem usque ad mar-

ginem interiorem ducitur fascia transversa, obscura. Apex alæ fuscescit.

Mas: "similis feminæ, sed linea longitudinalis nigra in scutello et ventre deest. Abdominis linea dorsalis est æqualis (jevn), ad segmentorum marginem anticum interrupta; segmentum ultimum totum nigrum; cauda ferruginea, segmento ultimo ventrali fere æquali, rotundato". Slæg. l. c.

5. *P. fascipennis:* flava, nigro-variegata; thoracis vittis dorsalibus 3 nigris, lateralibus apice curvatis; antennis obscuris, articulis 2 l. 3 primis flavis; abdomine nigro-quadrivittato; alis hyalinis, stigmate distincto fasciaque transversali obscuris; pedibus rufo-flavis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis; ano maris basi nigro, apice flavo, feminæ ferrugineo. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Tipula quadrifaria Schumm. Tipul. Siles. 1833. p. 103. 48. ♂♀. Tab. 3. f. 6 et 7 (anus maris), f. 13 (anus feminæ); (exclus. forte synon. Meig.).

Hab. in Svecia meridionali et media, rarius: in Scania ad Lund utrumque sexum inveni, scilicet marem d. 6 Jun. et feminas 2—28 Aug.; in Gottlandia ad Rohne 9 Jul. 1841 individuum femineum quoque deprehendi. 1 marem et 4 feminas comparavi.

♂♀. *P. dentatæ*, ut ovum ovo, similis, nec differt ab illa nisi vittis 2 lateralibus nigris in thoracis dorso apice distincte curvatis, nec rectis. Antennæ fuscæ variant articulis inferioribus nunc 2, nunc 3, raro etiam 4:to, indeterminate rufo-flavis. Alæ exacte ut in priori pictæ. Nervi quoque ut in ea directi, nempe area discoidalis oblongo-quadrata; furca ordinaria sessilis. Præterea in mare: abdominis linea dorsalis media obscura linearis, nec dentata; segmentum apicale totum nigrum, nitidum; anus modice crassus, breviusculus, nitidus, flavo-

ferrugineus, pilosulus, valvula superiori apice leniter emarginata, sub qua appendices 4 parvæ, ligulæformes, flavæ prominent; valvula inferior margine integra, basi et lateribus fusco-nigra; partes interiores laminatæ; (conferatur figura Schummeli). Anus feminæ modice brevis, ferrugineus, nitidus, stylis 2 longiusculis, ensiformibus, rectis, ut in *P. dentata.* — Antennæ in ♂ longitudine fere thoracis, articulis subcylindricis; in ♀ thorace breviores, versus apicem subtestaceæ.

Obs. Antennarum palporumque colore paullo dilutiore, puncto frontali nigro juxta oculos nullo, ut et fascia alarum transversa nigricante sub stigmate sat perspicua, a *Tipul. quadrifaria* Meig. differre videtur.

6. *P. Sannio:* flava, thoracis vittis dorsalibus 3 nigris, lateralibus apice curvatis; pleuris et pectore immaculatis; antennis nigris, articulis 2 primis rufis; abdomine nigro-qvadrivittato, vittis sublinearibus; alis totis hyalinis, stigmate punctiformi, nigro; pedibus flavis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis; ano maris brevi, basi nigro, apice ferrugineo, inferne corniculo porrecto, clavato; feminæ ferrugineo. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 25. 5. ♂♀. *Tipula* eadem Meig. Dipt. 7. 36. 62. ♂♀. *Tipula iridicolor* Schumm. Tipul. Siles. 1833. p. 101. 47. ♂♀. Tab. 3. f. 1 (♀), f. 4. 5 (anus maris). f. 12 (anus feminæ). *Tip. cornicina* Zett. Ins. Lapp. 846. 24. ♀ (exclus. synonymis).

Hab. in Scandinaviæ hortis et pratis, Julio et Augusto, mihi sat frequenter obvia, in copula raro observata, et e pupa (longitudine fere pollicis, cylindrica, in singulo segmento serie aculeorum armata, tota (exsiccata) sordide albida) semel etiam exclusa. Inventa est in Scania ad Lund, Abusa, Kullen, ambas Esperöd, etc.,

vulgaris; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Stenkyrka et S:t Olofs Holme *(Dahlbom)*; in Jemtlandia ad Åreskutan, parce; in Bottnia boreali ad Haparanda, semel; in Lapponia Umensi ad Lycksele, et Tornensi ad Kengis, rarissime; in Dania rarius, D. *Stæger*; e Tyldal in Österdalen Norwegiæ 21 Jul. 1848 captum specimen masculum nuper quoque communicavit D. *Siebke*.

♂♀. Thoracis vittis nigris lateralibus apice curvatis, stethidio subtus absque maculis distinctis, stigmate parvo, ut et structura ani in ♂, ab affinibus distincta. Flava. Frons vitta postica majuscula, trigona, nigra. Oculi in viva brunneo-nigri. Antennarum articuli 2 inferiores rufo-flavi, l. sæpe fuscescentes. Pleuræ et pectus subimmaculata, tantum antice in collari, et postice ad halterum basin striga nigra. Scutellum et metathorax linea nigra. Abdominis lineæ 4 nigræ, harum dorsalis æqualis integra, reliquæ tres (laterales et ventralis) tenues; segmento penultimo flavo subimmaculato, (in ♀ basi sæpe punctis 2 nigris), ultimo toto nigro, nitido. Anus in ♂ niger l. nigro-fuscus, partibus interioribus ferrugineis, in ♀ ferrugineus l. testaceus, stylis 2 longiusculis ensiformibus rectis, acutis. Alæ, etiam apice, hyalinæ, stigmate parvo, nigro-fusco, dimidiam tantum aream stigmaticalem excipiente.

Var. b. fronte punctis 2 nigris. Stæg. l. c. Mihi non obvia.

Var. c. ♂. simillima var. a., sed furca alarum breviter potiolata. *T. petiolata* Zett. Ins. Lapp. 846. 26. ♂. In Lapponia Tornensi ad Kengis d. 22 Aug. 1821, semel.

Var. d. ♀. simillima var. a., sed nonnihil major, et differt: colore flavo inrufescentem l. ferruginantem magis vergente, pleuris strigulis aliquot tenuibus nigris, et abdominis vittà dorsali subinæquali (ut in figura Schummeli). Hab. cum a. in Scania frequens, in Gottlandia raro. (Etiam in horto Gryphico a D. *Dahlbom* capta).

7. *P. cornicina:* flava, thoracis vittis dorsalibus 3 nigris, lateralibus apice curvatis; pleuris et pectore maculis fusco-rufis; antennis obscuris, articulis 2 primis ferruginantibus; palpis testaceis, articulo ultimo fusco; abdomine nigro-vittato, apice nigro; alis hyalinis, stigmate majusculo, ovali, nigricante; pedibus flavis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscure flavis; ano feminæ ferrugineo. ♀. (Long. 7—7½ lin.).

Macqv. Buff. 1. 90. 7. Tab. 1. f. 12 (caput). f. 13 (ala). — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 25. 6? ♀. *Tipula cornicina* Linn. Fn. Sv. n:o 1747. Fabr. Antl. 29. 25. Meig. Dipt. 1. 200. 44. *Tipula quadrifaria* Meig. Dipt. 1. 199. 43? ♂♀. — et 6. p. 286. (Vix *Tip. quadrifaria* Schumm., quæ potius ad *Pachyrh. fascipennem* nobis n:o 5 pertinere videtur).

Hab. in Scandinavia, valde rara; in graminosis sylvaticis ad Nähr Gottlandiæ d. 24 Jun. 1819 feminam inveni; in Jemtlandia ad diversorium Åsarne 16 Aug. 1840, semel; e Christiania Norwegiæ ♀ a D. *Moë* missa; etiam ad Nordrehaug in Ringerige d. 29 Jul. 1845 deprehensa dicitur, D. *Siebke;* in Dania femina mense Aug. etiam aliquoties capta (si hæc cum nostra identica sit), teste *Stæger.*

♀. Specimen gottlandicum sub nomine *Tip. flavipalpis* Meig. Dipt. (6. 290. 52) in museo meo diu asservatum, sed palpis non totis flavis et abdominis pictura nigra potius maculata, quam fasciata, diversa videtur. Flava. Caput aurantiacum. Frons lata, punctis nigris ad oculos non distinctis. Macula verticis trigona (in specimine Norwegico antice acuminata), nigra. Antennæ pilosæ, nigricantes, flagello flavo, articulo 1:mo apice fusco. Rostrum superne macula fusca. Palpi sordide testacei, articulo ultimo paullo obscuriori. Collare utrinque ma-

cula nigricante. Thoracis vittæ nigræ, nitidæ. Pleuræ ferrugineo-maculatæ. Pectus inter pedes posteriores macula saturatiori. Abdominis vittæ nigræ: dorsalis e maculis trigonis composita, laterales valde tenues; segmentum penultimum apice late, ultimum totum, nigrum. Anus nitidus flavus, stylis 2 elongatis, ensiformibus, rectis. In exemplo Norwegico vitta dorsalis latior, et laterales distinctiores, ani segmento 1:mo obscuro, stylis ferrugineis. Alæ subhyalinæ, apice summo leniter fuscæ, stigmate notabili, oblongo, obscuro. Nervi non multo crassi, fusci. Halteres flavi, clava fusca, apice pallida. Pedes tenues, flavi, ut in diagnosi picti.

Var. b. ♀. strigis maculisque pleurarum nigricantibus; abdominis vitta dorsali media latiori. An *Tipula* Meig. Dipt. 1. 199. 43. var.? In pratis sylvaticis ad prædium Berga Smolandiæ d. 5 Aug. 1850, D. *Dahlbom;* et in Lapponia Lulensi 1843, rarissime, D. *Andersson.*

Obs. 1. Descriptio hujus speciei in Linnei Fauna Svecica data cum nostra specie bene congruit, sed raritas insecti repugnat (habitat "passim" dicit *Linné*, quod de nostra non valet). *Pachyrhina Sannio* Meig. (*Tipul. iridicolor* Schumm.), quam sub n:o 6 descripsimus, in Svecia multo freqventior occurrit, et hoc respectu eam et *P. cornicinam* cum Cel. *Schummel* facile putarem identicas esse, nisi obstaret proportio stigmatis, quod in *cornicina* magnum, in *iridicolore* parvum.

Obs. 2. Affirmante D. *Haliday*, *Tipul. iridicolor* Schumm. indicio: "*Tip. cornicina*" in Museo Linneano obvenit.

B. Alæ stigmate minus conspicuo, pallescente.

8. *P. maculosa:* flava, antennis totis, frontis punctis 2, thoracis vittis tribus lateralibus curvatis, et pleurarum pectorisque maculis, nigris; macula utrinque magna lunata juxta metathoracem nigra; palpis abdominisque vitta dorsali latiuscula, obscuris; alis subhyalinis, stigmate pallido; pedibus fuscis, femorum basi

ferruginea; ano rufo. ♂♀. (Long. ♂ fere 5, ♀ fere 6 lin.).

Macqv. Buff. 1. 89. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 26. 7. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 4. *Tipula* eadem Meig. Dipt. 1. 197. 40. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. p. 114. 53. ♂♀. Tab. 3. f. 15 (anus ♀). (*Tip. maculosa* Zett. Ins. Lapp. 845. 21 non huc, sed ad *P. Histrionem* pertinet).

Hab. in fruticibus et graminosis, per hortos et prata Scandinaviæ meridionalis, Jun. Jul. et Aug., passim mihi parce obvia, sed in copula etiam aliquoties observata; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, et Esperöd; in Norwegia ad Töien frequenter, etiam ad Edsberg inventa fertur, D. *Siebke;* in Dania sat vulgaris, D. *Stæger*. (E Melita a D. Doct. *Delicata* missa).

♂♀. Color corporis fere ut in sequente, sed macula semicirculari nigra juxta scutellum pone radicem alarum, mox differt. Flava, opaca. Caput croceum. Macula verticis magna, trigona, nigra. Antennæ in ♂ thoracis fere longitudine, cylindricæ, in ♀ paullo breviores, extrorsum tenuiores; in utroque sexu pilosæ, nigræ, articulis 1 et 2 summo apice tenuissime pallidis. Rostrum macula superna nigra, nitida; apex etiam niger. Palpi nigri. Frons lata, antice prominula, puncto utrinque ad oculos nigro, perspicuo. Oculi in viva brunneo-nigri. Collare utrinque macula nigra. Stethidium citrinum. Thoracis dorsum vittis 3 nigris nitidis, media lata; lateralibus recurvis, postice pone suturam continuatis. Scutellum ferrugineo-flavum, puncto interdum nigro. Metathorax vitta media et macula apicali nigris. Juxta metathoracem adest utrinque macula nigra in formam soleæ ferreæ eqvi. Pleuræ et pectus nigro-maculata. Abdomen rufo-flavum, vitta dorsali subcontinua, e maculis in ♂ oblongo-quadratis, in ♀ latis trapezinis composita, et alia ventrali, nigris. Sæpe quo-

que adest linea utrinque lateralis fusca. Anus maris parvus, brevis, pubescens, rufus, superne laminis 2 rotundatis, flavis, subtus tuberculo breviter exserto; feminæ ferrugineus, nitidus, stylis 2 longiusculis, rectis, acutis. Alæ subflavido-hyalinæ, nervis mediocribus, fuscis. Stigma non magnum, pallidum. Areola oblongo-quadrata. Furca ordinaria sessilis. Halteres testacei, clava fusca. Pedes elongati, tenues, obscure fusci, coxarum articulo 1:mo flavo, 2:do femorumque basi plus minus late flavo-ferrugineis. Tibiæ etiam basi sæpe testaceæ. Coxæ anticæ basi nigræ.

9. *P. Histrio:* flava, antennis subtotis, frontis punctis 2, thoracis vittis tribus lateralibus curvatis, et pleurarum pectorisque maculis, nigris; macula utrinque juxta metathoracem nigra nulla; palpis abdominisque vitta dorsali maculari angusta, obscuris; alis subhyalinis, stigmate pallido; pedibus fuscis, femorum basi ferruginea; ano rufo. ♂♀. (♂ $4\frac{1}{2}$ fere 5, ♀ $5\frac{1}{2}$ fere 6 lin.).

Macqv. Buff. 1. 90. 6. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 26. 8. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 5. *Tipula histrio* Fabr. Ent. Syst. 4. p. 237. 17. (*) — Antl. 28. 21. Meig. Dipt. 1. 198. 42. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. p. 116. 54. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 845. 22. ♂♀. *Tip. flavomaculata* Deg. Ins. 6. 347. 9. Tab. 19. f. 2 ♀, f. 3 ♂. (exclus. syn. Linn. *Tip. cornicina). — Tip. maculosa* Zett. Ins. Lapp. 845. 21.

Hab. in fruticibus et graminosis, per hortos et prata, Jun. et Aug. sed præsertim Julio, in Scandinavia meridionali et media, vulgaris, in boreali rarius, in copula

*) *Tip. histrio* Fabr. Ent. Syst. 4. p. 244. 51. est *Chironomi* generi jam subjecta.

multoties quoque deprehensa; scilicet in Scania ubique sat copiose; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Hoburg, Bosarfve (prope Burgsviken), Slitö, S:t Olofs Holme, Thorsburg, Broa (in Fåhrön), etc., abundanter; in Norwegia ad Christianiam et Töien, D. D. *Siebke* et *Moë;* in Dania sat vulgaris, D. *Stæger*. (In insula Helgolandia etiam utrumque sexum d. 12 Jul. 1838 legit D. *Dahlbom).* Larvæ sordide albidæ, capite fuscescente, in ligno putrido degunt.

♂♀. Præcedenti affinis et valde similis; sed antennis in ♂ paullo longioribus (nempe thorace fere longioribus), abdominis vitta dorsali nigra angustiori interrupta, e maculis discretis in ♂ oblongo-quadratis, in ♀ parvis oblongis composita, ut et præcipue macula magna nigra juxta metathoracem omnino deficiente, relicta tantum postice prope abdominis basin et mox supra coxas posticas strigula angusta subcurva nigra. Antennæ nigræ, articulis 1 et 2 basalibus apice plus minus late rufescentibus, raro totis ferrugineis. Venter sæpe subimmaculatus. Mas gracilis. Reliqua ut in *P. maculosa.*

Var. b. ♂♀. alarum furca ordinaria breviter petiolata. Hab. cum var. a. rarius.

Obs. Tipul. histrio Meig. ♀ exstat in Museo Linneano sub indicio: "*Tip. flavescens*"; teste *Haliday*. (Cfr *Erioptera flavescens* hujus operis p. 3779).

10. *P. Scurra:* flava, antennarum flagello, thoracisque vittis tribus rectis, nigris; pleuris immaculatis (♂), aut rufo-maculatis (♀); palpis abdominisque vitta dorsali obscuris; alis subhyalinis, stigmate pallido; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque obscure fuscis; ano rufo. ♂♀. (Long. ♂ 6—7, ♀ 8—9 lin.).

Macqv. Buff. 1. 90. 5. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 26. 9. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 6. *Tipula*

Scurra Meig. Dipt. 1. 198. 41. ♂. Zett. Ins. Lapp. 845. 22. ♂♀. Schumm. Tipul. Siles. p. 112. 52. ♂♀. Tab. 3. f. 11 (antenna maris).

Hab. in Scandinaviæ pratis sylvaticis, nemoribus et hortis, Jul. Aug., non infrequens; scilicet in Scania ex. gr. ad Abusa, Silfåkra, et in Kullen prope Helsingburgum, non parce; in Smolandia ad prædium amoenissimum Berga d. 5 Aug. 1851, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Katthammarsvik (in Östergarn) atque ad Olle Hau (in Fåhrön), 6—20 Jul. in utroque sexu, idem D. *Dahlbom;* in Norwegia ad Oestre-Näs Værdaliæ ambos sexus etiam ipse legi; in Dania rarius, D. *Stæger*, qui testatur, speciem quoque a D. *Schiödte* in silva Silkeborg Jutlandiæ esse inventam.

♂♀. Per thoracis vittas dorsales omnes rectas, pleuras non nigro-pictas, structuram ani in ♂ singularem, abdominis longitudinem in ♀, etc., ab aliis hujus subdivisionis, copiose distincta. — Flava, opaca; colore dominante, saltem in mortuis, sæpe in rufo-flavum vergente. Antennæ in ♂ longitudine thoracis, articulis 3:tio sat longo, cylindrico, sequentibus medio paullo coarctatis, ultimis tenuibus, simplicibus; in ♀ thorace breviores, simplices, extrorsum sensim graciliores; in utroque sexu basi (articulis plerumque 1 et 2, interdum tantum 1:mo, raro 3:bus primis) ferrugineæ, flagello nigro, piloso. Frons lata, vitta lanceolata, fere ad antennas extensa, obscura. Puncta nigra ad oculos nulla distincta. Rostrum ferrugineum, linea laterali fusca. Palpi nigricantes, apice interdum fusci. Collare strigula laterali tenui nigra. Thoracis vittæ dorsales nigræ, nitidæ, laterales oblongo-ovales. Pleuræ flavæ, immaculatæ, in ♀ sæpe dilute rufo-maculatæ. Thorax pone suturam vittis 2 fuscis. Scutellum pallide fuscum. Metathorax flavus, linea media et basi fuscis. Abdomen in ♂ longitudine alarum, in ♀ illis distincte longius, in

utroque sexu vitta dorsali nigra angustata subcontinua, et lineis 3 ventralibus approximatis angustis, interdum subobsoletis. Anus in ♂ crassiusculus rufus, forcipe superna distincte prominula, valvulis inflexis, anguste ovatis, subacutis; in ♀ nitidus ferrugineus, stylis elongatis, subulatis, rectis. Alæ subflavido-hyalinæ, nervis modice crassis, fuscis. Stigma mediocre, ovale, pallidum l. pallide fuscum, antice puncto l. macula parva alba terminatum. Basis areolæ oblongo-subquadratæ etiam albida. Halteres testacei, clava fusca. Pedes elongati, tenues, ut in diagnosi colorati.

Var. b. ♂♀. furca alarum ordinaria plus minus petiolata. Cum var. a. non raro.

Sect. 2. Species anomalæ.

11. *P. variicornis:* ochracea, fronte thoracisque vittis 4 rectis cinereis; antennis fusco-annulatis; abdominis segmentis 2 ultimis obscuris; alis cinereo-hyalinis, stigmate fusco, lunula antestigmaticali alba, obsoleta; pedibus ferrugineo-testaceis, femorum tibiarumque apice, tarsisque obscuris; ano maris rufo, subtus lacinia ovato-conica descendente. ♂(♀). (Long. ♂ 6 lin.).

Tipula variicornis Schumm. Tipul. Siles. 1833. p. 99. 46. ♂♀. Tab. 3. f. 2 et 3 (cauda maris).

Hab. in Scandinavia rarissime: e Bottnia boreali (Luleå) in unico specimine a D. *Andersson* mecum communicata. (Duo individua mascula, forte exotica, a D. *Stæger* missa, etiam possideo).

♂. Antennis obscure annulatis, thorace cinereo-vittato, abdominis apice fusco, alarum nervo furcato subsessili, ut et lacinia caudali inferna in ♂ insigni, ab aliis facile dignota. Ferrugineo-ochracea. Caput læte cinereum, fronte lata, antice vix prominula. Antennæ longitudine saltem thoracis cum

capite, subcylindricæ, pilosæ, flavæ, articulis mediis (4—8) basi annulo nigricante; apice tenuiores, fuscæ; articulo 1:mo modice longo. Rostrum modice crassum et breve, palpique rufo-testacea. Collare immaculatum. Thoracis dorsum vittis subquatuor rectis cinereis, 2 mediis approximatis, linea tenui læte cinerea divisis. Pleuræ macula media cinerea. Pectus inter pedes anteriores macula obscura. Thorax pone suturam maculis 2 cinereis. Scutellum flavum. Metathorax flavido-fuscus. Abdomen sordide ochraceum, apice subclavatum, segmentis 2 ultimis nigricantibus. Anus majusculus, rufus, superne corpusculis variis (4 saltem numero) subprominulis, et inferne laciniis 2 connexis conum descendentem formantibus. Alæ sordide hyalinæ, nervis distinctis, fuscis; 3:tio longitudinali (a margine interiori) transversoque ordinario præsertim validis et fuscedine leniter cinctis. Stigma ovale sat determinatum, obscure fuscum. Areola discoidalis ovato-subpentagona. Mox ante stigma adest lunula obsoleta albida, quæ a costa ad medium alæ transversæ extenditur duo latera areolæ transiens eaque albo-pellucida reddens. Furca ordinaria subsessilis, vel breviter petiolata. Halteres flavi, clava fusca. Pedes elongati, tenues, ut in diagnosi colorati.

♀: antennis brevioribus, alis ferrugineis, nervis obscurioribus, ano ferrugineo, stylis tenuibus, rectis, a *Schummel* l. c. describitur, mihi ignota.

12. *P. picticornis:* grisea, thoracis vittis 3 rectis subconfluentibus pallide fuscis; antennis flavis fusco-annulatis; rostro, palpis abdomineque ferrugineis, hoc vitta dorsali fusca; alis flavidis, stigmate pallido; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris; ano maris parvo ferrugineo. ♂. (Long. $5\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime: in Scania semel inventa.

♂. *Tip. annulicorni* Meig. Dipt. 6. 289. 51. similis et affinis

videtur, sed abdomine non nigro-annulato, alarum stigmate pallido, nec obscure fusco, ut et directione nervorum alia (nec ut in Tab. 65. figura 9 depicta), differt. A priori, cui quoque propinqua, stigmate alarum pallidiori, ano minori, aliter constructo, etc., diversa. Caput pallide cinereum, fronte lata, antice nonnihil prominula. Antennæ longitudine thoracis, cylindricæ, pilosæ, flavo-ferrugineæ, articulis 4—7 basi obscure annulatis, apicalibus fuscis; articulo 1:mo longiusculo. Rostrum longiusculum, modice crassum, pubescens, palpique rufo-ferruginea. Stethidium pallide cinereum, thoracis dorso vittis 3 latis, subconfluentibus, paullo obscurioribus seu dilute fuscis. Collare et pleurarum vitta superna rufo-testacea. Thorax pone suturam maculis dilute fuscis. Metathorax canus. Abdomen puberulum, rufo-flavum, linea dorsali fusca, antice subevanescente, postice sensim paullo latiori, fere totum segmentum ultimum occupante. Venter etiam postice fuscus. Anus parvus, brevis, rufus, nullis appendicibus eximiis prominulis munitus. Alæ mediocres, flavidæ, nervis parum validis, stigmate pallido. Area discoidalis subovata, subpentagona, latere exteriori et interiori subobsoletis; nervos tres fere æquali spatio remotos in apicem alæ emittens. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

Obs. *Tip. brevirostris* Zett. Ins. Lapp. 844. 19. eadem est ac *Limnob. replicata* nobis p. 3877. n:o 55; *Tip. brevicornis* Ins. Lapp. n:o 25. est *Cylindrotoma distinctissima* var. b.; et *Tip. lugubris* Ins. Lapp. n:o 27. est ♀ *Limnob. lugubris* nob. p. 3890. n:o 65.

---

242. NEPHROTOMA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis; elongatum, cylindricum, glabriculum. Caput rotundatum, postice leniter productum. Rostrum breviusculum, crassiusculum, cylindricum, apice superne acutum. Antennæ in mare thorace cum capite paullo longiores,

arcuatim porrectæ, pilosæ, 19-articulatæ, articulis 1:mo modice longo, subcylindrico l. apice nonnihil incrassato, 2:do brevissimo cyathiformi, 3:tio elongato, cylindrico, sequentibus subtus medio excisis, ultimis simplicibus; in femina capite saltem duplo longiores, pilosæ, 15-articulatæ, articulis 1:mo et 3:tio subcylindricis, 2:do cyathiformi, sequentibus subcylindricis, basi paullo crassioribus. Palpi exserti, incurvi, subcylindrici, 4-articulati, articulis 3 primis subæqualibus, ultimo longiori et paullo angustiori. Oculi late remoti. Frons antice prominula. Ocelli nulli. Collare distinctum. Thorax postice sutura transversa, angulata. Scutellum parvum. Alæ lanceolatæ, apice rotundatæ; divaricatæ, nudæ, nervis 7 apicibus marginem interiorem attingunt, quorum axillaris modice longus, subrectus. Areola discoidalis oblongo-quadrata emittit ad apicem alæ nervos 3 simplices, quorum 2 superiores, basi cohærentes, furcam sessilem formant. Nervus transversus ordinarius obliqvus basi areolæ insertus. Margo interior subnudus. Halteres nudi. Pedes elongati, tenues, subnudi, inermes, exceptis calcaribus 2 in apice tibiarum brevissimis. Coxæ non elongatæ. *Color* flavus; pictura: vittæ nigræ. *Motus* et *habitatio* ut in *Tipula*. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, subclavato, appendiculato, antennis 19-articulatis, articulis flagelli excisis; *femina:* stylis analibus 2 rectis subulatis, antennis brevioribus 15-articulatis, articulis subcylindricis.

1. *N. dorsalis:* flava, thoracis vittis 3 atris; antennarum flagello abdominisque vitta dorsali nigris; pleuris immaculatis; alis subhyalinis, stigmate obscuro; pedibus flavo-ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscure fuscis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 5, ♀ circiter 6—6½ lin.).

Meig. Dipt. 1. 202. 1. ♂♀. Tab. 5. f. 19—22. Macqv. Buff. 1. 91. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 14 (caput maris). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 26. 1. ♂. *Tipula* eadem Fabr. Ent. Syst. 4. 237. 16. ♂. Antl. 28. 29. Latr. Gen. 4. 256.

Hab. in Scandinaviæ pratis, rarius; femina rarissime occurrit; mas in Scania captus, Mus. *Falleni;* masculi quoque in Lapponia Lulensi ad Qvickjock 1843 a Prof. *Boheman* inventi, mecumque horum unicum exemplum communicatum; in Dania demum mas in frutice ad Leersjön d. 2 Aug. semel lectus, D. *Stæger.* (E Petropoli etiam olim missa).

♂♀. *Pachyrh. Histrioni* et *Scurræ* statura et colore valde similis, sed a priori thoracis vittis dorsalibus rectis, nec lateralibus curvatis, pleuris subimmaculatis, punctis frontalibus ad oculos nullis; a posteriori magnitudine paullo minori, etc.; et ab ambabus stigmate obscuriore, et antennarum articulorum forma in ♂, eorumque in utroque sexu numero diverso, facile dignota. Flava. Frons vitta lanceolata, majuscula, nigra. Antennæ nigræ, articulis 2 (interdum etiam 3:tio) primis flavis, flagelli in ♂ subreniformibus. Palpi testacei l. fuscescentes. Thoracis vittæ dorsales atræ, nitidæ, laterales antice abbreviatæ; macula pone suturam utrinque nigra. Scutellum strigula, et metathorax vitta maculaque basali didyma, fuscis. Pleuræ subimmaculatæ. Pectoris maculæ obscuræ. Abdomen vitta dorsali, lineis lateralibus et unica ventrali, nigris. Anus ut in *Pach. Scurra* (n:o 10) constructus, in ♂ nempe crassiusculus, brevis, rufus, superne forficibus 2 prominulis, anguste ovatis, acutis, inflexis, flavis. Segmenta abdominis ultima nigricantia, nitida. Alæ subhyalinæ, nervis distinctis, stigmateque oblongo-ovali, obscuris. Halteres flavi. Pedes ut in diagnosi.

Obs. Hæc species per totam europam divulgata, nullibi tamen copiose obvenire videtur.

243. PSILOCONOPA Zett.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, lineare, glaberrimum, nitidum. Caput non magnum, rotundatum, oculis subexsertis transversum. Os parum productum. Antennæ thorace breviores, moniliformes, 16-articulatæ, articulo 1:mo majori. Palpi 4-articulati, articulis intermediis crassioribus. Oculi rotundi, integri, in fronte remoti, sub antennis connexi. Ocelli nulli distincti. Collare modice longum. Thorax ovalis, dorso convexus, sutura postica transversa. Scutellum subexsertum, transversum, breve. Metathorax leniter convexus, area media lævissima. Abdomen lineare, subdepressum, 8-annulatum. Alæ longiusculæ, lanceolatæ; divaricatæ, nudæ. Nervi 6 apicibus marginem interiorem attingunt, quorum axillaris modice brevis, lenissime flexuosus. Nervi subgraciles, præter 3:tium (a margine interiori) validiorem; transversus ordinarius mox ante basin areolæ discoidalis insertus. Areola mox pone medium alæ sita, oblongiuscula seu subobcuneiformis tres nervos simplices longiusculos, basi æquali spatio remotos, in marginem emittit, Nervulus, qui primum longitudinalem (a costa numeratum) et ramulum superiorem furcæ stigmaticalis connectit, adest. Stigma nullum. (Nervorum directio præterea fere ut in *Limnobia pilipede* Meig. Dipt. 1. Tab. 5. f. 6). Halteres nudi. Pedes modice longi, et modice graciles; nudi, inermes, nec tibiis apice calcarati. Coxæ non elongatæ. *Color* ater. *Habitatio* in fruticibus, locis paludosis. *Motu* agilis: in foliis reptat, captu sat difficilis. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, valvulis 2 breviusculis, rotundatis, subconniventibus, pilosulis; *femina:* ani segmento 1:mo longitudine circiter abdominis segmenti ultimi, sed multo angustiori, stylis 2 nonnihil longioribus subulatis paullo recurvis munito.

1. *Ps. Meigeni:* atra, nitidissima, thoracis linea utrinque humerali, scutello, halteribus, abdominisque incisuris citrinis; alis hyalinis, immaculatis; pedibus nigris,

femoribus basi ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ fere 2, ♀ 2¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 847. 1. ♂♀. Bohem. Öfversigt af Vet. Akad. Förh. 1844. p. 97.

Hab. in graminosis et foliis fruticum locis paludosis et ad ripas fluviorum, per Scandinaviam borealem, Jun. Jul., passim; scilicet in Bottnia boreali circa Luleå, et ad Råbäcken in paroecia Öfver-Luleå, 1838—1847, D. D. Geometra *J. A. Wahlberg* et Prof. *Boheman*; in Lapponia Umensi prope Templum Åsele 1832, ipse; in Lapponia Tornensi, D. *Frigelius*; in Nordlandia Norwegica in alpe Gamst-tind et aliis adjacentibus, Jul. 1821 in utroque sexu specimina plura legi.

♂♀. Tota atra, nitida, glaberrima. Antennæ capite circiter duplo longiores, subfiliformes, articulis parvis rotundatis approximatis. Orbita oculorum frontalis angusta, albida. Oculi quoque in viva nigri. Thoracis margo anticus pallide flavus, medio niger. Thorax dorso lævissimus. Scutellum transversum, flavum, nitidum. In pleuris antice maculæ aliquot parvæ citrinæ, et pone alas stria ejusdem coloris, sæpissime quoque observantur. Abdomen segmentorum margine apicali et supra et subtus albido-flavo, dorso vero incisuris posticis medio et anticis fere totis, sæpe nigris, immaculatis; in mortua plerumque rugulosum. Forceps in ♂ ferrugineo-fusca; styli anales in ♀ ferruginei. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis obscurioribus, stigmate non conspicuo. Margo interior brevissime subciliatus. Halteres validiusculi, flavo-albidi. Pedes mediocres, cum coxis nigri, femoribus basi anticis anguste, posterioribus late (fere ad apicem) ferrugineis. Tibiæ etiam interdum basi testaceæ.

244. RHIPIDIA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, glabriculum, opacum. Caput parvum, rotundatum, collo angusto a thorace distinctum. Os modice productum. Antennæ porrectæ, 14-articulatæ, articulis 1:mo cylindrico, 2:do 3:tioque cyathiformibus, sequentibus globosis, remotis, in mare pectinatis, ultimo subovali, simplici. Palpi exserti cylindrici, incurvi, pubescentes, 4-articulati, articulis subæqualibus, 1:mo paullo breviori. Oculi laterales, rotundi, undique remoti. Ocelli nulli. Thorax supra convexus, postice sutura transversa. Abdomen elongatum, 8-annulatum. Alæ incumbentes, modice angustæ, nervis 6 ad marginem interiorem apicibus descendentibus, horum axillaris modice longus, apice paullo curvatus. Nervus transversus ordinarius basi areolæ discoidalis insertus. Areola oblonga, subpentagona nervos tres simplices breviusculos, basi æquali spatio remotos, in marginem emittit. Margo interior brevissime ciliatus. Halteres nudi. Pedes elongati, graciles, inermes. Coxæ non elongatæ. *Color* griseus. Thorax vittatus. *Motus* ut in *Limnobia. Habitatio* in graminosis et fruticibus. *Differentia sexus; mas:* antennis longitudine fere thoracis, articulis flagelli (1:mo et ultimo exceptis) distincte bipectinatis, abdomine lineari, depresso, ano non magno, valvulis 2 rotundatis inflexis pubescentibus, forcipato; *femina:* antennis thorace paullo brevioribus, articulis pilosis absque pectinibus, abdomine lanceolato, ani segmento ultimo parum angustiori, stylis 2 modice brevibus, subulatis, leniter recurvatis appendiculato. — Genus, præter antennarum fabricam, *Limnobiæ* valde simile.

1. *Rh. maculata:* grisea, thoracis vittis dorsalibus 3 fuscis; fronte cana; alis albido-hyalinis, punctis plurimis fuscis sparsis, costalibus distinctioribus; pedibus flavidis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ circiter 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 153. 1. ♂♀. Tab.5. 11 (mas). Macqv. Buff.

1. 93. 1. Tab. 2. f. 1 (caput maris). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 27. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis et fruticibus locis paludosis, per prata et silvas Scandinaviæ meridionalis et mediæ, a mense Junio usque ad initium Octobris, passim; in copula etiam aliquoties deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås sat frequens; in Smolandia ad Anneberg prope Grenna; in Ostrogothia in palude Fylla prope Wadstena, et ad Gusum; in Gottlandia in pratis litoralibus ad Nähr, parce; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg;* in Jemtlandia ad diversoria Forsa et Faxelfven, non raro; in Dania in Charlottenlund, rarius, D. *Stæger.* (In Germania ad Neuenkirchen 15—20 Maj., D. *Dahlbom).*

♂♀. Cinerascens l. grisea. Frons cana. Antennæ, palpi longitudine capitis, et rostrum fusca. Oculi, et fronte et sub antennis remoti, in viva obscure æneí, dimidietate inferiori (in ♂) violacea. Thoracis vittæ dorsales brunneæ, media lata, integra, distincta, laterales parvæ, puncto humerali exiguo impresso nigro. Thorax antice summo margine albido. Abdomen fuscum, pubescens. Anus fuscus, stylis in ♀ ferrugineis. Alæ longiusculæ, albido-hyalinæ, nervis subtenuibus, dilute fuscis, transversis fuscedine cinctis. Superficies tota punctis numerosis sparsis pallide fuscis obsoletis, maculis 4—6 costalibus paullo obscurioribus. Nervi apicales pilosuli. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes tenues, flavescentes, coxarum articulo 1:mo basi, femorum annulo apicali, tibiarum apice tarsorumque articulis 4 ultimis obscure fuscis.

---

245. CTENOPHORA Fabr.

Corpus magnum, oblongum, robustum, glabriculum, sæpissime nitidum. Caput subtransversum, collo brevissimo a thorace

distinctum. Rostrum breviusculum, crassum, antice superne acuminatum. Antennæ porrectæ, 13-articulatæ, articulis 1:mo subcylindrico, 2:do parvo globoso aut brevi cyathiformi, 3:tio oblongo interdum difformi, sequentibus in ♂ oblongis, pectinatis, in ♀ rotundatis l. subserratis, simplicibus; ultimo in utroque sexu minori, simplici. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, pubescentes, 4-articulati, articulis 1:mo breviori, 2 et 3 æqvalibus, subclavatis, 4:to longissimo, angustiori. Oculi laterales (in angulo capitis antico), rotundi, latissime remoti. Ocelli nulli. Collare distinctum, elevatum. Thorax supra convexus, postice sutura transversa angulata. Abdomen crassiusculum, 8-annulatum. Alæ mediocres, divaricatæ, nitentes, nervis 7 longitudinalibus ad marginem interiorem apicibus descendentibus, horum axillaris modice longus, subrectus. Areola discoidalis oblonga, subpentagona, utrinque (antice et postice) subacuta, ex angulis posterioribus nervos 2 in marginem emittit, superiorem furcatum, petiolo breviori. Margo interior nudus. Halteres modice longi, nudi. Pedes modice longi, tenuiusculi, inermes, tibiis apice bicalcaratis. Femur, tibia et tarsus in singulo pede fere æque longa. Coxæ non elongatæ. *Color* ater, pictura rufa l. flava. In lateribus thoracis macula linearis flava sæpissime adest; color vero in speciebus hujus generis minus constans, sæpe ludit. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in hortis, nemoribus et sylvis: in arborum exaridarum aut putrescentium truncis (Qvercus, Populi, Pyri etc.) feminæ ova depositaræ sæpe deprehenduntur, et masculi ibidem feminas quærentes. Larvæ apodæ, cylindricæ, sordide albidæ in ligno putrescente vivunt. Pupæ aculeatæ. *Differentia sexus* conspicua; *mas:* antennis longitudine fere thoracis, pectinatis, abdomine cylindrico, ano elevato, clavato, varie appendiculato; *femina:* antennis brevioribus, simplicibus, abdomine lanceolato l. fusiformi, ano plerumque elongato, semper stylis 2 subensiformibus. *Typus* generis: *Ct. pectinicornis.*

A. Antennæ masculorum radiis quadruplici serie dispositis; brevioribus inferioribus; feminarum subtus subserratæ. Meig. 1. Tab. 5. f. 16.

1 *pectinicornis* Linn. (*Tipul. nigro-crocea* Deg. *Tip. variegata* Fabr.?) ♂♀. 2 *flaveola* Fabr. (*Tip. crocata* Schrank ♂) ♂♀. 3 *guttata* Meig. ♂♀.

B. Antennæ masculorum radiis triplici serie dispositis, serie breviorum inferiori; feminarum articulis 1 et 3 elongatis, cylindricis, 2:do brevi, subcyathiformi, seqventibus longitudine sensim decrescentibus, versus apicem alæ subrotundatis. Meig. 1. Tab. 5. f. 15 (antenna maris ex parte). Anus feminæ longe acuminatus. — *Xiphura*, Brullè, Tab. 5. f. 2. a (antenna feminæ tota).

4 *atrata* Linn. (*Tip. ichneumonea* Deg. ♀. *Xiphura Villaretiana* Brullè, ♀. *Ctenoph. ruficornis* Stæg. ♀. — Var. b. ♀. — Var. c. ♂: *Ctenoph. atrata* et *ruficornis* Meig. videtur) ♂♀. 5 *nigricornis* Meig. ♂♀.

C. Antennæ masculorum radiis duplici serie dispositis; feminarum breviores, articulis 1:mo modice brevi, crassiusculo, subobconico, 2:do brevissimo, cyathiformi, 3:tio modice longo, ovali, sequentibus rotundatis. Meig. 1. Tab. 5. f. 14 (antenna maris ex parte). Anus feminæ modice longe acutus.

6 *bimaculata* Linn. ♂♀.

Ctenophora.

A. Antennæ masculorum radiis quadruplici serie dispositis; brevioribus inferioribus; feminarum subtus subserratæ. Meig. 1. Tab. 5. f. 16.

1. *Ct. pectinicornis:* atra, nitida, antennis conco-

loribus, articulo saltem 3:tio ferruginante; palporum basi, collari thoracisque maculis lateralibus flavis; abdomine rufescente, maculis dorsalibus atris, strigisque lateralibus sulphureis; alis hyalinis, stigmate fusco; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice in ♂, tarsisque in utroque sexu, nigris. ♂♀. (Long. ♂ 8, ♀ 9—10 lin.).

Fabr. Antl. 17. 1. ♂. Meig. Dipt. 1. 160. 5. ♂♀. Tab. 5. f. 16 (antenna maris ex parte); Ejusdem 6. p. 285. Macqv. Buff. 1. 78. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 849. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 2. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 3. *Tipula pectinicornis* Linn. Fn. Sv. n:o 1735. ♂. Syst. Nat. 2. 970. 1. ♂♀. Schæff. Icon. Tab. 106. f. 5. 6. Schrank, Ins. Austr. 421. 853. ♂♀. etiam larva et pupa. — *Tipula nigro-crocea* Deg. Ins. 6. 400. 24. ♂♀. Tab. 25. f. 1—5. *Tipula variegata* Fabr. Ent. Syst. 4. 236. 11? ♀. *Ctenophora* eadem Fabr. Antl. 17. 2? ♀. (exclus. synon.). (Cfr *observatio* sub *Pachyrhina imperiali* p. 3991. n:o 3).

Hab. in hortis, nemoribus, pratis et sylvis Scandinaviæ, Jun. Jul., sat vulgaris, in copula quoque capta; scilicet in Scaniæ hortis (præsertim in truncis arborum Pomonæ) ex. gr. ad Lund, Abusa, Björnstorp *(Gyllenkrok)*, Esperöd etc. frequens; in Ostrogothia; in Gottlandia ad Garde etc.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad alpem Brattiksfjell, rarissime; in Norwegia ad Christianiam, et Töien, D. D. *Moë* et *Siebke*; in Dania in Dyrehaven rarius, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam et in Putbus 31 Maj. — 6 Jun. 1843, D. *Dahlbom*. Marem e Lübeca a D. *J. Behrens* etiam obtinui). Larvæ in ligno non solum arborum pomonæ, verum etiam aliarum frondi-ferarum ex. gr. Salicum, ut et coniferarum degunt.

♂♀. Magna, nitida, colore dominante atro. Caput nigrum, pilosum. Antennæ nigræ, articulo 3:tio fere semper, et quoque 1 et 2 sæpe, præsertim in ♀, ferruginantibus. Sub antennis puncta 2, et supra illas unicum, flava. Rostrum versus apicem superne præcipue in ♀ ferrugineum. Palpi flavescentes, apice nigro-fusci. Collare flavum. Vitta lateralis sub thoracis dorso, pleurarum maculæ, metathoracisque latera, flava. Abdomen ferrugineum; in ♂ vitta dorsali in apice 1:mi segmenti incipiente inæqvali subcontinua nigra, et sæpe etiam lineola laterali ejusdem coloris; ano magno, nigro, fasciculis 2 pilorum flavorum inflexis, apicibus conniventibus, et subtus corpusculo reflexo, flavo, munito; in ♀ vitta dorsali nigra multo latiori imprimis postice, et plerumque alia ventrali ejusdem coloris, ano atro, stylis longiusculis, anguste cultratis, ferrugineis. Abdomen præterea lateribus in utroque sexu strigis l. maculis transversis sulphureis. Alæ hyalinæ, basi ferrugineæ; nervis distinctis et stigmate determinato, nigricantibus. Furcæ ordinariæ petiolus ramis circiter 6-tuplo brevior. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

Var. b. ♂. metathorace toto nigro; ano ferrugineo, nigro-maculato, superne appendiculis 2 sub-conicis remotis porrectis nigricantibus, et in medio 2 aliis latioribus foliaceis ferrugineis apicibus conniventibus. Cetera ut in ♂ var. a. Ad Brattiksfjell Lapponiæ Umensis semel.

Obs. 1. In Museo Linnei, hodie Londini asservato, exemplum masculum hujus speciei nomine: "*Tipula pectinicornis*" designatum exstat, teste *Haliday* (Ent. Zeit. Stett. 1851. p. 133).

Obs. 2. In trunco Pini sylvestris arido ad Broa in Fåhrön Gottlandiæ, D. *Dahlbom* d. 12 Jul. 1850 invenit quatuor exempla puparum vacuarum, ad dimidium extra superficiem trunci protrusarum, quæ aculeata et circiter 1 pollicem longa exacte conveniunt cum Reaumuri Tab. 1. fig. 12 et 13 in ejus Tomo 5:to. Forte igitur imagines jam egressæ *Ctenophora pectinicornis* fuerunt.

2. *Ct. flaveolata:* atra, antennis ferrugineis, in mare

radiis nigricantibus; collari, pleurarum vitta superna abdominisque cingulis 7 in utroque sexu flavis; alis flavicantibus, stigmate fusco; pedibus ferrugineis, tibiarum apice tarsisque obscuris; posticorum femorum annulo in ♀ fusco. ♂♀. (Long. ♂ 7—8, ♀ 9 lin.).

Fabr. Antl. 18. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 1. 161. 6. ♂♀. Latr. Gen. 4. 252. Macqv. Buff. 1. 78. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan 1840. p. 2. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 4. *Tipula flaveolata* Fabr. Ent. Syst. 4. 234. 6. ♂♀. Reaum. Ins. 5. Tab. 1. f. 14—16. *Tip. crocata* Schrank, Ins. Austr. 423. 854. ♂ (exclus. ♀). Herbst, Gemeinn. Naturg. d. Thierr. 8. Tab. 338. f. 3.

Hab in truncis arborum et exaridarum et viventium, per hortos et nemora Scandinaviæ meridionalis et mediæ, 18 Maj. — 15 Jun., passim; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Björnstorp, Esperöd, etc., non raro; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Dania in Dyrehaven parce, D. *Stæger*. (Specimina a *Meigen* communicata quoque possideo).

♂♀. Abdomine nigro, cingulis 7 flavis, 1:mo remoto, ab aliis facile dignota. Nigra, parum nitida. Caput pilosum, punctis 2 sub antennis, et 1 supra illas flavis ut in priori. Antennæ in ♀ totæ ferrugineæ; in ♂ articulis 1 et 2 supra fusco-ferrugineis, 3:tio (in utroque sexu subtus dilatato-rotundato), flavo, rachi ferruginea, apice omnibusque radiis nigris. Rostrum supra, basi nigra excepta, palporumque articuli 2 primi rufo-ferruginea. Collare distinctum, flavum, lateribus nigrum. Thorax supra pilosus. Pleuræ supra vitta horizontali pallida. Scutellum macula parva flava. Abdomen crassiusculum, basi fascia, et segmentorum 3—8 margine apicali, fla-

vis. Anus in ♂ crassiusculus, modice elevatus, subnitidus, niger, valvula superiori leniter emarginata, appendiculis parum prominentibus præter corpusculum cylindricum pendulum nigrum; in ♀ niger, nitidus, stylis 2 modice longis, ensiformibus, ferrugineis. Alæ flavidæ, præsertim basi et costa; nervis validiusculis, inferioribus et apicalibus fuscis, stigmate obscuro. Halteres flavi. Pedes ferruginei, ut in diagnosi picti.

Obs. Secundum *Scheffer* larvæ in truncis vetustis Aceris vivunt.

3. *Ct. guttata:* nigra, antennis concoloribus, basi subtus ferrugineis; thoracis stria laterali ochracea; abdominis lateribus albido-maculatis; alis subcinerascentibus, stigmate nigro; femoribus ferrugineis, apice fusco. ♂♀. (Long. circiter 8 lin.).

Meig. Dipt. 1. 165. 9. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 5. (sexu non indicato).

Hab. in Svecia boreali, Westmannia, ubi in paroecia Norberg 2 specimina feminea 1849 inventa, unum a Pictore *Fredriksson*, et alterum a Studioso *Johansson* lecta, ambo Museo Acad. Scient. Holmiæ donata, teste Prof. *Boheman.*

Specie mihi ignota, Meigeni descriptionem *maris* secundum *Wiedemann* factam afferre lubet: "Antennæ nigræ, basi subtus ferrugineæ, utrinque nigro-pectinatæ. Palporum basis flavescens. Caput nigrum, tantum mox sub antennarum radice punctis 2 oblongiusculis pallide flavis. Stethidium nigrum, stria utrinque laterali ante radicem alarum ochracea. Abdomen basi fascia flavescente; segmentis 2—6 in margine postico macula laterali parva transversa albido-flava. Venter fasciis 3 transversis in margine postico segmentorum 4:ti, 5:ti et 6:ti. Alæ paullulum cinerascentes, stigmate nigro. Halteres ochracei. Pedes a coxis ferruginei, apice femorum, ti-

biarum tarsorumque nigro-fusco, tantum geniculis summis paullo ferrugineis. Femora postica ad apicem paullo incrassata". Meig. l. c. (*)

Obs. Circa Wiennam hæc species in silvis frondiferis Jun. Jul. rarius occurrit, affirmante D. *Rossi.* — Petropoli capta 1822, D. *Hummel.*

B. Antennæ masculorum radiis triplici serie dispositis, serie breviorum inferiori; feminarum articulis 1 et 3 elongatis, cylindricis, 2:do brevi, subcyathiformi, sequentibus longitudine sensim decrescentibus, versus alæ apicem subrotundatis. Meig. 1. T. 5. f. 15 (antenna maris ex parte). Anus feminæ longe acuminatus. — *Xiphura,* Brullè, Tab. 5. f. 2. a. (antenna feminæ tota).

4. *Ct. atrata:* atra, nitida; antennis obscure ferrugineis, articulis 2 primis nigris; alis subhyalinis, stigmate

---

*) manuscripto jam prelo commisso, Prof. *Boheman* sequentem *feminæ* completam diagnosin et descriptionem benevole communicavit, quas, debita venia, reddo:

"*Ctenophora guttata:* nigro-chalybea, nitida; antennis articulo tertio subtus palpisque medio rufo-testaceis; vertice macula parva subtriangulari, thorace utrinque vitta antealari, abdomine lateribus serie e maculis transversis segmentorumque apicibus subtus, albidis; halteribus pedibusque rufo-testaceis, tibiis, basi excepta, tarsisque nigro-fuscis; alis leniter fumatis, stigmate nigricante. ♀. Long. 10—12 lin.

Meig. Dipt. 1. 165. 9. ♂.

Hab. in Westmannia ad pagum Norberg paroeciæ ejusdem nominis versus finem mensis April. rarius. A Dom. *A. Fredrichsson* individua 2, et a Dom. *Johanson* specimen unicum, mihi benevole communicata.

Femina. Statura *Ctenophoræ pectinicornis* nonnihil major. Caput chalybeo-nigrum, subopacum, parce nigro-pilosum; vertice macula parva, triangulari, albida, media tenuiter, longi-

fusco; *mas:* abdomine toto nigro, ano subtus rufo, pedibus nigricantibus, femorum basi ferruginea; *femina:* abdomine atro, basi rufo-ferrugineo, pedibus ferrugineis, tibiarum apice tarsisque nigris. ♂♀. (Long. ♂ 8, ♀ 10—11 lin.).

Fabr. Antl. 19. 6. ♀. Meig. Dipt. 1. 158. 3. ♀. Macqv. Buff. 1. 79. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 848. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 8. 2. *Tipula atrata* Linn. Fn. Sv. p. 433. n:o 1749. ♀. Syst. Nat. 2. 972. 14. Fabr. Ent. Syst. 238. 22. ♀. Schrank Ins. Austr. 419. 848. ♀. *Tip. ichneumonea* Deg. Ins. 6. 350. 11. Tab. 19. f. 10. ♀. Schæff. Icon. Tab. 32. f. 1. *Xiphura Villaretiana* Brullè, Ann.

---

tudinaliter canaliculata. Palpi testacei, articulo primo sæpe basi, quarto semper toto, nigro-fuscis. Antennæ nigræ, parce setulosæ, dimidio exteriore serratæ, articulo primo elongato, apicem versus sensim incrassato, secundo parvo, brevi, apice truncato, tertio sequentibus nonnihil longiore et latiore, basi tenuiore, subtus rufo-testaceo, articulis reliquis brevibus, obliquis, ultimis sensim decrescentibus. Thorax nigro-chalybeus, nitidus, lævis, pilis fuscis, postice præsertim, parce adspersus, utrinque vitta antealari, sat lata, nonnihil obliqua, usque ad apicem non extensa, et altera postalari, angusta, albidis. Halteres rufo-testacei. Abdomen antice constrictum, infra medium ampliatum, apicem versus attenuatum, pulchre nigro-chalybeum, nitidum, basi membrana albida prothoraci adfixum, segmentis 3—7 utrinque in margine postico macula transversa albida, maculis 3—4 ceteris nonnihil majoribus; subtus segmentis 4—8 margine apicali extrorsum latius albido. Alæ leviter fumatæ, nervis nigro-fuscis, basi tectaceis, omnino ut in *Ct. pectinicorni* directis, stigmate nigricante. Pedes rufo-testacei, femoribus apicem versus subcrassioribus, coxis anticis nigro-fuscis, ipso apice rufo-testaceis, tibiis, basi excepta, tarsisque totis nigro-fuscis. *Boheman.*"

Soc. Ent. 1832. 1. p. 208. 1. Tab. 5. f. 2. ♀. *Ctenoph. ruficornis* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 3. 4. ♀.

Hab. in Scandinaviæ hortis et sylvis Jun. Jul. passim; scilicet in Scania ad Lund et Näsbyholm, rarius; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *P. F. Wahlberg*; in Medelpadia, ipse; in Lapponia Umensi ad lacos Stor-Uman et Wojmsjön; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Norwegia ad Töien, D. *Siebke*; in Dania, D. *Stæger*. (Femina ad Neuenkirchen, Trawemünde et Hamburgum 20 Maj. — 2 Jun. a D. *Dahlbom* capta; etiam ex Helvetia communicata).

♂♀. Cauda maris tumida, reflexa, et oviductu feminæ longissimo, ensiformi, recurvo, a præcedentibus dignota. Atra, nitida, pilosula. Caput nigrum, immaculatum. Antennæ in utroque sexu longitudine fere thoracis, fuscæ, interdum (præsertim in ♀) fusco-ferrugineæ, articulis 1 vel 1 et 2 primis semper nigris, 3:tio in ♂ subtus rotundato-dilatato. Oculi in ♀ magis exserti, quam in ♂. Palpi nigri, articulis 2 basalibus testaceis. Collare jam nigrum, jam piceum. Stethidium immaculatum, præter maculam ante alas vittam lateralem inchoantem, flavam plerumque præsentem. Abdomen: in ♂ cylindricum, nigrum, ima basi fascia indeterminata glauca l. lurida; ano magno, reflexo, rotundato-ovali, pubescente, subtus rufo, rima longitudinali versus apicem ampliata, in cujus medio costa tenuis (organon genitale inflexum?) pallide flava observatur, præterea nullis appendiculis exsertis munito; in ♀ fusiforme, atrum, segmentis 2 basalibus rufo-ferrugineis, apice longe acuminato, una cum stylis duobus terminalibus parallelis elongatis oviductum vaginantibus, falcem bivalvem recurvatam acutam formante. Alæ subhyalinæ, certo situ glaucescentes, nervis distinctis, stigmate obscuro. Area discoidalis oblonga, pentagona, ramis nervi furcati ordinarii petiolo triplo l. quadruplo longioribus. Halteres plerumque sordide albidi l. testacei, clava interdum leniter fu-

sca. Pedes ferruginei, in ♂ femorum tibiarumque apice tarsisque fere totis obscuris, in ♀ tibiarum apice tarsisque obscuris, in utroque sexu coxarum articulo 1:mo nigro.

Var. b. ♀. abdominis segmentis mediis margine apicali albido, et interdum etiam lateribus rufo-maculatis; in ceteris simillima var. a., cum qua passim habitat.

Var. c. ♂. similis omnino var. a.; sed differt: antennis flavo-ferrugineis, articulis 1:mo nigro, 2:do fusco, apicalibus (1—3) obscuris; collari flavo; vitta pleurarum pallida; abdomine rufo-ferrugineo, vitta dorsali ad incisuras plerumque interrupta, et cauda (exacte ut in var. a. constructa) macula superna magna, nigris; coxarum articulo etiam 1:mo sæpe (non semper) ferrugineo, basi plus minus late nigro. An *Cten. atrata* Meig. Dipt. 1. 158. 3. ♂. (exclus. synon.)? *Cten. ruficornis* Meig. Dipt. 6. p. 284. 12. ♂? Macqv. Buff. 1. 79. 7? Hab. in Svecia cum var. a. valde rara. E Gryphia et Helvetia eandem quoque obtinui. Mihi tantum varietas pallidior, forte juvenilis, videtur.

Obs. Var. a. per totam Sveciam sat freqventer, var. c. vero rarissime occurrit. Exinde quoque colligere liceat, nostram varietatem a. esse *Tipulam atratam* Linnæi genuinam, sub quo nomine specimina 2 feminea etiam in Museo Linnæano Londini conservantur, teste *Haliday*. (Mas vero *Ctenophoræ atratæ* Meig. sub nomine "*Tipula pectinicornis*" in eodem Museo occurrit).

5. *Ct. nigricornis:* atra, nitida; antennis totis nigris; abdominis segmentis 2 et 3 in *mare* lateribus late, in *femina* totis rufo-ferrugineis; alis hyalinis, stigmate fusco; pedibus ferrugineis, coxis, femorum tibiarumque apice tarsisque nigricantibus. ♂♀. (Long. ♂ 7, ♀ saltem 8 lin.).

Meig. Dipt. 1. 159. 4. ♂. Macqv. Buff. 1. 80. 8. ♂ certe; vix ♀.

Hab. in Svecia media et boreali, nec non in Lap-

ponia, 15 Jun. — 24 Jul., minus frequens, in copula quoque deprehensa; scilicet in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad diversorium Forsa juxta radicem alpis Mulfjellet, semel; in Lapponia Lu-Lulensi, Prof. *Boheman*; in Lapponia Tornensi ad Wittangi (♂ in Betula alba 15 Jun.) et Juckasjervi (uterque sexus in copula in graminosis 3 Jul.).

♂♀. *Cten. atratæ* valde similis, sed magnitudine paullo minori, antennis totis nigris, abdominis pictura ferruginea in segmentis 2 et 3 (nec in segmentis 1 et 2), etc., sine dubio distincta. Tota atra, nitida. Caput immaculatum. Antennæ nigræ l. nigricantes, articulo 1:mo atro. Palpi nigri. Collare atrum. Abdomen ut in priori constructum etiam quoad differentiam sexualem, segmentis 2 et 3 in ♂ fascia lata interrupta ferruginea (horum segmentorum margine apicali nigro), in ♀ totis ferrugineis. Clava in ♂ subtus interdum rufescens. Halteres flavi. Pedes in utroque sexu similiter picti, nempe ferruginei, coxarum articulis ambobus, femorum tibiarumque apice tarsisque nigricantibus. Reliqua ut in præcedente.

Var. b. ♂. Simillima var. a. a qua tantum abdomine toto nigro, segmento 1:mo basi fascia glauca, incisuris omnibus brunneis, halterum stipite nigricante, pedibus nigris, coxarum anticarum articulo 2:do, femoribus anticis a basi ad medium et paullo ultro, trochanteribusque omnibus ferrugineis, differt. Zett. Ins. Lapp. var. b. ♂. In Lapponia Umensi ad pagum Tresunda 11 Jul. 1832 in unico exemplo inventa.

C. Antennæ masculorum radiis duplice serie dispositis; feminarum breviores, articulis 1:mo modice brevi, crassiusculo, subobconico, 2:do brevissimo, cyathiformi, 3:tio modice longo, ovali, sequentibus rotundatis. Meig. 1. Tab. 5. f. 14 (antenna maris ex parte). Anus feminæ modice longe acutus.

6. *Ct. bimaculata:* atra, nitida; antennis nigris, articulo 1:mo atro; palpis flavis, apice obscuris; abdomine in ♀ lateribus et subtus ferrugineo-maculato; alis in utroque sexu hyalinis, stigmate distincto, maculaque apicali sæpe subobsoleta nigricantibus; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice, tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ $4\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$, ♀ 6—7 lin.).

Fabr. Antl. 18. 3. Meig. Dipt. 1. 156. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 80. 9. ♂♀. Tab. 1. f. 10 (antenna maris). Zett. Ins. Lapp. 848. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 2. 3. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 466. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 1. *Tipula bimaculata* Linn. Fn. Sv. 433. 1750. ♂♀, et Ejusdem Museum. Deg. Ins. 6. 403. 25. ♂♀. Schæff. Icon. Tab. 111. f. 5. 6. Reaum. Ins. Tom. 5. Tab. 4. f. 1. 2. Fabr. Ent. Syst. 4. 240. 28.

Hab. in hortis, pratis sylvaticis, etc., per totam Scandinaviam, alpibus Lapponicis tantum exceptis, vulgaris, in copula etiam observata, et feminæ in truncis arborum sæpe deprehensæ; species mihi a d. 6 Jun. per totum Jul. et Aug. usque ad Sept. obvia; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia ad prædium Berga, D. *Dahlbom;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena etc., minime raro; in Ölandia ad Glömminge; in Gottlandia ad Thorsborg, Westerby, Kräcklingbo, Gothem, Stenkyrka, etc.; in Jemtlandia, parce; in Lapponia Umensi (in truncis putridis Betulæ albæ et variarum Salicum) ex. gr. ad Tresunda et Wilhelmina plures feminas legi; in Norwegia ad Töien, Edsberg et Aamodt, D. *Siebke;* in sylvis Daniæ, Aug. et Sept., mas frequens, femina rarius, D. *Stæger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*, et e Gryphia, Trawemünde, Rixdorff, Johannis Thal

et Rudower prope Berolinum in pluribus exemplis a D. *Dahlbom*, communicata). Larvæ cylindricæ, læte cinereæ, microscopice villosæ, in quovis annulo serie transversali setarum subcurvatarum obsitæ, 8 lin. longæ, in ligno putrescente Salicis, Pruni etc., degunt et hybernant; pupæ cylindricæ, obscure brunneæ, transversim muricatæ, primo vere excluduntur.

♂♀. Magnitudine paullo minori, antennarum radiis biseriatis, alis bimaculatis, etc., a prioribus abunde et facile dignota. Tota atra, nitida. Caput immaculatum. Antennæ in ♂ longitudine thoracis, articulis 1:mo atro, flagelli nigricantibus, radiis omnibus introrsum versis; in ♀ capite vix longiores nigro-fuscæ, basi atræ. Palpi flavi, articulo saltem ultimo obscuro. Oculi in viva brunneo-nigri. Collare nigrum. Stethidium nunc immaculatum, nunc in thoracis dorso lineis 2 tenuibus, subarcuatis, ferrugineis; vitta laterali interdum fusca l. picea. Abdomen in ♂ cylindricum, minus nitidum, puberulum, nigrum, ano non magno, concolore, superne appendiculis 2 parvis, brevibus, cylindricis, ferrugineis, et inferne carina obscura munito; in ♀ lanceolatum, nitidissimum, glabrum, nigrum, maculis ferrugineis, lateralibus transversis, ventralibus plerumque majoribus quadratis ornatum, ano acuto, rufo-maculato, stylis 2 modice longis, fere rectis, acutis. Alæ hyalinæ, nervis distinctis, transversis fuscedine subcinctis, stigmate magno nigro, sub quo macula ad areolam extensa nigro-fusca. In apice alæ adest quoque macula nigro-fusca, in ♂ plerumque obsoleta, in ♀ magis distincta. Halteres fusci, clava nigricante. Pedes ferruginei, coxarum articulo basali, femorum tibiarumque apice tarsisque nigricantibus.

246. PTYCHOPTERA Fabr.

Corpus mediæ l. majoris magnitudinis, oblongum, medio angustatum; nitidum, glabriculum. Caput sessile, cum oculis transversum. Rostrum breviusculum, antice superne leniter acutum. Antennæ porrectæ, filiformes, pilosulæ, 16-articulatæ, articulis 1:mo brevi, crassiusculo, cylindrico, 2:do brevissimo, cyathiformi, 3:tio longissimo, filiformi, reliquis oblongis, ultimo minori. Palpi exserti, elongati, filiformes, incurvi, pilosuli, 4-articulati, articulis 1:mo breviori, 2 et 3 paullo longioribus æqualibus, ultimo longissimo, setaceo. Proboscis exserta, capitulo magno, carnoso. Oculi laterales, rotundi, late remoti. Ocelli nulli. Collare nōn distinctum. Thorax ovatus, supra convexus, longitudinaliter striis impressus, antice nonnihil prominulus, postice sutura transversa. Scutellum parvum. Metathorax sat magnus, convexiusculus. Abdomen basi angustatum; 8-annulatum. Alæ longitudine circiter abdominis, modice latæ, divaricatæ. Nervi 5 longitudinales ad marginem interiorem (a basi ad medium plicatulum) apicibus descendunt, quorum 1:mus (a basi numeratus, seu axillaris) apice incurvus, 2:dus flexuosus, 3:tius rectissimus, 4 et 5 e furca breviori orti. Nervi: 2 longitudinales subapproximati (nullo interjecto completo, interdum tantum rudimento abbreviati) versus apicem alæ furcati, furca superiori longiori, ramis apicem alæ amplectente; inferiori multo breviori, pone apicem in margine excurrente; transversi in medio alæ ducti. Areola discoidalis nulla. Halteres nudi. Pedes mediocres, puberuli, inermes, præter calcaria 2 in apice tibiarum. Coxæ modice longæ. Femora versus apicem leniter crassiora. *Color* niger, pictura vix ulla. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis et fruticibus locis paludosis vel in vicinitate aquæ. *Differentia sexus; mas:* antennis thorace paullo longioribus, abdomine versus apicem paullo incrassato, ano modice crasso, breviusculo, parum reflexo, appendiculis 4 magis exsertis subclavatis munito; *femina:* antennis thorace paullo brevioribus, abdomine versus apicem distincte incrassato, apice

ipso acuto, stylis analibus 2 modice longis, ensiformibus, parallelis, leniter incurvatis. *Typus* generis: *Ptychoptera contaminata.*

1 *contaminata* Linn. ♂♀. 2 *lacustris* Meig. var. a. b. ♂♀. 3 *paludosa* Meig. ♂♀. 4 *albimana* Fabr. (*Tipul. ocreata* Scrank) ♂♀. 5 *scutellaris* Hffgg. Meig. (*Ptychopt. nigra* Fabr. non Linn.) ♂♀.

Ptychoptera.

1. *Pt. contaminata:* atra, nitida, pleuris schistaceis; palpis scutelloque flavis; abdomine in ♂ cingulis 2, in ♀ maculis lateralibus, ferrugineis; alis hyalinis, fasciis 3 dimidiatis punctisque aliquot fuscis; pedibus flavo-ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ circiter 3, ♀ 4—4¾ lin.).

Fabr. Antl. 20. 1. Meig. Dipt. 1. 205. 1. ♂♀., et 6. p. 290. Macqv. Buff. 1. 76. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 849. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 1. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 467. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 1. *Tipula* eadem Linn. Fn. Sv. 432. n:o 1743 (*). Syst. Nat. 2. 972. 8. Reaum Ins. 5. Tab. 6. f. 1—3. Geoffr. Ins. 2. 558. 8. Schæff. Icon. Tab. 196. f. 3 ♂; Tab. 48. f. 7 ♀. Schrank, Ins. Austr. 427. 863. Latr. Gen. 4. 257.

Hab. in graminosis et fruticibus, locis paludosis et ad aqvas, per Scandinaviam meridionalem et mediam, vulgatissime, septentrionalem rarius, sub tota æstate florens, in copula etiam copiose observata; scilicet in Scania

*) Affirmante *Haliday* duo exempla in Museo Linneano nomine "*Tip. contaminata*" designata ad *Limnobiam* 4-*notatam* Meig. pertinent.

ubique abundans; in Smolandia, Ostrogothia et Uplandia, passim; in Jemtlandia, parce; in Norwegia ad alpem Kälahög etc., rarius; in Dania freqvens. (E Zirkow in Rugia, etiam in Eldena, Gryphia et Neuenkirchen in multis exemplis a D. *Dahlbom* cummunicata).

♂♀. Atra, nitida. Antennæ nigræ. Oculi in viva nigri. Palpi fusci, interdum ferruginei, in ♂ sæpe flavi; variant etiam fusci, basi flavi. Proboscis fusca l. pallida. Pleuræ certo situ argenteo-micant. Scutellum parvum, flavum. Abdomen in ♂ medio fasciis 2, et appendiculis analibus, ferrugineis; in ♀ etiam medio maculis lateralibus transversis utrinque 2 vel 3, stylisque analibus, ferrugineis. Alæ hyalinæ, basi et ad costam dilute flavidæ, fasciis subtribus costalibus, 1:ma juxta basin, maculiformi, 2:da in medio alæ abbreviata, distinctiori, nervulos transversos transeunte, 3:tia ad stigma breviori, interrupta, furcarum basin obtegente, punctisque costalibus plerumque 3, fuscis. Halteres fusci, petiolo pallidiori. Pedes flavi, coxis ferrugineis, femorum et tibiarum apice, calcaribus, tarsorumque articulis 3 ultimis, obscuris.

2. *Pt. lacustris:* atra, nitida, pleuris concoloribus; palpis flavis; scutello nigro; abdomine in ♂ cingulis 2 ferrugineis, in ♀ sæpissime immaculato; alis hyalinis, fasciis duabus fuscis; pedibus flavo-ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ circiter 3, ♀ $4\frac{1}{2}$—4lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine in ♂ cingulis 2 ferrugineis, in ♀ immaculato.

Meig. Dipt. 6. 291. 5. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 76. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 1. 2. ♂♀. Rossi, Dipl. Austr. 1848. p. 7. 4.

Var. b. ♂♀. abdomine in utroque sexu cingulis 2 ferrugineis.

Hab. in paludosis per Scandinaviam meridionalem, Jun. Jul., passim: in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby utramque varietatem frequenter legi; in Daniæ Charlottenlund Jul. var. a., sat vulgaris, D. *Stæger*, a quo etiam specimina obtinui.

♂♀. Similis omnino priori, a qua pleuris atris nitidis, nec argenteo-micantibus, scutello nigro, nec flavo, abdomine in ♀ plerumque immaculato, et denique alis in utroque sexu fusco-fasciatis, sed vix simul punctatis, differt. Palpi flavi. Scutellum nigrum l. piceum. Abdomen in ♂ semper fasciis 2 ferrugineis, appendiculis analibus 2 superioribus filiformibus pilosulis pallide flavis; in ♀ aut immaculatum, stylis ani ferrugineis, aut in var. b. fasciis 2 mediis et stylis analibus ferrugineis, his basi fuscis. Alæ hyalinæ, in ♂ fasciis 2 costalibus abbreviatis fuscis, 1:ma in medio alæ nervulos transversos transeunte, et 2:da loco stigmatis furcarum basin tegente; ad basin alæ plerumque macula fusca obsoleta, in costa inter fascias puncto unico, et ante apicem alæ puncto altero, ambobus exiguis, fuscis et obsoletis sæpissime quoque præsentibus; in ♀ hæc pictura alarum paullo magis conspicua et fasciæ nonnihil longiores. Halteres pallidi, clava leniter fuscana. Coxæ et femora flava, horum apice obscuro; tibiæ testaceæ, apice fuscæ; tarsi fusci, articulo 1:mo plerumque dilutiori. Alarum furca anterior posteriori circiter $\frac{1}{3}$ longior.

3. *Pt. paludosa:* atra, nitida, pleuris concoloribus; palpis ferrugineis; alis hyalinis, medio fascia abbreviata fusca et pone hanc punctis ejusdem coloris; pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 207. 3. ♂♀. et 6. p. 290. Macqv. Buff. 1. 76. 3. Stæg. in Kröjers Tidskr. 1844. p. 41. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 2.

Hab. in Dania, ubi in palude Ordrups Mose inventa fuerit, teste D. *Stæger*. Mihi ignota.

♂♀. "Nitida, nigra. Palpi et pedes ferruginea, femorum tibiarumque apice tarsisque obscure brunneis. Halteres flavi, clava fusca. Alæ hyalinæ, medio costæ fascia abbreviata fusca inferne angustiori; mox pone hanc adest punctum stigmaticale fuscum, et alterum versus apicem ejusdem coloris; sub his punctis basis ambarum furcarum infuscata conspicitur. In utroque sexu sunt abdomen totum atrum immaculatum, et pleuræ atræ, nitidæ, nec cinereæ". Meig. et Macqv.

4. *Pt. albimana:* atra, subnitens, pleuris cinereis; epistomate, palpis scutelloque rufo-flavis; pleurarum vitta superna rufa; abdomine in ♂ cingulis 2, in ♀ maculis lateralibus totidem, ferrugineis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque stigmaticali fuscis; pedibus flavo-ferrugineis, femorum apice, tibiis tarsisque fuscis, metatarso posticorum albo. ♂♀. (Long. ♂ 4, ♀ 5 lin.).

Fabr. Antl. 21. 3. Meig. Dipt. 1. 207. 4. ♀. Tab. 6. f. 17. ♀. et Pars 6. p. 290. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 77. 4. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. 1. 3. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843, p. 467. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 3. *Tipula* eadem Fabr. Ent. Syst. 239. 24. ♀. *Tipula ocreata* Schrank, Ins. Austriæ p. 427. 862. ♀ videtur.

Hab. in paludosis, umbrosis, per hortos et prata sylvatica Scandinaviæ meridionalis et mediæ, passim; scilicet in Scania ad Lund 2—10 Maj. et ad Esperöd (in paroeciis et Tranås et Mellby Jul. Aug. et ineunte Septembri sat copiose; in Ölandia rarius; in Jemtlandia quoque parce lecta; in Dania non raro. (E Putbus Rugiæ 31 Maj. 1842 capta, a D. *Dahlbom*, et e Glogavia a D. *Zeller*, in multis exemplis etiam communicata).

♂♀. *Pt. contaminatæ* similis, sed plerumque paullo major, et corpore minus nitido, epistomate rostroque ferrugineis, nec nigris, pleurarum vitta pallescente, alarum pictura pauciori et obsoletiori, et imprimis metatarsis posticis albis, facile dignota. Antennæ nigræ, articulo 1:mo vel toto vel saltem subtus ferrugineo. Facies et palpi flava. Oculi in viva nigri. Pleuræ argenteo-micantes. Scutellum flavum. Abdomen mox pone medium in ♂ fasciis 2 ferrugineis, in ♀ maculis lateralibus utrinque 2 ejusdem coloris. Anus in utroque sexu ferrugineus. Alæ hyalinæ, nervis transversis, regione stigmatis et basi duarum furcarum, infuscatis, quæ fuscedo duas fascias fuscas obsoletas, unam in medio et alteram versus apicem alæ format. Furca anterior posteriori duplo longior, hac basi subventricosa. Halteres pallidi, clava sæpe leniter fusca. Coxæ et femora flavo-ferruginea, hæc apice obscura; tibiæ fuscæ, basi interdum paullo dilutiores; tarsi obscuri, posticorum articulo 1:mo albo, summo apice fusco.

Obs. Macqvart l. c. feminam "abdomine toto nigro" describit. In omnibus vero nostris speciminibus femineis abdomen plus minus perspicue ferrugineo-punctatum l. maculatum deprehenditur.

5. *Pt. scutellaris:* atra, nitida, pleuris cinereis; palporum basi scutelloque flavis; alis hyalinis, immaculatis; pedibus flavo-ferrugineis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro. ♂♀. (Long. ♂ 3—3½, ♀ 4 lin.).

Hoffmgg. Meig. Dipl. 1. 206. 2. et 6. p. 290. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 850. 2. ♂♀. Stæg. Dipl. Dan. 1840. p. 2. 4. ♂♀. *Ptychopt. nigra* Fabr. Antl. 21. 2. (exclus. syn. Linn.). (*)

Hab. in gramine et fruticibus juxta aqvas, in hortis, pratis et sylvis, per totam Scandinaviam etiam Lap-

*) conferatur *Tipula nigra* in hoc nostro opere pag. 3981 n:o 51.

poniam, Jun. Jul. Aug. et initio Sept., vulgaris, sæpe quoque in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd etc., sat copiose; in Ostrogothia ad diversorium Holkaberg *(Dahlbom)*, Gusum etc., haud raro; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele frequens; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Norwegia: ad Töien et in alpe Dowre, D. *Siebke*; etiam ad Näs, in Alpe Kälahög Værdaliæ et in insula Senjen Nordlandiæ, non parce, ipse; in Daniæ fossis ad Leersjön in vicinitate Hafniæ (nec alibi), D. *Stæger*. (E Petropoli et Glogavia etiam specimina obtinui).

♂♀. Per corpus totum atrum, nitidum, immaculatum, scutellum tantum flavum, et pleuras argenteo-micantes, atque tandem alas immaculatas, a præcedentibus certe distincta; prioribus quoque nonnihil minor. Palpi obscuri, basi flavidi. Oculi in viva nigri. Scutellum parvum, flavum. Abdomen totum atrum, ano parvo concolore, forcipe in ♂, et stylis in ♀, ferrugineis. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, nervis tantum transversis leniter subinfuscatis. Furca anterior posteriori basi subventricosa fere triplo longior. Halteres pallescentes, clava fusca. Coxæ et femora flavo-ferruginea, hæc apice obscura; tibiæ fusco-ferrugineæ, apice obscuriores; tarsi obscuri, articulo 1:mo plerumque obscure ferrugineo.

Obs. Synonymon Meigeni eo certius est, quod plura specimina hujus speciei in collectione mea ab Ipsissimo *Meigen*, Lundæ 1823 præsente, inspecta et determinata fuerunt.

---

247. PACHYNEURA Zett.

Corpus majusculum, subcylindricum, subnitidum, glabriculum. Caput sessile, thorace nonnihil angustius. Antennæ capite cum

thorace paullo breviores, filiformes, fere nudi; circiter 18-articulati, articulo 1:mo piloso et 2:do modice brevibus, subcyathiformibus, reliquis oblongo-ovatis, subapproximatis. Palpi exserti, longiusculi, filiformes, 4-articulati, articulis subæqualibus. Rostrum breviusculum. Proboscis exserta, capitulo majusculo. Oculi laterales, magni, rotundi, semiglobosi. Frons angustata. Ocelli in vertice 3 subæquales, in triangulum dispositi. Collare nullum. Thorax ovatus, dorso subconvexus, absque sutura transversa. Scutellum mediocre, transversum. Metathorax breviusculus. Abdomen subcylindricum, 8-annulatum. Alæ incumbentes (*). Nervi validi, distincti, longitudinales apicibus quinque ad marginem interiorem descendunt, quorum 2 superiores furcam elongatam breviter petiolatam formant. Nervus axillaris non usque ad medium marginis interioris extensus, leniter arcuatus; huic proximus subduplicatus, arcuatus. Area discoidalis nulla, sed basalis media distincta apice acutiusculo ad medium alæ extenditur. Margo interior nudus. Halteres mediocres, nudi. Pedes mediocres, nudi, tibiis tenuissime spinulosis apice distincte bicalcaratis. *Color* niger, pictura abdominis flavo-fasciata. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in silvaticis, per Scandinaviam borealem. *Differentia sexus; mas:* antennis tenuioribus, oculis in fronte appropinqvantibus, abdomine valde angusto, ano leniter incrassato obtuso, forcipe haud exserta, inflexa; *femina:* antennis nonnihil crassioribus, oculis in fronte paullo magis remotis, abdomine latiore, versus apicem angustiore, ano acuto absque stylis exsertis.

1. *Pach. fasciata:* nigra, abdominis incisuris femoribusque flavo-ferrugineis, horum apice obscuro; alis cinereo-hyalinis, basi ferruginantibus, apice fuscanis, sti-

*) alæ in maribus mortuis incumbunt, sed in specimine femineo lapponico patent; hinc alæ in Insectis Lapponicis *divaricatæ* dicuntur.

gmate nervisque obscuris. ♂♀. (Long. ♂ 6, ♀ saltem 7 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 850. 1. ♀. Bohem. Vetensk.-Akadem. Förhandl. 1844. p. 97. ♂♀.

Hab. in Svecia boreali et Lapponia circa medium Jun., minus frequens; ad Lycksele Lapponiæ Umensis specimina feminea in truncis putridis 15—21 Jun. 1832 detegimus D. *Dahlbom* et ipse; in Bottnia boreali ad Harads et Storsand in paroecia Öfver-Luleå, d. 16 Jun. 1843 individua utriusque sexus circa arbores conigeras emortuas invenit D. *Boheman*; in Lapponia Lulensi, D. Prof. *P. F. Wahlberg*.

♂♀. Nigra, nitida. Mas angustior, femina crassior, robusta. Caput atrum, nitidum, fronte et epistomate in ♀ modice latis, in ♂ paullo angustioribus. Antennæ thorace paullo breviores, nigræ, in ♂ nonnihil tenuiores. Palpi nigri. Oculi sat magni, rotundi, in viva nigri. Thorax nitidus, dorso per duas strias obliquas impressas in tres lobos divisus, vittis 3 cinereis (in ♂ præsertim conspicuis), media latiori, integra. Margo humeralis flavus. Pleuræ schistaceæ. Abdomen thorace fere quadruplo longius, nitidum, nigrum, segmentis margine apicali sat late flavis, anticis in ♂ fere totis flavis, duobus ultimis cum ano in utroque sexu atris, immaculatis. Alæ modice latæ, albido-cinereæ (imprimis in ♀), nervis sat validis, obscuris, stigmate oblongo saturate fusco, et macula centrali (in anastomosi nervorum) fusca. Apex alæ quoque fuscescit. Halteres pallidi. Coxæ cinerascentes. Femora flava, anteriora summo apice, et postica versus apicem leniter crassiora, latius, nigro-fusca. Tibiæ lividæ, apice fuscæ. Tarsi nigricantes, metatarso plerumque ferrugineo-fusco.

248. DICRANOTA Zett.

Corpus minoris magnitudinis, Limnobiæforme, elongatum, opacum, glabrum. Caput parvum, rotundatum. Antennæ thorace paullo aut longiores (♂), aut breviores (♀); subfiliformes, glabriculæ, 13-articulatæ, articulis 1:mo breviusculo, cylindrico, subcrasso, 2:do breviori, cyathiformi, sequentibus in ♂ rotundato-ovalibus, in ♀ rotundatis magisque approximatis, apicalibus in utroque sexu sensim paullo angustioribus. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, 4-articulati, articulis æqualibus. Rostrum breve. Oculi laterales, parvi, rotundi, late remoti. Frons latissima. Ocelli nulli. Collare breve. Thorax postice sutura transversa. Abdomen elongatum, lineare, in ♂ depressum, in ♀ cylindricum, in utroque sexu 8-annulatum. Alæ (in quiete) incumbentes, modice angustatæ, nudæ. Nervi tenues: longitudinales apicibus 6 ad marginem interiorem descendunt, quorum 4:tus et 5:tus (e basi marginis interioris numerati) furcam (ex apice areæ basalis mediæ oriundam) petiolatam formant; axillaris saltem ad $\frac{1}{3}$ marginis interioris brevissime subciliati extenditur, subrectus; transversus ordinarius aream basalem mediam terminat, petiolo furcæ insertus. Areola discoidalis nulla, at areola stigmaticalis oblongo-quadrata, rectangula adest. Nervi præterea fere ut in *Limnob. bimaculata* n:o 72 directi, sed 6:tus apicalis (a basi marginis interioris) simplex, nec ut in *L. bimaculata* breviter furcatus. Halteres longiusculi nudi. Pedes tenues, elongati, nudi, inermes, calcaribus in tibiarum apice exiguis. *Color* cinereus. *Motus* ut in *Limnobia*. *Habitatio* in graminosis, per Scandinaviam septentrionalem. *Differentia sexus; mas:* antennis thorace paullo longioribus, crassiusculis, articulis ovalibus, abdomine lineari, depresso, ano parvo, obtuso, parum subclavato; *femina:* antennis thorace nonnihil brevioribus, submoniliformibus, articulis rotundatis, subapproximatis, abdomine subcylindrico, ano acutiusculo, stylis 2 longitudine circiter segmenti cujusdam, subulatis, leniter recurvis,

1. *D. Guerini:* griseo-cinerea, opaca; thorace vittis 3 fuscis; abdomine obscure fusco, segmentis macula laterali testacea (♂), aut subimmaculatis (♀); antennis palpisque nigris; alis hyalinis, stigmate fusco, obsoleto; pedibus fuscis, coxis femorumque basi sordide flavidis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 851. 1. ♂♀. Bohem. Öfversigt af Vet.-Akad. Förhandl. 1844. p. 102.

Hab. in graminosis Lapponiarum Svecicarum, passim; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele 1 Jun. 1832 utrumqe sexum inveni; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock 1843 quoque capta (Prof. *Wahlberg*), mecumque a D. *Andersson* communicata. In alpe Dowre Norwegiæ Jul. 1843 etiam lecta, teste D. *Siebke.*

♂♀. Valde similis *Limnobiæ bimaculatæ* pag. 3897. n:o 72, a qua vero facile dignoscitur alarum nervo 4:to longitudinali mox infra transversos in duos quidem nervos diviso (ut in *bimaculata*), sed deinde tantum inferiori horum (nec ambobus) furcato; hinc ad apicem alæ solummodo unica furca adest. Cinerea tota. Antennæ et palpi nigra. Thorax vittis 3 obscuris, media lata, subgemina, integra, lateralibus antice abbreviatis; præterea serie utrinque pilosula. Metathorax et pleuræ læte cinerea. Abdomen in ♂ cinero-fuscum, incisuris præsertim ad latera sat late ferrugineis, ano obscuro; in ♀ cinereum, immaculatum, incisuris vix l. tenuissime tantum albidis, stylis analibus rufis. Alarum stigma dilute fuscum nervi longitudinalis 2:di apicem utrinque cingit. Nervi transversi plerumque leniter infuscati. Petiolus nervi longitudinalis 3:tii ante transversos brevis, ad originem geniculatus seu rectangulatim flexus, angulo sæpissime breviter appendiceo. Nervulus perpendicularis parvus conspicuus ad basin alæ inter nervum costalem et 1:mum longitudinalem adest. Pedes fusco-flavescentes, femorum tibiarumque apice, tarsisque, fuscis

l. obscuris. Coxæ in ♂ flavescentes, basi cinereæ; in ♀ fere totæ cinereæ.

---

249. TRICYPHONA Zett.

Corpus mediæ magnitudinis, Limnobiæforme, elongatum, angustum, sublineare, opacum, glabriculum. Caput parvum, obpyriforme. Os parum productum. Antennæ porrectæ, capite vix duplo longiores, in utroque sexu simplices, basi crassiusculæ, apice setaceæ; circiter 5-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, reliquis rotundatis, arcte approximatis, tenuiter pubescentibus. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, 4-articulati, articulis subæqualibus. Oculi laterales, rotundi, late remoti. Ocelli nulli. Collare exiguum, brevissimum. Thorax supra convexus, postice sutura transversa. Abdomen elongatum, subdepressum (præsertim in ♂); 8-annulatum. Alæ subincumbentes, elongatæ, subangustatæ, nudæ. Nervi modice tenues, longitudinales apicibus septem ad marginem interiorem descendunt, horum quatuor, apici alæ proximi, furcas duas formantes; supra has adhuc furca 3:tia adjacet. Hæ vero tres furcæ omnes inæquales, nempe superior longissima (petiolo brevi), inferior mediocris (petiolo furcæ ramis æque longo), et intermedia brevissima (petiolo longissimo). Nervi: axillaris fere ultra tertiam partem marginis interioris brevissime subciliati extensus, parum arcuatus, transversus ordinarius obliquus. Area discoidalis nulla, sed nervulus perpendicularis, nervos longitudinales 2:dum et 3:tium in regione stigmatis connectens, adest. Stigma nullum. Halteres nudi. Pedes elongati, tenues, nudi, inermes, ne quidem calcaribus in apice tibiarum muniti. Coxæ non elongatæ. *Color* cinereus. *Motus* ut in *Limnobia*. *Habitatio* in graminosis, humidis. *Differentia sexus; mas:* abdomine lineari, depresso, puberulo, ano obtuso, haud incrassato, forficibus 2 dentatis incurvis, basi crassioribus, apice acutis; *femina;* abdomine

anguste lanceolato, puberulo, ano stylis 2 subulatis, leniter recurvis, munito.

1. *Tr. immaculata:* obscure cinerea; antennis palpisque nigricantibus; alis flavido-hyalinis, immaculatis, halteribus pallidis; pedibus brunneis, femoribus basi late flavo-ferrugineis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 3, ♀ fere 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 852. 1. (*). — *Tryciphona* eadem Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 11. 1. *Limnobia* eadem Meig. Dipt. 1. 148. 58. Tab. 5. f. 8 (ala). Schumm. Dipt. Siles. 1829. p. 189. 60. ♂♀. Tab. 4. f. 8 (ala). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 36. 19. ♂♀. *Limnophila* eadem Macqv. Buff. 1. 100. 20. ♂♀.

Hab. in paludosis, ut et in fruticibus et graminosis juxta aqvam, per totam Scandinaviam vulgaris, sub tota æstate at præsertim tempore verno et autumnali vigens in copula sæpissime quoque capta; scilicet in Scania ubique abundans; in Ostrogothia ad Gusum et Wadstena, copiose; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Mulfjellet et Skalstugan, frequens; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Stensele; in Norwegia: in alpe Kälahög usque in regionem nivalem (circiter 4000 ped. supra mare) adscendens, in ipsa nive ambulans observata; ad diversorium Suul Værdaliæ *(Dahlbom);* in insula Senjen Nordlandiæ et ad Alten Finmarkiæ, non raro; in Dania etiam frequenter occurrit.

♂♀. Cinerea, opaca. Antennæ et palpi obscura vel nigricantia. Oculi in viva nigri. Thorax dorso vittis 3 subconfluentibus

---

*) nomen "*Tryciphona*" l. c. est menda typographica pro *Tricyphona.*

obscuris. Abdomen obscure cinereum l. nigricans; stylis analibus in ♀ ferrugineis. Alæ cinereo-hyalinæ, basi et costa subflavidæ. Loco stigmatis umbra dilutissima. Halteres flavo-albidi, clava leniter fuscana. Coxæ articulo saltem 1:mo obscure cinereæ. Femora obscure brunnea, basi antica anguste, intermedia late, postica paullo ultra medium, flava. Tibiæ et tarsi obscure brunnea, illæ sæpe basi indeterminate fusco-ferrugineæ.

---

250. ANISOMERA Hffgg.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, opacum, glabriculum. Caput sessile, rotundatum. Antennæ porrectæ, subfiliformes, 6-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, sequentibus inæque longis (3:tio elongato), setaceis, brevissime puberulis. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulis æqualibus. Rostrum breve. Oculi laterales, parvi, oblongo-rotundati, late remoti. Frons latissima. Ocelli nulli. Collare brevissimum. Thorax supra modice convexus, postice sutura transversa. Scutellum mediocre. Metathorax non longus. Abdomen elongatum, 8-annulatum. Alæ modice latæ, incumbentes. Nervi sat distincti; longitudinales apicibus 6 in marginem interiorem descendunt, quorum axillaris paullo ultra tertiam marginis partem extenditur, subrectus, 3:tius vero ad marginem flavus. Areola discoidalis nulla, at areæ basales mediæ paullo pone medium terminantur per nervos transversos, e quibus tres nervi simplices recti in marginem apicalem emittuntur. Nervus 3:tius longitudinalis (a costa numeratus) apice furcatus. Stigma nullum. Halteres mediocres, nudi. Pedes modice longi et modice graciles, subnudi, inermes, tantum tibiis posterioribus apice brevissime bicalcaratis. Coxæ non elongatæ. *Color* cinerascens. *Motus? Habitatio?* (Larva *Anisom. nigræ* Macqv. in limo litoreo degere dicitur, *von Roser*). *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, forcipe brevi;

antennis longitudine circiter dimidii, interdum totius corporis; *femina:* stylis analibus (in speciebus a me visis) breviusculis, rectis; antennis brevioribus quam in ♂.

1. *A. vittata:* thorace cinereo, vittis 3 nigris; abdomine nigro-cinereo, maculis fuscis micantibus; antennis maris capite duplo longioribus; alis subfumatis, nervis subinfuscatis; halteribus flavis; pedibus obscuris. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 292. 4. ♂♀.

Ut Sveciæ meridionalis incola fertur; mihi non obvia, nec specimina extranea lustrare mihi contigit.

♂♀. "Antennæ maris capite duplo longiores, feminæ tantum nonnihil breviores; articuli quatuor ultimi (sub lente) breviter villosi; longitudine proportionaliter decrescentes. Thorax cinereus, vittis 3 nigris. Abdomen nigro-cinereum, maculis interruptis obscuris micantibus. Halteres flavi. Alæ fumato-brunneæ, nervis obscurius infuscatis. Pedes nigro-fusci". Meig. l. c.

Obs. Post descriptionem hujus speciei l. c. p. 293 addit *Meigen:* "hæc species *Tipula striata* Linn. esse videtur". Sed in scriptis Linnei non deprehenditur. Suam *Limnobiam striatam* seu Fabricii *Tipulam striatam* ut identicam his verbis certe spectat auctor (*Meigen*), sicut etiam observavit in sua Parte 6:ta p. 274.

---

251. DOLICHOPEZA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, glabriculum. Caput rotundatum. Antennæ arcuatim curvatæ, subfiliformes, 12-articulatæ, articulo 1:mo cylindrico, 2:do brevissimo, cyathiformi, seqventibus setaceis, brevissime puberulis. Rostrum bre-

viusculum. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati, articulis brevibus, æqualibus. Oculi laterales, parvi, rotundi, late remoti. Frons latissima. Ocelli nulli. Abdomen gracile, 8-annulatum. Alæ modice latæ. Nervi longitudinales apicibus 7 in marginem interiorem descendunt, horum axillaris modice longus, subrectus. Areola discoidalis nulla, at areæ basales mediæ 2, inæquales; harum superior, per nervum transversum pone medium alæ terminata, ex apice emittit in apicem alæ nervos tres, quorum intermedius bis furcatus (ramis 3 secundis). Stigma adest. Pedes longi, graciles, inermes. Femora et tibiæ subæque longa. Tarsi longissimi, tibiis fere duplo longiores. *Color* obscurus. *Motus?* *Habitatio* ad aqvam. *Differentia sexus; mas:* antennis capite thoraceque paullo longioribus; *femina:* antennis paullo brevioribus.

1. *D. silvicola:* obscure fusca; antennarum articulis 2 primis pallide flavis; alis leniter fumatis, stigmate fusco; pedibus fuscis, coxis femorumque basi flavis, tarsorum longissimorum articulis quatuor apicalibus albis, horum ultimo apice brunneo. ♂♀. (Long. 4 lin. et ultra).

Meig. Dipt. 6. 284. 1. ♂♀. Tab. 65. f. 10 (sub nomine: *Leptina).* Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 58. 1. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 8. 1.

Hab. in Dania rarissime: ad stagnum in horto mense Julio semel capta, D. *Stæger;* deinde etiam ad Hafniam in fine mensis Maji 1848 inventa, teste Eodem. In reliqua Scandinavia non observata, quantum noverim.

♂♀. Antennæ fuscæ, articulis 2 basalibus nudis, flavis. Palpi fusci. Oculi nitidi, nigri. Thorax supra obscure fuscus, pleuris cinereis. Scutellum flavo-brunneum. Metathorax obscure fuscus, nitidus. Abdomen obscure fuscum. Alæ subfumatæ, stigmate nigro-brunneo. Halteres flavi, clava fusca. Pedes brunnei, coxis femorumque basi pallide flavis. Tarsi lon-

gissimi, articulis 1:mo longo brunneo, reliquis quatuor niveis, horum ultimo (5:to) apice brunnescente.

---

252. TRICHOCERA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, opacum, glabriculum. Caput parvum, rotundatum, non sessile, thorace humilius. Antennæ capite cum thorace fere paullo longiores, porrectæ, setiformes, articulis 1:mo cylindrico, 2:do cyathiformi, ambobus breviusculis, crassioribus, sequentibus oblongis, sensim tenuioribus, brevissime puberulis, apicalibus ob gracilitatem numero vix determinandis. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, 5-articulati (*), articulis subæqualibus, 2:do et 3:tio nonnihil longioribus. Rostrum breve. Proboscis paullo exserta. Oculi laterales, rotundati, remoti. Frons lata. Ocelli conspicui nulli. Collum breve. Collare brevissimum, humile. Thorax supra valde convexus, antice fere gibbus, postice sutura transversa, angulata. Scutellum parvum. Metathorax semirotundatus, subdepressus. Abdomen gracile, 8-annulatum, puberulum, sublineare et subdepressum. Alæ proportione latiusculæ, in quiete incumbentes, nudæ. Nervi modice tenues; longitudinales apicibus 7 in marginem interiorem tenuissime ciliatum descendunt, horum 1:mus seu axillaris brevissimus (nota priva), inflexus, 3:tius etiam arcuatim inflexus, 6:tus et 7:mus furcam formantes. Nervi transversi: ordinarius obliquus versus apicem areæ discoidalis insertus; connectens ad stigma parvus, perpendicularis; basalis inter nervos costalem et longitudinalem 1:mum, exiguus, perpendicularis. Area discoidalis obovata nervos tres in marginem apicalem alæ emittit, quorum 2 inferiores simplices et 3:tium superiorem (ut

---

*) secundum *Ruthe* palpi tantum 4-articulati sunt, articulo nempe apicali in medio sinuato, hinc is quasi e duobus constare videtur. Ruthe in Isis 1831. p. 120. 8.

dictum) furcatum, furcæ ramis petiolo plerumque parum l. paullo tantum longioribus. Stigma obsoletum. Halteres nudi. Pedes elongati, graciles, nudi et inermes, tibiis apice vix calcaratis. Coxæ non elongatæ. *Color* obscurus. *Motu* sat agilis: mares sole sereno choreas in aëre instituunt, supra terram pingvem. *Habitatio* in hortis, pratis, sylvis etc.; muris et parietibus etiam sæpe insidens; plures sub tota hieme vigent. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, forcipe modice brevi; *femina:* stylis analibus 2 brevibus decurvatis. Habitus *Limnobiæ*, antennis, palpis nervoque axilliari diversis distincta.

A. alis immaculatis.

1 *hiemalis* Deg. ♂♀. 2 *fuscata* Meig. ♂♀. 3 *parva* Meig. ♂♀. 4 *annulata* Meig. ♂♀.

B. alis maculatis (maculis paucis).

5 *Regelationis* Linn. ♂♀. 6 *maculipennis* Meig. (*Tipul. cinerea* Fabr. *Limnob. cinerea* Meig.) ♂♀.

Trichocera.

A. alis immaculatis.

1. *Tr. hiemalis:* fusco-cinerea, thorace vittis 4 obscurioribus; alis cinerascenti-hyalinis, immaculatis, halteribus albidis, clava fusca; pedibus luridis, basi pallidioribus. ♂♀. (Long. 2—2$\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 213. 2. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 114. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 16. ♂. Zett. Ins. Lapp. 852. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. 1843. p. 467. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 1. *Tipula hiemalis* Deg. Ins. 6. p. 360. 13. ♂♀. Tab. 21. f. 1 et 2

♀. f. 5 (abdomen maris). *Limonia hiemalis* Latr. Gen. 4. 258.

Hab. locis humentibus, libenter in hortis et juxta domos, muris et parietibus quoque sæpe insidens, per totam Scandinaviam a mense Octobri usque ad Martium et Aprilem, vulgatissime; sub ipsa hieme, tempestate placida, choreas in aëre ducit; sub Jun. et Julio in terris borealibus etiam vidi; occurrit vero in Scania copiosissime; in Ostrogothia et Uplandia non raro; in Jemtlandia ad Åreskutan et Ristansfors feminas 24 Jun. 6 Aug. legi; in alpium Tornensium jugo 12 Jul. marem deprehendi; et in Nordlandia Norwegica ad Björkvik utrumque sexum observavi; in Dania abundans. (E Grönlandia etiam feminam obtinui).

♂♀. Fusco-cinerea, opaca. Antennæ et palpi obscura. Oculi in viva ænei l. obscure virescentes. Thoracis vittæ 4 obscure brunneæ, mediæ approximatæ. Abdomen obscurum in ♂ depressum, pilosulum; in ♀ subcylindricum, stylis analibus fuscis. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, loco stigmatis umbra pallida. Halteres albidi, clava obscura. Pedes brunnescentes (in exsiccatis pallidiores), femoribus basi flavidis. Coxæ fuscæ.

2. *Tr. fuscata:* cinereo-fusca, thorace vitta gemina obscuriori; alis fuscescentibus immaculatis, halteribus totis pallidis; pedibus obscure fuscis, femoribus basi lividis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 212. 1. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 115. 2. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 3. ♂♀.

Hab. in Daniæ silvis mense Octobri, rarius, teste D. *Stæger.* Mihi non obvia.

♂♀. Magnitudine majori et alis obscurioribus a conspeciebus dignota. Caput cinereum. Antennæ et palpi nigro-fusca. Stethium sublividum l. fusco-flavidum, thorace vitta dorsali duplicata obscuriori; lateralibus deficientibus. Abdomen griseofuscum, ano pallide flavo; stylis in ♀ flavo-fuscis, nitidis. Alæ dilute fuscæ, immaculatæ. Halteres albo-flavi, clava concolore. Femora livida, apice obscure fusca. Tibiæ et tarsi obscure fusca.

3. *Tr. parva:* fusca, thorace vittis subquatuor obscurioribus, lateralibus obsoletis; alis hyalinis, immaculatis, halteribus pallidis, clava fusca; pedibus flavescentibus, femorum tibiarumque apice tarsisque brunneis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Meig. Dipt. I. 213. 3. Macqv. Buff. I. 115. 3. Zett. Ins. Lapp. 852. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 2.

Hab. in paludosis totius Scandinaviæ, per totum annum, vulgaris, tempore tamen autumnali et vernali copiosius obvia, in copula sæpe capta; choreas uti *Tr. hiemalis* instituens; in Scania abundans; in Svecia media non parce; in Bottnia boreali et Lapponia Tornensi ex. gr. ad Öfver-Torneå, Karungi, Turtola, Wittangi et Juckasjervi, frequenter, et ad Björkvik prope Ofodenfjord Nordlandiæ Norwegicæ non raro observata; in Dania iisdem locis, eodem tempore pariterque frequens ac *Tr. hiemalis* occurrit.

♂♀. Simillima *Trich. hiemali,* et ab illa vix differt nisi magnitudine duplo minori, pedibus plerumque pallidioribus, ut et thoracis tantum vittis mediis fuscis conspicuis. Abdomen griseo-fuscum, ano et forcipe in ♂ concoloribus, stylis analibus in ♀ ferrugineis. Pedes in nostris speciminibus exsic-

catis fere toti flavi, coxarum articulo 1:mo grisescente, femorum tibiarumque apice brunnescente.

Var. b. ♂♀. tota fusco-flava vel lutescens; forte juvenilis. Cum var. a. non raro.

4. *Tr. annulata:* lurida, thorace vittis nigricantibus; abdomine nigro-annulato; antennis palpisque obscuris; alis cinerascenti-hyalinis, immaculatis, halteribus testaceis, clava obscura; pedibus luteis, articulatione fusca. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 215. 6. ♀ (ex Austria) — et 6. p. 293. Macqv. Buff. 1. 115. 4. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 57. 5. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool. p. 467. Perris in Annal. de la Soc. Ent. 1847. Tom. 5. p. 37—49. Tab. 1. n:ri 3 et 4. fig. 1—17. (ubi hujus et *Scatopsis punctatæ* metamorphosis describitur, et ambarum larvæ pupæque depinguntur).

Hab., secundum *Stæger*, in Dania, ubi mense Octobri occurrerit cum *T. Regelationis*, sed non tam frequenter; mas raro obvius. A me numquam deprehensa. Teste *Leon Dufour*, observante *v. Bremi* (cfr Isis 1846 p. 175), vivunt larvæ in fungis putridis (*).

♂♀. Flavescens vel fusco-flava. Antennæ et palpi obscure fusca. Thorax supra obscure vittatus, lateribus linea pallida a costa ad radicem alarum. Pectus flavum. Abdomen annulis nigricantibus. Alæ subcinerascentes, immaculatæ. Halteres lutei, clava obscure fusca. Pedes pallide brunnescenti-flavi, articulatione fusca.

---

*) celeroquin larvæ specierum *Trichoceræ*, sicut plures *Limnobiæ*, in fimo ad margines aquarum, in terra vel quisquiliis degere putantur.

Var. b. ♀. abdomine supra toto fusco. *Stæger* l. c. var. b. Hab. cum var. a. numerosius.

B. alis pauci-maculatis.

5. *Tr. Regelationis:* obscure cinerea, thorace vittis 4 fuscis obsoletis; antennis palpisque obscuris; alis subcinerascenti-hyalinis, medio puncto dilute fusco, halteribus albidis, clava fusca; pedibus brunneis, femoribus basi flavicantibus. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. I. 214. 4. Tab. 7. f. 9. ♀. Macqv. Buff. I. 115. 5. Zett. Ins. Lapp. 853. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 56. 4. (per lapsum calami: *T. relegationis)* ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 3. Bohem. Vetenskaps-Akademiens Förhandlingar 1849. n:o 6. p. 155. *Tipula* eadem Linn. Fn. Svec. n:o 1754 et Ejusdem Museum. — Fabr. Antl. 32. 40. Schrank, Ins. Austr. p. 431. 873.

Hab. in hortis et silvis, per Scandinaviam meridionalem et mediam, vulgatissime, in terris septentrionalibus hactenus parcius observata, mense Martio et Aprili, iterumque Octobri et Novembri, imprimis vigens; mares coelo sereno supra terram prægnantem choreas ducentes; sed sub æstate et hieme etiam deprehensa; scilicet in Scania, Smolandia et Ostrogothia, copiose; in Dalecarlia, ubi in fodinis ærariis prope urbem Fahlun, plus quam 300 ulnas profundis, Studiosus *A. R. Åkerman* (referente Prof. *Boheman* l. c.) individua hujus speciei in magna copia parietibus tranqville insidentia invenit, per totum annum æque numerosa; in Jemtlandia usque ad alpem Åreskutan non raro; in Norwegia ad Christianiam et Töien, D. D. *Dahlbom*, *Siebke* et *Moë;* in Da-

nia frequens (*). — Sub mense Novembri exempla in fenestris etiam sæpe legi.

♂♀. *Tr. hiemali* valde similis, sed alarum puncto centrali fusco dignota. Fusco-cinerea. Antennæ et palpi obscura. Collare interruptum, albidum. Thoracis vittæ 4 obscuræ, in illæsis sat conspicuæ, mediæ approximatæ, laterales breviores et interruptæ, in detritis totum dorsum fuscum videtur, vittis haud distingvendis. Abdomen obscurum, ano concolore; stylis in ♀ sæpe ferrugineis. Alæ subhyalinæ, medio nervo transverso inter longitudinalem 3:tium et aream discoidalem puncto l. macula fusca plus minus distincta, notato. Nervus transversus ordinarius interdum etiam leniter infuscatus. Halteres albidi, clava fusca. Pedes brunnescentes, coxarum articulo 2:do femorumque basi, anticorum anguste, posteriorumque late, flavidis. Tibiæ basi etiam sæpe testaceæ, et in exsiccatis pedes plerumque paullo pallescunt.

6. *Tr. maculipennis:* cinerascens, thorace dilute subfusco-vittato, antennis palpisque obscuris; collari pallido; alis cinerascenti-hyalinis, maculis tribus dilute fuscis, halteribus albidis, clava fusca; pedibus flavescentibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice pallide fusco. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 214. 5. ♀. — et 6. p. 293. Zett. Ins. Lapp. 853. 4. ♂♀ (e Grönlandia). Stæg. Grönlands Antliater 1845. p. 356. 17. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 4. *Tipula cinerea* Fabr. Ent. Syst. 4. 240. 31. Antl. 30. 30. *Limnobia cinerea* Meig. Dipt. 1. 149. 60. — et 6. p. 274.

Hab. in hortis tempore verno per Scandinaviam me-

*) Secundum *v. Bremi* (Isis 1846. p. 175), etiam hujus larvæ in fungis putridis vixerint; an vere?

ridionalem hactenus rarissime observata, etiam in fenestris aliquoties lecta; scilicet in Scania ad Lund in horto proprio, et in fenestra cubiculi mei 20 Maj. et 12 Jun. 1841 exempla pauca inveni; in Norwegia 29 Jul. olim capta, teste *Fabricio*, nuper (5 April 1849) quoque ad Töien prope Christianiam reinventa fuerit, testante D. *Siebke*. (E Grönlandia utrumque sexum obtinui — Etiam e Petropoli missa).

♂♀. *Trich. hiemali* iterum similis, sed magnitudine paullo majori, thoracis vittis parum conspicuis, pedibus pallidioribus et præsertim alis trimaculatis, distincta. Fusco-cinerea. Antennæ et palpi obscura. Collare albidum. Thoracis dorsum cinereo-fuscum, lineis 2 mediis, approximatis, nonnihil saturatioribus, plerumque vix distingvendis. Pleuræ interdum incarnatæ. Scutellum fuscum, aut lividum. Abdomen in ♂ basi sæpissime testaceo-subpellucidum; in ♀ plerumque totum obscurum, stylis analibus ferrugineis. Alæ sat latæ, subalbido-hyalinæ, punctis majusculis vel maculis 3 fuscis, nempe 1:ma ante medium ad originem nervi longitudinalis 3:tii, 2:da fere in medio alæ in ipso illo nervo transverso, qui areæ discoidali superne inseritur, et 3:tia minori in nervulo connectente juxta stigma; hæ vero maculæ plus minus distinctæ, interdum sat obsoletæ. Reliqui nervi transversi quandoque etiam lenissime sunt infuscati. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes cum coxis flavi (in exsiccatis straminei), femorum tibiarumque apice parum vel tantum pallide brunneo; tarsis saltem apice dilute fuscescentibus.

Fam. 50. MYCETOPHILINÆ Zett.

253. DIXA Meig.

Corpus parvum, elongatum, opacum, glabrum. Caput parvum, rotundatum, sessile, thorace humilius. Antennæ capite cum thorace paullo longiores, porrectæ, setiformes, microscopice puberulæ, circiter 14-articulatæ (*), articulis 2 basalibus brevibus, incrassatis, flagello capillari. Palpi exserti, incurvi, cylindrici, 4-articulati, articulo 1:mo brevissimo, ultimo antecedente paullo longiori. Os in rostrum non productum. Oculi rotundi, remoti. Frons lata. Ocelli nulli. Thorax ovalis, supra convexus, antice fere gibbus, postice absque sutura transversa. Scutellum transversum. Metathorax breviusculus. Abdomen angustatum, 7-annulatum. Alæ modice latæ, incumbentes, nudæ. Nervi modice tenues, longitudinales apicibus 5 ad marginem interiorem, tenuiter ciliatum, descendunt, quorum 2 superiores furcam sat longe petiolatam formant. Supra hanc furcam (nervo longitudinali unico simplici interjecto, mox pone apicem alæ excurrente), altera adest paullo longior, ramis subparallelis fere in ipso apice alæ desinentibus. Areola discoidalis, stigma et nervus axillaris proprius, nulla. Area basalis duplex, exterior paullulum brevior. Halteres nudi. Pedes elongati, valde graciles, nudi et inermes, tibiis apice vix calcaratis, sed posticis apice leniter incrassatis. Coxæ haud elongatæ, crassiusculæ. *Color* thoracis plerumque flavus, pictura vittis obscuris. *Motu* sat agilis; vespere exit, die qvieta. *Habitatio* in graminosis et fruticibus, libenter locis uliginosis, per hortos, prata et silvas. *Differentia sexus; mas:* forcipe anali brevi, incurva; *femina:* stylis analibus 2 brevibus, approximatis. *Typus* generis: *Dixa maculata.*

---

*) ob antennarum versus apicem gracilitatem numerus articulorum ægre determinandus.

1 *aprilina* Meig. ♂♀. 2 *maculata* Meig. ♂♀. 3 *nebulosa* Meig. ♂♀. 4 *nigra* Stæg. ♂♀.

1. *D. aprilina:* nigricans, thorace pallido, vittis dorsalibus 3 obscuris; alis hyalinis, immaculatis, halteribus flavidis, clava fusca; pedibus flavis, geniculis summis, tibiarum summo apice, tarsorumque articulis ultimis, fuscis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 218. 3. ♂. Tab. 7. f. 12. ♂. Macqv. Buff. 1. 116. 2. ♂. Tab. 3. f. 5. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 1. *Dixa maculata* var. b. (alis immaculatis) Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 57.

Hab. in Scandinaviæ pratis silvaticis, humidis tempore vernali et autumnali, passim; scilicet in Scania ad Lund, Lackalänga (10 Sept., *Dahlbom)*, Esperöd in paroecia Tranås, etc., sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Lapponia Lulensi, D. *Andersson;* in Dania.

♂♀. Descriptio insecti exsiccati. Caput luridum, fronte obscura, certo luminis situ albo-micante. Antennæ et palpi obscure fusca. Oculi parvi, nigri (in viva ænei l. virescentes). Stethidium flavum, thoracis dorso paullo saturatiori, vittis 3 castaneis vel obscure brunneis, modice latis, media antice usque ad caput producta, lateralibus antice paullo abbreviatis. Scutellum et metathorax flava. Abdomen obscure fuscum, fere nigricans, ano testaceo. Alæ hyalinæ, pallescentes, immaculatæ; nervi furcati duo, inæquales, superior ramis furcæ petiolo circiter $\frac{1}{4}$ longior, inferior ramis petiolo fere triplo longior. Nervus axillaris basi rudimentarius. Halteres mediocres, flavidi, clava majuscula, obscura. Pedes jam flavi, jam lividi, geniculis summis, tibiarum apice anguste, tarsorumque articulis 3 ultimis, fuscis.

Var. b. *obscura:* capite cum antennis et palpis, stethidioque, nigris, thoracis dorso lineolis 2 abbreviatis, limbo laterali, pleurarum maculis utrinque 2 parvis scutelloque, flavis; (abdomine in nostro specimine abscisso), alis cinereo-hyalinis, immaculatis, furcæ superioris ramis petiolo fere $\frac{1}{4}$ longioribus, furcæ inferioris ramis petiolo circiter duplo breviori, (halteribus mutilatis); pedibus fuscis, femoribus basi late flavidis. In Gottlandia ad Stenkyrka 29 Jul. 1841 a D. *Dahlbom* semel inventa. — A varietate genuina discedit imprimis stethidio nigro, thoracis dorso lineolis 2 angustis utrinque abbreviatis, vitta laterali a capite ad radicem alarum ducta, scutello et pleurarum maculis 2 parvis oblongis subtransversis, flavis; pedibus quoque paullo obscurioribus, et denique furcæ inferioris ramis forte nonnihil longioribus. Sine dubio propria species, *Dixæ lineatæ* Macqv. Buff. 1. 117. 4. ut et *Dixæ obscuræ* Löw, Ent. Zeit. 1849. n:o 11. p. 348, affinis et similis, sed neque ex unico individuo, eoque manco, novam speciem proponere, neque illud ad jam cognitas certe referre, audeo.

Obs. Synonymon Meigeni varietatis a. certum est, nam beat. *Meigen*, Lundæ 1823 commoratus, specimina quædam in collectione mea etiam tunc asservata, Ipse determinavit et determinata nomen digito proprio insignivit. Exempla utriusque sexus hujus speciei sub nomine: "*Dixa æstivalis* Meig." a D. *Stæger* 1837 quoque obtinui.

2. *D. maculata:* nigricans, thorace pallido, vittis dorsalibus 3, scutelloque punctis lateralibus 2, obscuris; alis hyalinis, medio puncto fusco, halteribus flavidis, clava fusca; pedibus flavis, geniculis summis, tibiarum summo apice tarsisque fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 219. 4. Macqv. Buff. 1. 117. 3. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 57. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool., 1843. p. 467. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 2. Löw, Ent. Zeit. 1849. p. 347. ♂♀.

Hab. in graminosis et fruticibus, libenter locis paludosis et umbrosis, per hortos, prata et nemora, Scandinaviæ imprimis meridionalis, vulgaris, mihi Augusto et Septemb. præsertim obvia; scilicet in Scania ad Lund (in agris demessis mense Sept. certis annis copiose occurrit), Abusa, Silfåkra *(Dahlbom)*, Tranås, Esperöd (museum Fallèni), et aliis locis, frequens; in Dania in vicinitate aquæ sat frequenter, D. *Stæger*, qui exempla in utroque sexu mecum communicavit; in terris borealibus mihi non obvia, sed e Lapponia Lulensi individuum femineum missit D. *Andersson;* in Norwegia ad Töien 5 April 1850, D. *Siebke.*

♂♀. Priori valde similis, sed thoracis vittis obscuris plerumque saturatioribus, scutello ad latera puncto utrinque, et alarum macula centrali, fuscis, præcipue dignota. Antennæ et palpi obscura. Macula frontalis certo situ albo-micans. Oculi in viva ænei. Stethidium sordide flavum, in viva testaceum l. lividum, thoracis dorso vittis 3 nigricantibus, media subgemina, lateralibus antice abbreviatis, vel si mavis: thoracis dorso lineis 2 approximatis, maculaque utrinque nigris. Scutellum ad latera sæpissime fusco-bipunctatum. Pectus quoque interdum fusco-maculatum. Abdomen obscurum, ano testaceo. Alæ hyalinæ, nervis ut in præcedente directis, sed superiori trium transversorum plus minus distincte infuscato. Halteres et pedes ut in priori.

Obs. *Meigen* et *Rossi* hanc speciem verno tempore invenerunt, nos autumnali; sic plures generationes anno procreantur.

3. *D. nebulosa:* nigricans, thorace pallido, vittis dorsalibus 3 obscuris, media gemina; alis albido-hyalinis, fusco-nebulosis, halteribus pedibusque flavis, femorum tibiarumque apice anguste fusco. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 293. 5. Zett. Ins. Lapp. 854. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 57. 2. ♂. Rossi, Dipl. Austr. 1848. p. 7. 3.

Hab. in Scandinavia, Aug. Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Silfåkra, Björnstorp (*Dahlbom*), Tranås, Esperöd, etc., sat frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp et Gusum; in Gottlandia atque ad Holmiam, testante Prof. *Wahlberg*; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Dania 2 Oct. ♂ semel, D. *Stæger*. (E Finlandia specimen femineum a D. *Sahlberg* communicatum).

♂♀. Similis prioribus, pictura alarum præcipue distincta. Caput cum antennis et palpis obscurum. Stethidium pallidum, thoratis vittis dorsalibus 3 plus minus intense fuscis; harum media antice usque ad caput producta, postice abbreviata, tota per lineolam tenuem luteam longitudinaliter divisa; lateralibus antice abbreviatis. Macula pectoris fusca. Metathorax dilute fuscus. Abdomen obscurum, ano pallidiore. Alæ albido-hyalinæ, nervis distinctis, fuscis. Præterea adsunt maculæ 3 l. 4 fuscæ, nempe: 1:ma versus basin alæ juxta nervum longitudinalem quintum, elongata; 2:da sublunata, cruribus versus apicem alæ directis, in nervis transversis (sub stigmate) locata, distincta; 3:tia et 4:ta in ipsa basi furcarum duarum, plerumque obsoletioribus, præsertim inferiori. Rami furcæ superioris normaliter petiolo subæquales, sed variant illo paullulum longiores, raro eodem breviores; rami vero furcæ inferioris normaliter petiolo duplo breviores. Halteres in exsiccata toti pallidi, clava tantum saturatiori, in viva leniter fuscana. Pedes flavi, femorum tibiarumque apice semper obscure fusco, tarsorum articulis ultimis interdum etiam fuscis.

Obs. 1. Specimina Scanica in museo meo ab ipso *Meigen* sunt perlustrata et determinata, atque pro descriptione Clarissimi Auctoris l. c. typica.

Obs. 2. Cel. *Rossi* sua exempla hujus speciei in Austria circa Wiennam mense Aprili legit.

4. *D. nigra:* nigra, thorace postice scutelloque fusco-testaceis; alis fuscanis, immaculatis; halteribus pedibusque fuscis, coxis femorumque basi sordide flavidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 57. 3. ♂♀.

Hab. in Dania, mense Sept., rarius, D. *Stæger*, cujus benignitati etiam specimina debeo. Mihi in cetera Scandinavia non obvia.

♂♀. Prioribus plerumque paullo minor, et colore obscuro distincta. Nigra, subnitens. Stethidium fusco-testaceum, thoracis dorso vittis 3 latis confluentibus nigris. Pleuræ etiam transversim nigro-vittatæ. Scutellum testaceum. Metathorax nigricans. Alæ fuscanæ. Rami furcæ anterioris petiolo circiter $\frac{1}{4}$ longiores, at iidem furcæ posterioris petiolo fere duplo breviores. Halteres fusci, basi paullo dilutiores. Pedes fusci, coxis, femoribusque basi late, fusco-flavidis.

---

254. BOLETOPHILA Hffgg.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, glabrum. Caput parvum, rotundatum, sessile, thorace humilius. Antennæ capite cum thorace longiores, porrectæ setiformes, microscopice puberulæ, circiter 12-articulatæ (in *B. fusca* 16-articulatæ), articulis 2 basalibus brevibus, scrasiusculis, approximatis, reliquis sensim gracilioribus, ultimis subsetaceis. Palpi exserti, incurvi, cylindrici, 4-articulati, articulo 1:mo brevissimo. Os non rostratum. Oculi rotundi, remoti. Frons lata, medio ocellis 3, in seriem transversalem dispositis, medio exiguo. Thorax ovalis, convexus, absque sutura transversa postica. Scutellum parvum. Metathorax modice lon-

gus, convexiusculus. Abdomen longum, tenue, 7-annulatum. Alæ modice latæ, (in qviete) incumbentes, parallelæ, nudæ. Nervi modice tenues, longitudinales apicibus 5 ad marginem interiorem, tenuiter ciliatum, descendunt, quorum 1:mus (a basi numeratus) modice elongatus, rectus; 2:dus valde arcuatus; 4:tus et 5:tus paullo graciliores furcam apicalem (unicam in ala præsentem) longam, breviter petiolatam, petiolo in medio alæ oriundo, formant. Nervi longitudinales: 1:mus ad $\frac{1}{3}$ costæ, et 2:dus ad $\frac{2}{3}$ costæ extenditur; fere ab apice et medio hujus nervi decurrunt in longitudinalem 3:tium duo alii nervuli transversi obliqui, qui juxta costam aream elongatam trapezinam formant. Areæ: discoidalis nulla, basalis gemina, interior brevissima et angusta. Halteres elongati, nudi. Pedes elongati, tibia femore paullo longiori, tarsorum articulo 1:mo longitudine circiter femoris; tenues, subnudi et inermes, tibiis apice brevissime bicalcaratis. Coxæ subelongatæ. *Color* subfuscus l. cinerascens. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in graminosis. *Differentia sexus; mas:* antennis longitudine fere corporis, pubescentibus, pube recta, abdomine tenui, subfiliformi, ano subclavato, forcipe breviuscula, subcrassa, incurva; *femina:* antennis thorace paullo longioribus, abdomine subfiliformi, versus basin coarctato, apice stylis 2 brevibus. *Larvæ* in parte interiori fungorum vivunt; pupæ sub terra reconditæ. *Typus* generis: *Bolet. bimaculata.*

A. Area alarum subcostalis media apice mox pone stigma subaperta, h. e. nervulus transversus posterior conjungitur cum nervo costali mox pone apicem nervi longitudinalis 2:di.

1 *bimaculata* Zett. Ins. Lapp. (var. a. b.) ♂♀. 2 *fusca* Meig. (var. a. b. — *Macrocera hybrida* Meig. Klass.) ♂♀.

B. Area alarum subcostalis media ad stigma occlusa, h. e. nervulus transversus posterior conjungitur cum apice nervi longitudinalis 2:di.

3 *cinerea* Wiedem. Meig. ♂♀.

Boletophila.

A. Area alarum subcostalis media apice mox pone stigma subaperta, h. e. nervulus transversus posterior conjungitur cum nervo costali mox pone apicem nervi longitudinalis 2:di.

1. *B. bimaculata:* fusco-cinerea; antennarum basi flava; alis hyalinis, macula stigmaticali semirotunda distincta, et alia centrali obsoleta, fuscis; halteribus pallidis, clava fusca; pedibus flavescentibus, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. 2¾ fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 854. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. in Kröjers Tidsskrift, 1840. p. 228. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali et media, rarius, in septentrionali passim, a mense Aprili usque ad Septembrem obvia; scilicet in Scania ad Lund ♂ in fenestra 29 April. *(Dahlbom)*, et ad Abusa, ipse; in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam *(Wahlberg)*; in Jemtlandia ad Mulfjellet ♀ 29 Jul. semel; in Bottnia boreali ad Johannis Ro ♀ 2 Sept.; ad pagum Pello, et ad Öfver-Torneå ♀ 4 Jun. et 27 Aug.; in Nordlandia Norwegica ad Ofodenfjord ♂ 14 Jul. parce; in Dania in Charlottenlund, ad lignum cæsum, Majo, rarius, D. *Stæger*, a quo etiam specimen masculum obtinui.

♂♀. Per magnitudinem paullo majorem, ut et stigma semiorbiculatum determinatum obscurum, punctumque in medio alæ fuscum, a sequentibus nostris distincta. Opaca. Caput cinereum. Antennæ in ♂ longitudine circiter corporis, in ♀ paullo breviores, in utroque sexu obscuræ, articulis 2 primis et sæpe etiam basi 3:tii flavis. Palpi fusci. Thorax dilute fuscus, dorso vittis 3 latis obscurioribus; pleuris schistaceis.

Abdomen obscurum. Alæ hyalinæ, macula stigmaticali et alia minori in nervo transverso medio, obsoletiori, fuscis. Nervulus transversus superior excurrit in costa mox pone apicem nervi longitudinalis 2:di. Halteres pallidi, clava fusca. Coxæ et femora flava; tibiæ testaceæ; tarsi obscuri. Tibia femora paullo longior; metatarsus circiter longitudine femoris. — Variat junior toto corpore fusco-ferrugineo, capite cinereo, antennis fuscis.

Var. b. ♂. similis var. a., sed fere duplo minor et alarum puncto centrali fusco adhuc obsoletiori. Zett. l. c. var. b. Stæg. l. c. var. b. In silva ad Wittangi Lapponiæ Tornensis a me semel capta; in Dania a D. *Stæger* etiam deprehensa.

2. *B. fusca:* fusca, antennis palpisque concoloribus; thorace vittis 3 dorsalibus obscurioribus; alis subhyalinis, macula stigmaticali semirotunda, dilute fusca; nervulo transverso superiori mox pone apicem nervi longitudinalis 2:di in costa excurrente; halteribus pallidis, clava fusca; pedibus flavescentibus, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 1. 221. 2. Tab. 8. f. 3. 4 (antenna et caput). Macqv. Buff. 1. 126. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 28. 2. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 1. *Macrocera hybrida* Meig. Klass. 1. 47. 3. Leon Dufour, Annal. d. Scienc. Natur., Zool., 1839. p. 20. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 5 (caput imaginis), f. 9 (larva), f. 15 (nympha).

Hab. in graminosis, per Scandinaviam meridionalem et mediam, versus finem Augusti, atque sub totis mensibus Sept. et Octobr., passim; in fenestris quoque obvia, et in copula aliquoties capta; scilicet deprehensa in Scania ad Lund, Lindholmen, Tranås, Esperöd, etc., frequens, etiam e fungis terrestribus 20—28 Octob. 1837

copiose exclusa, exuviis niveis; in Ostrogothia ad Fylla prope Wadstena 9 Aug. 1841, D. *Dahlbom*; ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Hofverberget et Mulfjellet, non parce; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Daniæ silvis, Aprili et Majo iterumque Sept. et Oct., rarius, D. *Stæger*, qui etiam specimina mecum communicavit; in Norwegia ad Töien 8 Maj. 1849, ♂, D. *Siebke*. Teste *Léon Dufour* l. c. hospitatur larva gregaria in Agarico sulphureo.

♂♀. A præcedente, cui similis, differt: magnitudine paullo minori, alarumque macula stigmaticali nonnihil minus distincta, centrali nulla. Fusca, opaca. Antennæ fuscæ, in ♂ longitudine corporis, in ♀ paullo breviores. Oculi microscopice puberuli, in viva atro-purpurei l. violacei. Palpi et abdomen obscura. Alæ cinereo-hyalinæ, nitentes, nervis ut in *B. bimaculata* directis. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in priori constructi; coxæ et femora flava (in exsiccatis), tibiæ testaceæ, tarsi obscuriores.

Var. b. ♂♀. forte juvenilis, capite stethidioque flavidis, antennis, palpis, thoracis vittis dorsalibus abdomineque fuscis.

Obs. 1. In Austria hæc species ad semitas sylvestres humidas mense Junio deprehenditur; *Rossi*.

Obs. 2. Secundum annotationes meas antiquiores articulos 16 in antennis speciminum recentiorum me numerare posse credidi. In individuis vero 22 nunc diu exsiccatis, licet sat bene conservatis, quæ jam comparare possum, hunc articulorum numerum ægre distingvere valeo.

B. Area alarum subcostalis media ad stigma occlusa, h. e. nervulus transversus posterior conjungitur cum apice nervi longitudinalis 2:di.

3. *B. cinerea:* fuscescens; antennis fuscis, basi palpisque flavidis; thoracis plaga dorsali abdomineque pa-

ullo obscurioribus; alis subhyalinis, macula stigmaticali obsoleta, nervulo transverso superiori in apice nervi longitudinalis 2:di excurrente; halteribus pallidis, clava subfusca; pedibus flavescentibus, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Meig. Dipt. I. 221. 1. ♀. (secundum descriptionem Wiedemanni). Tab. 8. f. I. 2. ♀. (figura, secundum *Schüppel* imitata, quoad nervorum directionem in alis non exactissima). Macqv. Buff. I. 126. 1. ♂♀. Tab. 3. f. 7. ala (fig. quoad nervos delineatos magis fidelis (*)). Zett. Ins. Lapp. 854. 2. ♂. var. a. b. — Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 229. 3. ♂♀. (ubi etiam discrimen inter hanc et speciem præcedentem copiose et diligenter exponitur).

Hab. in Scandinaviæ paludosis, passim; scilicet in Scania hactenus rarissime observata; in Ostrogoth. ad Gusum, Prof. *P. F. Wahlberg*; in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan 16 Jul. 1840 ♀, parce; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi 25 Jun. 1821, semel; in Dania iisdem locis et temporibus ac *B. fusca*, sed frequentior, D. *Stæger*, qui exempla mihi benigne quoque missit.

♂♀. *Bolet. fuscæ* valde similis et affinis, sed magnitudine nonnihil majore, nervorum directione in alis paullo diversa, palpis flavis, nec fuscis, etc., vere distincta et facile dignota. Opaca. Caput cinereum. Antennæ ut in priori constructæ, fuscæ, articulis 3 primis flavis. Palpi flavi. Stethidum normaliter luridum, thoracis dorso vittis 3 brunneis latis et ple-

---

*) excepto, quod nervus longitudinalis 2:dus, a basi marginis interioris leniter tantum curvatus repræsentatur, cum tamen in omnibus hujus generis speciebus hic nervus versus axillarem in margine distincte *arcuatim* flectitur.

rumque ita confluentibus, ut magnam plagam fuscam efficiant. Humeri flavi. Scutellum testaceum. Macula pectoris cinerea. Abdomen obscure fuscum. Alæ pallide cinereo-hyalinæ, nervis ad costam fuscis. Macula stigmaticalis cinerea l. dilute fuscana. Nervulus transversus superior excurrit in nervo longitudinali 2:do mox ante hujus apicem, nec in costali, et sic connectit apicem nervi longitud. 2:di cum medio nervi longit. 3:tii. Halteres pallidi, clava in ♂ intense flava, in ♀ fusca. Coxæ pallidæ; femora flavescentia; tibiæ testaceæ; tarsi fusci. — Variat colore corporis partiumque paullo pallidiore.

---

255. MACROCERA Panz.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, angustum, nitidum, glabriculum. Caput parvum, subtransversum, sessile. Antennæ porrectæ, longitudine circiter corporis, interdum (in ♂) longiores; setiformes, microscopice puberulæ, circiter 12-articulatæ, articulis 2 basalibus brevibus, crassiusculis, rotundatis, approximatis, reliquis valde gracilibus, ultimis capillaribus, numero vix determinandis. Palpi breviusculi, incurvi, 4-articulati. Os non rostratum. Oculi rotundi, remoti. Frons lata, medio ocellis 3, sæpissime in triangulum dispositis, antico minori. Thorax ovalis, convexus, sutura transversa nulla. Scutellum parvum. Metathorax mediocris, convexus. Abdomen longum, angustum, puberulum, 7-annulatum. Alæ sat latæ, (in qviete) incumbentes, nudæ; basi profunde et subito excisæ, lobo subrectangulatim rotundato. Nervi ad costam distincti, reliqui tenuiores; longitudinales apicibus 5 ad marginem interiorem, tenuiter ciliatum, descendunt, quorum 1 et 2 (a basi numerati) arcuati, 4 et 5 furcam apicalem longam, breviter petiolatam formant, petiolo paullo ante medium alæ oriundo. Nervus longitudinalis 2:dus costalis paullulum ultra medium costæ extenditur, suo apice a nervulo substigmaticali transverso obliquo, distincte separatus; hinc area sub-

stigmaticalis elongata (*) apice manifeste aperta, nec ut in *Boletoph. cinerea* occlusa. Area discoidalis nulla, at area basalis unica, apice acuta, adest. Halteres breviusculi, nudi. Pedes tenues, posteriores elongati, antici paullo breviores; omnes puberuli, inermes, tibiis tantum apice breviter bicalcaratis. Coxæ longiusculæ. *Color* ferrugineus. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in graminosis, libenter ad aqvas et in litoribus ripisque. *Differentia sexus; mas:* antennis longioribus; abdomine lineari, pilosulo, ano breviter forcipato; *femina:* antennis paullo brevioribus; abdomine lanceolato, ano appendiculis 2 parvis brevibus munito. *Typus* generis: *Macr. lutea.*

A. alis immaculatis.

1 *lutea* Panz. (var. a. b.) ♂♀. 2 *fasciata* Meig. ♂♀. 3 *vittata* Meig. (non Macqv.) ♀.

B. alis maculatis (in *M. centrali* vix nisi macula unica media notatis).

4 *centralis* Meig. ♂♀. 5 *angulata* Meig. (*M. vittata* Macqv.?) ♂♀. 6 *phalerata* Hffgg. Meig. ♂♀. 7 *maculata* Meig? ♂. 8 *maculipennis* Stæg. ♂.

Macrocera.

1. *M. lutea:* ferruginea, antennarum flagello, abdomine saltem apice, tarsisque fuscis; alis subhyalinis, immaculatis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin.).

Panz. Fn. Germ. 105. 7. 6. Meig. Dipt. 1. 223. 1. ♂. Macqv. Buff. 1. 128. 4. ♂. Zett. Ins. Lapp. 855. 1.

---

*) in figura Meigeni hæc area nimis *brevis* repræsentatur; in figura vero Macqvarti *elongata* rite delineata.

♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 230. 1. ♂♀. Wiegm. et Ruthe, Zool., 1843. p. 468. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 1.

Hab. in graminosis et fruticibus, per hortos, prata et silvas Scandinaviæ, passim; mihi Julio et Aug. præsertim obvia; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga (in utroque sexu); in Helsingia ad Ytter-Hogdal 18 Aug. 1840, uterque sexus, non parce; in Jemtlandia ad Mulfjellet et Skalstugan; in Lapponia Tornensi ad Muonioniska; in Norwegia ad Alstahaug, Levanger et Suul Værdaliæ, nec non in insula Hackstèn prope Schiervöe Nordlandiæ; in Daniæ silvis, in Rubo idæo Jul. non raro; initio Octobris etiam observata, D. *Stæger*, cui exempla danica debeo.

♂♀. Flavo-ferruginea, nitida. Caput sæpe saturatius. Antennæ in ♂ corpore plus quam duplo, in ♀ illo paullo tantum, longiores, in utroque sexu fuscæ, articulis 2 primis semper, 3:tio etiam sæpe, ferrugineis. Oculi et ocelli nigri. Stethidium flavum, thoracis vittis dorsalibus 3 (sæpe obsoletis) et macula pectoris ferrugineis. Abdomen ochraceum, in ♂ hirtum, postice et ano fuscum; in ♀ tenuiter puberulum. Alæ sordide flavido-hyalinæ, nitentes, immaculatæ. Halteres toti flavi, clava interdum leniter fusca. Coxæ et femora flava; tibiæ testaceæ, calcaribus pallidis; tarsi fusci. Pedes: antici reliqvis paullo breviores, femoribus, tibiis metatarsisque subæque longis; posteriores elongati, tibia femore paullo longiori, tarsorum articulo 1:mo longitudine circiter femoris.

Var. b. ♂. similis var. a., sed corpore fusco-ferrugineo, pedibus paullo distinctius pubescentibus, tarsis obscurioribus, differt. — Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. In Norwegia ad Schiervöe 27 Jul. 1821, semel.

2. *M. fasciata:* ferruginea, antennarum flagello,

thoracis vittis dorsalibus 3, pectoris macula, abdominis fasciis latiusculis, tarsisque, fuscis; alis sordide hyalinis, immaculatis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 3¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 223. 2. ♂♀. Tab. 8. f. 5. ♂. Macqv. Buff. 1. 128. 5. Zett. Ins. Lapp. 855. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 230. 2. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, minus frequens, Jul. Aug. et ineunte Septembri vigens; scilicet in Scania ad Esperöd (specimen masculum a beat. *Meigen* determinatum); in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Stenkyrka, ♀ 29 Jul. 1841; Bottnia borealis; Lapponia Tornensis, in alpium jugo, ♂ die 12 Jul. in nive ambulans; in Norvegia in alpe Dowre, Prof. *Boheman;* et ad Töien, D. *Siebke;* in Dania, in Rubo idæo, ♀ Aug. parce, D. *Stæger.*

♂♀. Similis priori, a qua magnitudine paullo majori, thoracis vittis dorsalibus fuscis abdomineque obscure fasciato, distingvitur. Luteo-ferruginea. Frons fusca. Antennæ longitudine fere ut in præcedente, fuscæ, articulis duobus, interdum quinque primis flavis. Thorax vittis dorsalibus, lateralibus antice abbreviatis, plus minus intense fuscis. Pectus fusco-maculatum. Metathorax sæpe etiam disco dilute brunneus. Abdomen, in ♂ flavum, segmentis basi late obscuris, in ♀ fuscum, segmentis apice anguste flavis. Alæ immaculatæ. Halteres toti pallidi. Pedes ut in præcedente constructi, coxis et femoribus flavis, tibiis testaceis, tarsis obscuris l. nigricantibus, in exsiccatis fuscis.

3. *M. vittata:* ochracea, antennarum flagello, thoracis vittis dorsalibus 3, et abdominis totidem, tarsisque, fuscis; alis hyalinis; pedibus flavis. ♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. (1830) 6. 293. 7. ♀. (e museo meo descripta).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby Jul. 1817 specimen unicum detegi.

♀. Magnitudo, statura et affinitas præcedentis, a qua colore pallidiori, thoracis pictura dilutiori, et præcipue abdomine fusco-vittato, nec fusco-fasciato, differt. — Exsiccata: pallide ochracea, nitida. Frons flavescenti-ferruginea, vix fuscana, ante medium ocellis 3 in seriem transversalem, nec in triangulum, dispositis. Antennæ fuscæ, basi flava. Thoracis vittæ dorsales 3, media ad caput extensa, laterales parvæ, antice abbreviatæ; omnes ferrugineæ l. dilute brunneæ. Pectus vix ferrugineo-maculatum. Abdomen lanceolatum, ochraceum, dorso vitta media sat lata, subinæquali, fusca, et linea utrinque laterali, antice evanescente, ejusdem coloris. Alæ pallide hyalinæ, immaculatæ. Halteres flavi. Pedes ut in prioribus constructi, coxis, et femoribus flavis, tibiis testaceis, tarsis fuscis.

Obs. *Macr. vittata* Macqv. Buff. 1834. 1. 127. 1. longe alia est species. Nomenclatura Meigeni anciennitatem habet.

B. alis maculatis (in *M. centrali* macula fere tantum unica media notatis).

4. *M. centralis:* ferruginea, antennis extrorsum, thoracis vittis dorsalibus 3, media antice dilatata, abdominis annulis, tarsisque, obscuris; alis hyalinis, maculis duabus, una majuscula centrali, altera minori in medio costæ, fuscis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 225. 5. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 231. 4. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, rarius; scilicet in Scania ad Lindholmen 10 Jul. ♀, et ad villam Espe-

röd in paroecia Mellby, d. 12 Aug. 1838 utrumque sexum, inveni; in Dania in tractu circa "Nestved", ♀ a D. *Schöidte* mense Julio capta, affirmante D. *Stæger.*

♂♀. Ferruginea, nitida. Frons pallide brunnea, ante medium serie fere lineari ocellorum nigrorum. Antennæ in ♂ corpore saltem 2½ longiores, in ♀ circiter 1½ longiores, in utroque sexu fuscæ, articulis 3 l. 4 basalibus flavis. Oculi nigri. Thorax dorso vittis 3 nigricantibus l. brunneis, harum media postice abbreviata, antice utrinque versus humeros dilatata, maculam subtriangularem l. ancoræformem ibi effingente; lateralibus paullo longioribus, linearibus, sed tamen neque humeros neque scutellum omnino attingentibus. Pleuræ lineola brunnea. Scutellum et metathoracis discus dilute brunnea. Abdomen in ♂ lineare, hirtum, flavum, segmentis 2:do, 3:tio et 4:to basi annulo obscure fusco, 5:to, 6:to et 7:mo cum forcipe anali totis nigricantibus; in ♀ subfusiforme, puberulum, nigricans, segmentis 1:mo et ultimo totis concoloribus, 2:do, 3:tio, 4:to, 5:to et 6:to margine apicali sat late flavis, fascias 5 pallidas efficientibus, stylis analibus parvis flavis. Alæ hyalinæ, radice flavida; in disco alæ nonnihil ante medium (in ipsa furcatura) adest macula majuscula, irregularis, et in medio costæ (ad apicem nervi longitudinalis 2:di) alia minor, subquadrata, fuscæ. Halteres toti flavi. Pedes flavi, femorum posticorum apice in ♂, et tarsis in utroque sexu, fuscis.

5. *M. angulata:* ferruginea, antennis extrorsum, abdominis annulis, tarsisque, obscuris; alis hyalinis, ante medium maculis subtribus minusculis, mox pone medium fascia angulata subcontinua, apiceque, fuscis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Mas: abdomine segmentis quatuor primis ferrugineis incisuris obscuris, tribus ultimis nigricantibus:

Fem.: abdomine ferrugineo, annulis quinque apiceque nigricantibus.

Meig. Dipt. I. 224. 4. ♂♀. Macqv. Dipt. d. Nord. I. p. 109. 3. hujus varietas videtur? Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 231. 3. ♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 3. *Macrocera vittata* Macqv. Buff. I. 127. 1? Nec multum a *Macr. maculipenni* Macqv. quoad picturam alarum discrepat, sed pleuræ in nostra immaculatæ, nec vitta fusca ante alas notatæ.

Hab. in pratis silvaticis Scandinaviæ, minus frequens; scilicet ♀: in Gottlandia ad Garde 16 Jul. 1841, parce; in Jemtlandia ad alpem Mulfjellet 30 Jul. 1840, rarius; ♀ etiam in Dania in vicinitate Nestved mense Julio a D. *Schiödte* lecta fuerit, teste D. *Stæger*. Mas mihi non obvius, sed in Norwegia d. 22 Maj. 1849 ad Töien prope Christianiam in unico exemplo a D. *Siebke* captus nuper mecum communicatus fuit.

♀. Similis priori, sed thorace immaculato et alarum pictura uberiori, differt. Ferruginea, nitida. Caput immaculatum, ocellis et oculis nigris. Antennæ corpore circiter $1\frac{1}{2}$ longiores, fuscæ, basi indeterminate, articulis nempe 3 l. 4 primis, flavæ. Stethidium flavum, immaculatum, thoracis dorso ferrugineo, vix vestigio vittarum saturatiorum. Abdomen subfusiforme, flavo-ferrugineum, segmentis: 1:mo plerumque immaculato, 5 seqventibus margine apicali nigro-fusco (hinc annulæ 5 nigricantes), et ultimo toto obscuro. Styli anales exigui, flavi. Alæ hyalinæ, basi et costa usque ad fasciam flavidis. Ante medium alæ adsunt maculæ tres fuscæ, 1:ma prope basin, obsoletior; 2:da pone 1:mam juxta costam, paullo major, irregularis; 3:tia inter 2:dam et fasciam locata, centralis, minor, subquadrata; mox pone medium alæ incipit fascia a stigmate ad marginem oppositum ducta, modice lata, angulata, angulo apicem versus spectans; dimidietas superior intensius fusca, inferior obsoletior; totus apex alæ dilute fuscus l. cinereus. Halteres toti flavi. Pedes ut in priori.

bus constructi, cum coxis flavi, femorum posticorum annulo apicali tarsisque omnibus, fuscis.

♂. Similis feminæ, a qua, secundum *Meigen*, differt: thorace punctis 2 elongatis ante scutellum nigris, et abdominis segmentis 4 basalibus ferrugineis, incisuris nigris, segmentis 3 ultimis fusco-nigris. — *Macroc. angulatæ* mas a *Macqvart* antennis 9 lineas longis describitur.

Obs. Secundum *Rossi* hæc species circa Viennam jam mense Majo legitur; sed ibidem quoque raro occurrit.

6. *M. phalerata* Hffgg.: ferruginea, antennis extrorsum, pleurarum vitta obliqua, abdominis triplici serie punctorum, tarsisque, obscure brunneis; alis subhyalinis, macula basali, fascia mox ante medium, dimidiata, macula costali, apiceque late, fuscis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 223. 3. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 231. 5. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 2.

Hab. in Scandinavia meridionali, parce; in Scania ad Esperöd mense Julio aliquot specimina feminea legi; in Charlottenlund Daniæ Jun. Jul. in utroque sexu obvia, D. *Stæger.*

♀. Per pleurarum vittam obscuram obliquam, et formam atque situm vittæ fuscæ in alis, a conspeciebus dignoscitur. — Priori similis. Exsiccata. Antennæ corpore saltem dimidio longiores, fuscæ, articulis 4—5 primis flavis. Pleurarum vitta fusca sub humeris incipit et ad pectus (inter coxas anticas et intermedias) ducitur. Abdomen ferrugineum, punctis numerosis obscuris, trifariam dispositis, in serie media majoribus vittam interruptam formantibus, in seriebus lateralibus minoribus, minusque distinctis. Alæ albido-hyalinæ, signaturis variis, nempe: juxta basin (in regione nervulorum transversalium) macula majuscula indeterminata fusca; pone hanc non longe a costa, litura exigua obliqua obscura; mox ante me-

dium alæ fascia transversa a costa et circiter ad nervum longitudinal. 6:tum ducta, modice lata, saturate fusca præsertim in nervis, basi tamen seu ad marginem anticum paullo dilutior; deinde et proxime sequitur macula stigmaticalis, mediocris, sat intense fusca præcipue in nervis; tandem apex alæ totus late cinereus seu dilute fuscus. Halteres pallidi. Pedes flavi, tarsis fuscis. — In unico exemplo thorax dorso lineolas 2 dilute brunneas habet.

♂, sicut etiam inventus, a D. *Stæger* l. c. refertur, sed sine charactere. An feminæ similis? A me non observatus.

7. *M. maculata* Hffgg.: ferruginea, antennis extrorsum, thoracis vittis dorsalibus 3, media antica maculiformi, abdominis annulis, tarsisque, fuscis; alis subhyalinis, macula basali et fascia media a stigmate ad centrum ducta, innæquali, obliqua, fuscis; apice et margine interioris alæ cinereis; pedibus flavis. ♂. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. I. 225. 6? ♂? — Macqv. Dipt. du Nord 1. p. 108. 1? ♂♀. Ejusd. Buff. I. 128. 3? ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 856. 3. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 7. 5?

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; hactenus tantum in Lapponia Umensi ad pagum Wilhelmina in paludosis 17 Jul. 1832, in unico exemplo inventa, quantum noverim.

♂. Similis *M. centrali*, sed signaturis alarum nonnihil diversa, forte distincta. — Exsiccata. Ferruginea, nitida. Frons dilute brunnescens, ante medium ocellis nigris in seriem transversalem dispositis. Antennæ corpore duplo longiores, fuscæ, articulis basalibus flavis. Oculi nigri. Thoracis vittæ dorsales 3, harum media postice abbreviata, antice maculam latiusculam subtrigonam formans; laterales antice posticeque paullulum abbreviatæ, omnes castaneæ. Pleuræ vitta ab hume-

ris ad pectus oblique ducta, pallide brunnea. Abdomen nigro-brunneum, incisuris 4 anticis ferrugineis. Alæ albido-hyalinæ, basi pallidiores. Ad basin alæ (circiter $\frac{1}{4}$) macula costalis adest modice magna, subquadrata, fusca, obsoleta; a stigmate obscuro ducitur versus centrum alæ et supra basin furcæ fascia fusca inæqualis, in medio latior, obliqua, quæ terminatur macula parva subquadrata; apex alæ totus, et margo interior indeterminate, obsolete cinerascentes. Halteres toti flavi. Pedes cum coxis pallide flavi, femorum posteriorum annulo apicali tarsisque fuscis.

Obs. Antennæ in utroque sexu "longitudine corporis" a *Macqvart* nominantur. — Feminam hujus speciei non vidi.

8. *M. fascipennis:* lutea, antennis extrorsum obscuris; thoracis vittis 3 ferrugineis; abdomine fusco-maculato; alis hyalinis, maculis tribus apiceque fuscis. ♂. (Long. $2\frac{2}{3}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 231. 6. ♂.

Hab. in Dania; cum D. *Stæger* communicata a D. *Drewsen.* Mihi ignota.

♂. "Lutea. Antennæ versus apicem obscuræ. Thorax vittis 3 ferrugineis. Pleuræ macula obscure fusca supra pedum anteriorum coxas, et lineola longitudinali ferruginea supra coxas posticas. Abdominis segmenta 2—6 basi vittis angustis nigricantibus, in maculas oblongiusculas ad latera dilatatis; segmentum ultimum et cauda nigro-fusca. Alæ hyalinæ, ita pictæ: 1:mo macula obscura in nervulis transversis ad basin; 2:do macula gemina (altera saturatior, altera obsoleta) in centro areæ basalis; 3:tio a margine antico ad posticum fascia transversa obliqua, e stigmate plerumque obscuro formata, macula magna trigona obscura cum hac fascia connexa ad medium alæ in basi arearum trium posticarum, vitta transversa nigra supra aream axillarem et huic adjacens lata, sed multo obsoletior macula transversalis supra aream axillarem et latam

Spuriam juxta marginem interiorem; 4:to macula rotunda in area anali, in margine interiori alæ; et 5:to supra apicem alæ lata sinuata, obscura umbra". *Stæg.* l. c. (*)

---

256. MYCETOBIA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, opacum, subglabrum, vel tenuiter pubescens. Caput parvum, rotundatum, sessile, thorace humilius. Antennæ porrectæ, longitudine capitis thoracisque simul sumtorum, arcuatæ, cylindricæ l. filiformes, 16-articulatæ, articulis brevibus, 2 primis paullo crassioribus, subdiscretis. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati. Os non rostratum. Oculi reniformes. Frons modice lata, medio ocellis 3, inæqualibus, approximatis, in triangulum positis, antico exiguo. Thorax ovalis, convexus, absque sutura transversa. Scutellum parvum. Metathorax mediocris. Abdomen oblongum, subcylindricum, l. interdum subdepressum; 7-annulatum. Alæ latiusculæ, (in quiete) incumbentes, basi subito excisæ, lobo rotundato. Nervi, præter furcatum obsoletiorem, sat distincti, præsertim ad costam; longitudinales apicibus 4 ad marginem interiorem, parum ciliatum, descendunt, quorum 2 superiores furcam longiusculam, petiolatam, petiolo paullo ante medium alæ oriundo, formant. Nervus axillaris rudimentarius vix usque ad marginem interiorem extenditur. Area discoidalis nulla, at area basalis simplex, sat lata, adest. Halteres breviusculi, nudi. Pedes mediocres, inermes, tibiis tantum apice bicalcaratis. Coxæ longiusculæ. *Color* niger aut ferrugineus. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in truncis arborum, larvarum in fungis et succo arborum exstillante, verno tempore. *Differentia sexus; mas:* abdomine subcylindrico, forcipe anali mediocri, incurva; *fe-*

---

*) speciminibus pro comparatione mihi deficientibus, hanc descriptionem verbotim versam reddere coactus fui.

mina: abdomine subdepresso, in medio nonnihil latiori, stylis analibus 2 parvis, subfoliaceis. *Typus* generis distincti: *Myc. pallipes.*

1 *pallipes* Meig. ♂♀. 2 *fasciata* Meig. (*Plat. bifasciata* Macqv.?) ♂♀. 3 *annulata* Meig. ♂.

1. *M. pallipes:* nigra; alis hyalinis, immaculatis, furca apicali sat longe petiolata; halteribus pedibusque pallide flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$, vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 230. 1. ♀. Tab. 8. f. 10. ♀. Macqv. Buff. 1. 146. 1. Tab. 3. f. 14 (ala). Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 12. 1. *Tanypus pallipes* Megerle.

Hab. in Svecia meridionali et media, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund (in Lundagård), mares in truncis arborum Aesculi Hippocastani et Ulmi campestris, feminas oviparas in iisdem arboribus, harum succum exstillantem quærentes, ovaque deposituras, 20—26 Jun. inveni; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg.*

♂♀. Species *Mycetobiæ* genuina, nervorum in alis directione, pedibus robustis, inermibus, etc., distincta. Nigra, opaca. Caput nigricans, antennis totis atris. Stethidium nigrum, thoracis dorso cinereo-puberulo. Abdomen puberulum, nigricans, in junioribus fuscum l. subrufescens. Alæ hyalinæ, nudæ, nervis ad costam distinctis, reliqvis tenuioribus, et horum axillaribus (1:mo et 2:do a basi marginis interioris numeratis) valde obsoletis, vix conspiciendis, ut in figura Meigeni rite fuit observatum. In ala adest proprie tantum unicus nervus furcatus, isque subapicalis, ramis furcæ subæqualibus, petiolo elongato paullo brevioribus; nam duo illi nervi superiores, huic proximi, formant non nisi furcam sessilem, ramis inæque longis. Halteres albidi. Pedes modice longi, vel pro-

portione potius breviusculi, sat validi, nudi et omnino inermes, etiam quoad tibias, quæ in apice duo habent calcaria brevissima; toti albido-flavi, tarsis apice nonnihil saturatius flavis, vix brunneis. Femora, tibiæ et tarsi fere æque longa.

Var. b. aut tota fusca, aut fusca, abdomine pallidiore, aut denique nuper exclusa tota flava; cum varietate a capta.

2. *M. fasciata:* ferruginea, antennarum flagello, thoracis vittis dorsalibus 3, abdominis annulis latis, tarsisque, brunneis; alis dilute fuscis, fasciis 2 hyalinis, furca apicali modice longe petiolata; pedibus flavis. ♂♀ (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 1. 230. 2. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 146. 2. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 281. 2. ♂. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 12. 2. *Platyura bifasciata* Macqv. Buff. 1. 144. 10? ♀. (ut voluit *Stæger).*

Hab. in Scandinavia meridionali, rarius; in Scania ♀ inventa; in Daniæ Charlottenlund ad lignum cæsum d. 27 Maj. 1838, duo mares deprehensi, quorum unum sub nomine: "*M. angulata* Stæg.", mecum benevole communicavit Amicus *Stæger*. (E Lubeca plura specimina feminea misit (1843) D. *J. Behrens;* atque indicio: "*Mycetob. fasciata* Meig., e fungo Juglandis regiæ educata", exempla feminea, e Glogavia a D. *Zeller* 1842 etiam obtinui). Secundum *Meigen* larvæ hujus speciei n Boleto versicolore vivunt.

♂♀. Priore major, et in multis dissimilis. — Ferrugineo-flava. Antennæ obscuræ, articulis 2 primis flavis. Thoracis dorsum pilosulum, vittis 3 brunneis l. castaneis, lateralibus antice paullo abbreviatis. Macula pectoralis brunnea. Abdomen

obscure fuscum, margine apicali in segmento 1:mo late, in reliquis (præcipue in ♂) anguste, flavo; appendiculis analibus pallidis. Alæ tenuiter hirtæ, pallide fuscæ, basi, lobo basali marginis interioris, fasciisque duabus, una ante, altera post medium, subalbido-hyalinis; vel si mavis, hyalinæ, fascia abbreviata l. macula costali juxta basin, fascia media lata integra, ad costam saturatiori, et apice late diluteque, fuscis. Nervi: axillaris (in basi marginis interioris) rudimentarius; duo illi huic proximi distincti, subarcuati, fusci; porro nervus furcatus ordinarius tenuis, ramis furcæ subæqualibus, petiolo paullo longioribus; deinde nervus furcatus superior, ramis inæqualibus, horum inferiori longissimo et petiolo suo saltem sextuplo longiori. Halteres pallidi, clava longiuscula, basi fuscana. Pedes modice tenues, longiusculi, postici longiores; tibiis femore paullo longioribus, tarsorum articulo 1:mo femur longitudine vix æquante; omnes flavi, coxis posterioribus, et tarsis saltem apice, pallide fuscis; inermes, tibiis tamen tenuissime subspinulosis, anticis apice breviter calcaratis, posterioribus apice calcaribus duobus distinctis munitis.

3. *M. annulata:* ferruginea, antennarum flagello, abdominis annulis, tarsisque, fuscis; alis ferruginantibus, nervis duobus furcatis petiolatis. ♂. (Long. 3 lin. secundum Meig.).

Meig. Dipt. 6. 294. 3. Stæg. Dipt. Dan. 1840 p. 281. 1. ♂.

Hab. in Dania, ubi mas bis captus, scilicet in horto ad Frederiksberg mense Majo, a D. *Stæger*, et ad amnem juxta Näsbyholm Junio, a D. *Schiödte*. Mihi neque in Svecia, neque in Lapponia, neque in Norwegia obvia.

♂. Præcedenti affinis videtur, sed teste *Stæger* ab illa differt per nervos duos furcatos petiolatos et æquales (Næstmarginal-

cellen langpetioleret, af lige Höide med 2:den Bagcelle) (*), nec nervum furcatum superiorem (Næstmarginalcellen Stæg.) breviter petiolatum, et instructum ramis multo longioribus quam in nervo furcato posteriori (Bagcellen Stæg.). — "Antennæ fuscæ, basi ferrugineæ. Oculi reniformes. Pedes ferruginei, tarsis fuscis; tibiæ anticæ tarsis duplo breviores; posteriores tibiæ anticis duplo longiores, et tarsi longitudine æqvali; pedes omnes tenuiter puberuli, sine spinis lateralibus. Corpus tenuiter pilosulum; abdomen cylindricum (unde forte ♂?). Alæ ferruginantes, villosulæ; directio nervorum paullo diversa, quam in *Mycetobia pallipede*". Stæg. l. c.

Obs. 1. *Myc. annulata* videtur sat cognata et similis *Ceroplato flavo* nobis (Tom. 9. p. 3447), in quo alæ etiam villosulæ; sed antennarum forma differunt.

Obs. 2. Cel. *Stæger* l. c. admonuit *Mycetobiam* et *Platyuram* per leviores tantum notas esse diversas; transitus varios eas conjungere, et sic *Mycetobiam* ut proprium et a *Platyura* distinctum genus vix considerari posse. Hoc quidem sollerti Admonitori lubenter dabo, quando quæstio est de *Mycetobiæ* speciebus duabus ultimis, nempe *fasciata* et *annulata*, quæ quoad nervorum in alis directionem, pedem structuram, tibiarum calcaria apicalia fortiora, etc., multam cum ceteris *Platyuris* habent similitudinem et affinitatem. Sed idem de *Mycetob. pallipede* non valet. Hæc enim, quam Cel. *Stæger* haud cognovisse videtur (**), quam vero *Meigen* et *Macqvart* pro typo generis *Mycetobiæ* assumserunt, secundum quem alarum nervos etiam delinearunt, per furcam superiorem sessilem, nec petiolatam, pedes modice longos l. potius breviusculos,

---

*) "*Nästmarginalcellen*" Stæg. seu *Cellule sous-marginale* Macqv. eadem ac *nervus furcatus superior* seu *anterior* nobis; et "*Bagcellen*" Stæg. seu *Cellule postericure* Macqv., a nobis *nervus furcatus posterior* (in hoc genere ordinarius) seu *apicalis* vocatur.

**) in Catalogo Dipterorum 1840, ut incola Daniæ saltem non allata fuit.

nec elongatos, crassiusculos, nec tenues, tibias lateribus exacte muticas, ne quidem rudimento spinularum, calcaria apicalia brevissima, nec longa et valida, etc., a duabus sequentibus bene dignoscitur, *Cordylæ* habitu quodammodo appropinquans. Eos igitur non reprehendendos esse putarem, qui speciem *pallipedem* sub genere *Mycetobia* retinere, sed *fasciatam* et *annulatam* ad *Platyuram* delegare vellent, nisi has novo generi amandare justum censerent.

---

257. CORYNOCERA Zett.

Corpus minutum, oblongum, parum nitidum, molle. Caput mediocre, sessile, subtransversum. Antennæ porrectæ, thorace paullo breviores, subclavatæ, (in mortua) arcuatæ; cylindricæ, circiter 12-articulatæ: articulo 1:mo brevi, crasso, nudo; 2—11 valde minutis, rotundatis, arcte connexis, tenuissime puberulis; 12:mo seu ultimo oblongo-conico, crassiori, nudo. Palpi parum exserti, incurvi. Os minime rostratum. Oculi rotundi, subexserti, remoti. Frons lata, ocellis nullis. Thorax oblongus, convexus, capite paullo altior, absque sutura transversa, sed postice ante scutellum parvum leniter depressus. Metathorax mediocris. Abdomen 7—? 8—? annulatum. Alæ longitudine fere abdominis, cuneiforme, modice angustæ, opacæ, nudæ, molles. Nervi longitudinales 4 vel 5, disco approximati, versus apicem paullo divergentes; omnes valde obsoleti, ægre determinandi. Ad apicem singulæ alæ superne adest seta distincta, longiuscula, paullo curvata, (nota priva). Margo interior non ciliatus. Halteres breviusculi, nudi, clava rotundata. Pedes breves, validi, inæquales; omnes nudi et inermes. Coxæ non elongatæ. *Color* obscurus. *Motus* —? *Habitatio* hactenus tantum in ripis lacuum Lapponiæ observata. *Differentia sexus; mas:* alis longitudine abdominis; abdomine cylindrico, ano sat magno, forcipe scilicet inflexa, tumidiuscula; pedibus crassioribus; *femina:* alis

abdomine nonnihil brevioribus; abdomine depresso, apice acutiusculo, ano appendiculis 2 exiguis, parum exsertis, subrotundatis. — Genus singulare et anceps, de cujus loco vero in serie systematica valde dubius sum, et pro quo inserendo nova certe Familia condenda, cum neque sub Mycetophilinarum, neque sub aliis Nemocerarum cohorte bene militari potest. Victu, metamorphosi aliisque vitæ conditionibus in posterum exploratis, structura partium (hodie corrugatarum) in speciminibus vivis melius observata, ut et directione nervorum in alis accuratius determinata, locum aptiorem pro animalculo paradoxo, sine dubio designare potuerimus.

1. *C. ambigua:* fusco-nigricans; alis seta obscura terminatis, halteribusque, albis; pedibus in ♂ fuscis l. stramineis, in ♀ albidis. ♂♀. (Long. ♂ circiter 1, ♀ $1\frac{1}{8}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 856. 1. ♂♀. *Tanypus crassipes* Zett. Ins. Lapp. 819. 13. ♀. ejusdem Dipt. Scandin. 9. p. 3628. 38. ♀. (ex individuis partibus mutilatis descripta).

Hab. in Lapponia septentrionali per regionem alpinam, rarius; scilicet in ripa lacus insignis Torneträsk plura paria in copula juncta 8—10 Jul. 1821 inveni.

♂♀. Obscure fusca, opaca. Antennæ, in quibus articulos circiter 12 numero, filiformes, lividæ l. albidæ, apice, præsertim in ♂, paullo clavatæ. Palpi subretracti. Oculi nigri. Abdomen e segmentis 8 constare videtur, in ♂ cylindricum, nigrum, immaculatum, forcipe anali majuscula; in ♀ depressum, obscurum, sæpe dorso vitta longitudinali media indeterminata (in ventre etiam observata), incisurisque, albidis. Alæ subcomplicatæ, versus apicem paullo latiores, apice ipso obtuso; totæ lacteæ, haud pellucidæ, nervis, præter unum l. alterum longitudinalem, cujus medium furcatum, ægre determinandis. Sed nervus costalis ad apicem alæ in angulo superno desinit in setam gracilem subarcuatim deflexam, obscu-

ram, longitudine circiter 6:tæ partis totius alæ; in ♂ simplicem, in ♀ microscopice triplicatam. Halteres albi. Pedes in utroque sexu nudi, inermes, inæquales; antici: femoribus modice longis, tibiis brevibus, tarsis (præsertim in ♂) longissimis, articulo 1:mo (metatarso) tibia paullulum longiori; intermedii: femoribus brevibus, tibiis femoris longitudine, tarsis brevissimis (tibia circiter quadruplo brevioribus) incurvis; postici: femoribus paullo longioribus, tibiis longitudine femoris, tarsis brevissimis (tibia circiter triplo brevioribus), subincurvis. In ♂ femora antica crassa, posteriora valde incrassata, subincurva, omnia basi nonnihil angustiora; in ♀ femora antica simplicia, posteriora leniter crassiora. Tibiæ et tarsi omnia in utroque sexu simplicia. Pedes omnes in ♂ fusci l. lividi, in ♀ flavo-albidi, articulatione in utroque sexu anguste fusca.

258. PLATYURA Meig.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, elongatum, glabriculum, interdum puberulum. Caput parvum, rotundatum, thorace humilius; sessile. Antennæ longitudine fere thoracis, porrectæ, arcuatæ, 16-articulatæ, articulis brevibus, 2 basalibus paullo discretis, cylindricis, nudis, sequentibus (flagelli) subcompressis, breviter puberulis, versus apicem sensim nonnihil angustioribus. Palpi exserti, cylindrici, incurvi, 4-articulati. Proboscis plus minus exserta. Oculi oblongo-rotundati, remoti. Frons lata, medio ocellis 3, subapproximatis, fere in triangulum dispositis, inæqualibus, antico minuto. Thorax ovalis, convexus, sutura transversa postica nulla. Scutellum parvum. Metathorax mediocris, convexus, fere gibbus. Abdomen longum, angustatum, basi (præcipue in ♂) subcylindricum, posterius (imprimis in ♀) paullo latius, depressiusculum; 7-annulatum. Alæ modice latæ, (in qviete) incumbentes, nudæ, basi subito excisæ, lobo marginis interi-

oris obtuse rotundato. Nervi fere ut in *Macrocera* directi, longitudinales nempe apicibus 4 aut 5 ad marginem interiorem, vix ciliatum, descendunt, quorum 2 posteriores furcam apicalem longam, breviter petiolatam, petiolo paullo ante medium alæ oriundo, formant. Area discoidalis nulla, at areæ: basalis unica, apice acuta, et substigmaticalis (marginalis Macqv. et Stæg.), apice in speciebus scandinavicis aperta, adsunt. Halteres breviusculi, nudi. Pedes elongati, (femoribus proportione breviusculis); simplices, subnudi, inermes, tibiis apice distincte bicalcaratis. Coxæ valde elongatæ. *Color* ferrugineus aut niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in pratis et silvis, libenter locis umbrosis, absconditis. *Larvæ* fungivoræ. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, pubescente, ano obtuso, forcipe parva, parum exserta; *femina:* abdomine parum puberulo, posterius latiore, depresso, ano rotundato, stylis 2 parvis, brevissimis. — *Typus* generis *Ceroplato* valde confinis: *Platyura fasciata.*

A. thorace ferrugineo l. flavo.

*) ore non rostrato.

1 *fasciata* Latr. var. a. b. ♂♀. 2 *nigricornis* Fabr. ♀. 3 *pallida* Stæg. var. a. b. c. ♂♀. 4 *unicolor* Stæg. ♂. 5 *ruficornis* Zett. n. sp. ♂♀. 6 *discolor* Wahlb. *(Pl. discoloria* Meig.) ♂♀. 7 *ochracea* Meig. ♂♀.

**) ore distincte rostrato.

8 *rostrata* Fries, var. a. b. ♂.

B. thorace nigro.

† ore non rostrato.

9 *vitripennis* Meig. ♂. 10 *fulvipes* Meig.? ♂♀. 11 *brunnipennis* Stæg. ♀. 12 *dorsalis* Stæg. ♂. 13 *lugubris* Zett.

n. sp. var. a. b. ♂. 14 *flavipes* Meig.? Stæg. *(Pl. succincta* Meig.) ♂♀.

†† ore sat longe rostrato.

15 *femoralis* Meig. ♂♀.

Platyura.

A. thorace ferrugineo l. flavo.

*) ore non rostrato.

1. *Pl. fasciata:* ferruginea, antennarum flagello, frontis macula, abdominis annulis, alarum fascia ante apicali, halterumque clava, dilute fuscis; pedibus flavis, tarsis fuscis; alis sordide flavidis, area marginali elongata, apice late aperta: ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 240. 15. ♀. Macqv. Buff. 1. 143. 8. ♀. Zett. Ins. Lapp. 857. 1. ♂♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 279. 8. ♀. *Asindulum fasciatum* Latr. Gen. 4. 261.

Hab. in fruticibus, plerumque locis latebrosis, mense Jul. et Aug. passim, etiam in fenestris obvia; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd, etc., non raro; in Ostrogothia ad Lärketorp etc.; in Gottlandia ad Hafdhem; in Lapponia Umensi ad pagum Frederica et in monte subalpino Stöttingsfjellet, non parce; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Ferruginea, subnitida. Frons regione ocellorum obscura. Antennæ cylindricæ, obscure fuscæ, articulis 2 primis ferrugineis. Proboscis non exserta. Palpi flavi. Oculi in viva nigri. Thorax dorso tenuiter nigro-pilosulus, interdum vestigio vittarum trium intense ferruginearum. Abdomen ferrugineum, in ♂ angustatum, segmentis 2, 3 et 4 basi fascia plus minus intense brunnea, reliqvis tribus plerumque totis satu-

rate fuscis; in ♀ posterius paullo latius, totum ferrugineum, segmentis omnibus (1:mo excepto) basi fascia brunnea. Alæ dilute flavidæ, fascia intra apicem cinerea l. pallide fusca, ad costam paullo dilatata (non vero ad nervulum transversum extensa) et saturatiori, inferius sensim attenuata et evanescente, nec marginem interiorem attingente. Area marginalis elongata, angusta, ad stigma sat late aperta. Nervulus stigmaticalis transversus brevis, subperpendicularis. Area basalis vix ad tertiam alæ partem extenditur. Nervi longitudinales apicibus tantum 4 ad marginem interiorem descendunt, axillari nempe valde oblitterato, vix conspicuo. Halteres pallidi, clava fuscana. Pedes cum coxis flavi, tarsis obscuris.

Var. b. ♀. simillima var. a, et differt tantum halteribus totis flavis, clava tantum ferruginea, nec fusca. An *Platyura ochracea* Meig.? Ad Esperöd cum var. a. inventa.

Obs. Cel. *Macqvart* suam *Platyuram fasciatam* palpis obscuris describit; in nostris vero speciminibus, iisque multis utriusque sexus, palpi flavi sunt vel ad summum apice interdum subfuscani. *Meigen* et *Stæger* de colore palporum silent.

2. *Pl. nigricornis:* ferruginea, antennarum flagello, frontis macula, abdomineque obscure brunneis, hujus incisuris tenuiter pallidis; alis sordide flavidis, fascia anteapicali dilute fusca, area marginali elongata, apice late aperta; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♀. (Long. circiter $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. I. 241. 18. ♀ (secund. *Wiedemann* descripta.). Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 279. 9. ♀. *Sciara nigricornis* Fabr. Antl. 57. 4.

Hab. in Scandinavia meridionali, valde rara; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby feminam mense Jul. semel inveni; ♀ etiam in Dania capta a D. *Dreusen*, teste D. *Stæger*.

♀. Simillima priori, a qua vix nisi abdomine obscuriore distingvitur. Ferrugineo-flava, nitida. Caput ut in præcedente. Thoracis vittæ 3 dorsales pallide fuscæ in nostro specimine parum conspiciendæ. Scutellum et metathorax dilutissime brunnea. Abdomen supra totum nigricans seu obscure brunneum, segmentis omnibus margine apicali anguste pallido. Venter testaceus. Alæ et pedes ut in *Pl. fasciata*. Halteres in nostro exemplo abscissi.

3. *Pl. pallida:* pallide flava; fronte cinerea; antennnarum flagello, abdominis fasciis, halterum clava, tarsisque, obscuris; alis pallide hyalinis, subimmaculatis, area marginali elongata, apice late aperta. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 280. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali: in fruticibus Rubi idæi, Jun. Jul., in Dania non raro, secundum *Stæger*, qui marem mecum communicavit. In Svecia hæc species non obvia, quantum noverim.

♂♀. parva, pallide flava, opaca. Exsiccata. Caput cinereum. Antennæ nigricantes, articulis 2 primis flavis. Thorax dorso vestigio vittarum ferruginearum. Abdomen in ♂ angustum, fusco-hirtulum, indeterminate fusco-fasciatum, ano nigricante, forcipe apice valde gracili, nigra. Alæ sordide flavido-hyalinæ, nervis ut in *Pl. fasciata* directis. Nervulus stigmaticalis transversus brevis, perpendicularis. Mox ante apicem alæ ad costam adest umbra valde diluta, nec maculam determinatam formans. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes pallide flavi, tarsis obscuris.

Var. b. ♂: abdomine immaculato. Stæg. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀: thorace vitta subfusca. Stæg. l. c. var. c. ♀.

4. *Pl. unicolor:* flavo-lutea, antennarum flagello, frontis macula, halterumque apice fuscis; alis flavidis,

apice late infuscatis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♂. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 280. 11. ♂.

Hab. in Dania cum præcedente, mense Julio, D. *Stæger*. Mihi ignota.

♂. "Flavo-lutea. Antennæ nigricantes, articulis 2 basalibus ferrugineis. Frons, in regione ocellorum, macula nigra. Thorax vestigio obsoleto vittarum 2 latarum ferrugineo-fuscarum. Abdomen dense nigro-hirtum. Cauda ferruginea. Halteres apice obscuro. Alæ flavicantes, apice late fusco. Tarsi obscuri." *Stæg.* l. c.

5. *Pl. ruficornis:* ferruginea, antennis concoloribus; palpis flavis; capite, halterum clava, abdomineque fuscis, hoc in ♂ flavido-submaculato, in ♀ ferrugineo-fasciato; alis sordide hyalinis, immaculatis, area marginali elongata, apice late aperta; pedibus flavis, tarsis obscuris ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarius: in Scania ad Lund, Tranås (in fruticibus horti) et Esperöd aliquot specimina mascula mense Julio inveni.

♂. Similis Meigeni *Pl. discolori* (cujus varietatem olim putavi) et *ruficolli*, sed antenarum colore alio et alis immaculatis, etc., ab illis dignota. Parva. Exsiccata. Ferruginea, subnitida. Caput nigricans, ocellis nigris. Antennæ ferrugineæ, apice (articulo ultimo) paullo obscuriores. Proboscis non exserta. Palpi flavi. Thorax dorso tenuiter fusco-hirtulus. Abdomen angustatum, obscure hirtulum, nigricans, pictura sordide pallida potius maculas rariores indeterminatas, quam fascias formante. Anus lutescens, forcipe inflexa, ovato-rotundata, lurida, breviter obscure puberula. Alæ sordide flavido-hyalinæ, nervorum ratione ut in *Pl. fasciata*, sed nervulo ad stigma proportione paullulum longiori et magis obli-

quo, nec perpendiculari. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes pallide flavi, tarsis nigricantibus.

♀. Similis mari descripto, sed thorace pallidiore, abdomine latiusculo, depresso, nitente, ferrugineo, segmentis basi fascia sat determinata brunneis, nitidis; ano simplici; ad Elisenheine prope Gryphiam 6 Sept. 1844, a Cel. *Dahlbom* capta, hujus videtur femina.

6. *Pl. discolor:* ferruginea, antennis (articulis 3 primis exceptis), tarsisque, fuscis; palpis flavis; abdomine nigro-fusco, fasciis ferrugineis (♂), aut ferrugineo, incisuris nigris (♀); alis pallide fuscanis, apice fuscescentibus; halteribus pedibusque flavis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin. secundum *Meigen* — 2—$2\frac{1}{2}$ secundum Macqv.).

Wahlb. in litt. 1840. *Plat. discoloria* Meig. Dipt. 1. 239. 14. ♂♀. Macqv. Buff. 1. 144. 11. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. 5.

Hab. in Ostrogothia ad Gusum, teste Prof. *P. F. Wahlberg*. Mihi in Svecia haud obvia, nam exempla sub hoc nomine in Insectis Lapponicis, ut Scaniæ incolæ allata, ad *Pl. ruficornem* sunt referenda.

♂♀. "Palpi flavi. Antennæ fuscæ, tribus inferioribus articulis flavis. Frons flavicans, brunneo-micans, ocellis atris. (Caput nigrum Macqv.). Stethidium et scutellum flava. Abdomen maris nigro-fuscum, segmentorum margine apicali fascia ferruginea, antice obsoleta; feminæ ferrugineum, incisuris nigris. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis fuscis. Alæ pallide fuscanæ, ad apicem paullo obscuriores, in ♀ vero plerumque parum conspicue." *Meig.* l. c.

Obs. In sæpibus vivis versus finem Julii hæc species copiose a *Meigen* observata, etiam in copula.

7. *Pl. ochracea:* ochracea, nitida, antennarum flagello tarsisque nigricantibus; palpis, halteribus pedibus-

que flavis; alis leniter subfuscanis, costa flavida, in ♂ apice toto, in ♀ fascia anteapicali, fuscis; proboscide breviter exserta. ♂♀. (Long. 3 lin. secund. Meig.).

Meig. Dipt. 1. 240. 17. ♀. Ejusdem 6. p. 295. ♂♀.

Hab. in Svecia media, ubi in Ostrogothia ad Gusum, et in Uplandia ad Holmiam inventa fuerit, testante Prof. *Wahlberg*. A me numquam deprehensa.

♂♀. Valde similis videtur *Plat. fasciatæ* var. b., a qua vero (si nempe notæ pro *Pl. ochracea* allatæ exacte quadrant) colore ochraceo, nec ferrugineo, ut et ore nonnihil prominulo, discrepat. De discrimine præterea aut identitate, nihil affirmare possum, cum formam, quæ *Pl. ochracea* esse perhibetur, ipse non viderim. — "Nitida, ochracea. Antennæ nigræ, articulis 1:mo, 2:do et basi 3:tii ferrugineis. Epistoma prominentia parva. Palpi flavi. Incisuræ abdominis tenuiter nigro-fuscæ. Halteres et pedes flavi, tarsis fuscis. Alæ paullo fusco-tinctæ, margine antico flavescente, in ♂ apice toto fusco, fuscedine ad costam intensiori; in ♀ mox ante apicem fascia transversa vel tantum macula pallide fusca." *Meig.* l. c.

Obs. 1. In silvis mens. Junio femina legitur, secundum *Meigen*.

Obs. 2. *Sciara testacea* p. 3731. n:o 21, huic accedit, sed forsan rectius sub genere *Sciara* collocatur.

Obs. 3. *Platyuram laticornem* Meig. et Stæg., jam in Tomo præcedente p. 3344. 4. sub nomine: *Ceroplato lineato* descripsi. Hæc species ex utroque sexu quoque in Dania inventa; mas scilicet in Skovsborg a *Drewsen*, et femina ad Nestved a *Schiödte*, capti, teste *Stæger*.

**) ore distincte rostrato.

8. *Pl. rostrata:* flavo-ferruginea, capite, antennarum flagello, palpis, thoracis vittis dorsalibus 3, abdominis fasciis anticis et (in ♂) segmentis posticis, tarsisque fuscis; alis subhyalinis, immaculatis, area marginali elon-

gata, apice non late aperta; pedibus flavis; proboscide distincte exserta, fusca. ♂. (Long. saltem $2\frac{3}{4}$ lin.).

Fries, Tipular. manuscr. 1823.

Hab. in Ostrogothia rarissime: ad Wadstena ante plures annos specimen unicum inveni.

♂. Per rostrum exsertum et alarum aream subcostalem apice minus late apertam, ab antecedentibus satis superque distincta. Ferruginea, subopaca. Caput brunnescens. Antennæ nigricantes, articulis 2 primis flavis. Proboscis capite fere duplo longior, perpendicularis, basi crassiuscula fusca, apice nonnihil tenuior, testacea. Palpi fusci. Stethidium flavum, thoracis dorso obscure hirtulo, ferrugineo, vittis 3 distinctis, obscure brunneis, subnitentibus, media ad collare flavum extensa, lateralibus antice paullo abbreviatis. Scutellum et metathorax pallide brunnescentia. Abdomen modice angustum, fusco-puberulum, ochraceo-ferrugineum, segmentis 4 anticis basi fascia indeterminata dilute brunnea, tribus apicalibus supra totis nigro-brunneis, ano fusco-ferrugineo, forcipe brevi, ovata, obscure puberula. Alæ sordide hyalinæ, immaculatæ, nervis ut in prioribus directis, sed area marginalis apice ad stigma anguste, saltem minus late aperta; nervulus ibi transversus brevis, subperpendicularis. Halteres in nostro exemplo amputati. Pedes cum coxis pallide flavi, tarsis nigricantibus.

Var. b. ♂.; circiter 2 lin. longa; similis varietati a, sed differt magnitudine minori, thoracis dorso subnitido, toto ferrugineo, vix rudimento linearum 3 paullo saturatiorum, ut et proboscide tota obscura. Forte species distincta, quam tamen ex individuo manco, antennarum nempe abdominisque apice mutilato, pro certo determinare non possum. In Scania ad Esperöd semel inventa.

B. thorace nigro.

† ore non rostrato.

9. *Pl. vitripennis:* atra, antennis totis tarsisque con-

coloribus; alis hyalinis, immaculatis, nervis apicibus 5 ad marginem interiorem descendentibus, halteribus obscuris; pedibus flavis. ♂. (Long. 3—3¼ lin.).

Meig. Dipt. 6. p. 295. 21. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 278. 4. ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali mense Aug., minus frequens; in Scania rarissime; in Dania in pluribus maribus lecta, D. *Stæger*, qui etiam exempla mihi misit.

♂. Alis hyalinis immaculatis, etc., ab affinibus dignota. Nigra, parum nitida, capite cum antennis et palpis concolore. Thorax dorso nigro-hirtus, in humeris stria obliqua, ad pleuras descendente, straminea. Abdomen angustum, nigro-pubescens. Forceps nigra. Alarum nervi præsertim ad costam sat conspicui, area marginali elongata, angustata, apice modice late aperta; nervulo ad stigma transverso obliquo. Nervus axillaris, licet superioribus paullo tenuior, tamen sat perspicue adest, unde quinque (nec quatuor) apices nervorum marginem interiorem attingunt. Halteres fusci. Coxæ, femora et tibiæ rufo-flava, harum apice interdum dilute fuscescente. Trochanteres et femorum ima basis etiam pallide brunnescentia. Coxarum intermediarum ima basis, et posticarum basis paullo latius (fere ad tertiam partem), fusca. Tarsi nigricantes, matatarso sæpe dilutiori. In pedibus anticis femora et tibiæ subæque longa, metatarsus vero tibia paullulum brevior; calcar tibiarum breviusculum; in pedibus posticis tibiæ femoribus paullo longiores, metatarsus vero femori subæqualis l. illo paullulum brevior, calcaria tibiarum bina valida.

10. *Pl. fulvipes:* atra, antennis totis tarsisque concoloribus; alis lutescentibus, fascia ante apicem fusca, halteribus rufis, apice fuscis; pedibus rufis, coxis posticis in ♂, aut coxis omnibus externe in ♀, nigro-piceis. ♂♀. (Long. 2½—3½ lin. secundum Stæg. — 4 lin. secund. Meig.).

Meig. Dipt. 1. p. 235. 6? ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 277. 2. ♂♀.

Hab. in Dania, D. *Stæger;* sed neque locum specialem, neque tempus vigendi indicavit.

Pro specie, mihi ignota, descriptiones Auctorum citatorum nonnihil divergentes afferam:

♀. "Nigra. Alæ subflavescentes: ante apicem fascia fusca, quæ ad marginem anticum mox pone nervulum transversum incipit, et deinde — paullo angustior — perpendiculariter descendit versus marginem posticum, quem tamen non omnino attingit; pone hanc fasciam usque ad apicem ala cinerascens, qui color etiam veluti fimbria angusta per longitudinem marginis interioris continuatur. Halteres rufi, apice fusci. Pedes rufi, tarsis fuscis". *Meig.*

♂♀. "Differt a *Plat. femorali* antennis latioribus, subcompressis, pedibus rufis (nec testaceis), quorum coxis posticis in mare, et coxis omnibus in femina pallide fuscis. Alæ lutescentes, apice paullo obscuriore. Nervus furcatus anterior (Næstmarginalcellen Stæg.) nigricans, a quo fascia transversa decrescens, veluti umbra obsoleta, paullo versus marginem posteriorem extenditur. Proboscis vix exserta". *Stæg.*

11. *Pl. brunnipennis:* atra, antennis concoloribus; tarsis halteribusque nigris, horum basi rufa; alis brunneis; pedibus fusco-testaceis, coxarum femorumque basi, tibiarumque apice piceis. ♀. (Long. 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 277. 3. ♀.

Hab. in Dania, ubi duæ feminæ a D. *Drewsen* inventæ, teste D. *Stæger.* Mihi non obvia.

♀. "Antennæ paullo compressæ. Basis coxarum et femorum, ut et pars inferior tibiarum, piceæ. Tarsi nigri. Halteres nigri, basi rufi. Alæ brunneæ, ad marginem anteriorem, ab apice ad basin cellulæ posterioris 1:mæ, obscuriores. Proboscis vix exserta". *Stæg.*

Obs. Indicium nervorum directionis desideratur pro specie rite determinanda.

12. *Pl. dorsalis:* lutea, antennis obscuris, articulis 2 primis palpisque rufis; thorace supra nigro, nitido, metathorace maculisque lateralibus brunneis; abdomine maculis dorsalibus fuscis, segmentis 2 penultimis supra anoque nigris; alis flavicantibus. ♂. (Long. 3 lin.).

Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 278. 6. ♂.

Hab. in Dania, ubi 14 Jun. capt. secundum *Stæger.* Hæc a me neque lecta, neque lustrata.

♂. "Qvoad picturam valde similis a Macqvart descriptæ *Plat. bicolori,* sed hanc magnitudine longe excedit (*). Palpi et articuli 2 inferiores antennarum rufi, reliqui obscuri. Frons nigro-cinerea. Thorax (stethidium) rufus, supra nitidus, niger; metathorax et calli laterales brunnei. Scutellum flavum, linea longitudinali nigra. Abdomen rufum: segmentis 5 primis maculis dorsalibus obscuris, sensim decrescentibus, trigonis, apicibus retro versis; segmentis 6:to 7:moque supra, et anali toto, nigris. Alæ flavicantes, nervis testaceis. Halteres, coxæ et pedes flava; in apice articuli 2:di coxarum puncto nigro; tarsi paullo obscuri". *Stæg.*

13. *Pl. lugubris:* atra, antennis totis tarsisque concoloribus; alis hyalinis, macula anteapicali ad costam parva, cinerea, nervis apicibus 4 ad marginem interiorem descendentibus, halteribus nigris; pedibus rufo-flavis, coxis posterioribus nigricantibus. ♂. (Long. 2—2¼ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, minus frequens; scilicet in Helsingia ad Arbrå et diversorium Löfvik, tria

*) *Pl. bicolor* Macqv. 1¾ lin. long.

specimina 23—24 Aug. 1840, inveni; e Bottnia boreali a D. *Andersson* 1843 etiam communicata.

♂. Similis videtur *Pl. fulvipedi* (n:o 10), a qua vero magnitudine paullo minori, alis tantum puncto ante apicem cinereo, nec fascia fusca, halteribus totis nigris, ut et coxis posterioribus nigricantibus, diversa. Nec cohabitant. Caput cum antennis et palpis, stethidum, et abdomen, tota atra. Antennæ longitudine dimidii thoracis, cylindricæ. Proboscis non exserta. Abdomen angustum, pone medium paullulum latius, apice iterum paullo angustatum. Alæ sordide hyalinæ, margine antico subpallidiore; ad costam mox pone nervulum transversum macula parva, semiorbiculata, cinerea, plus minus conspicua, sed minime in fasciam descendentem dilatata; de cetero immaculatæ. Nervi longitudinales per tantum 4 apices ad marginem interiorem descendunt, axillaris nempe tantum vestigio. Area marginalis elongata, angusta, apice ad costam sat late aperta. Nervulus transversus ad stigma valde brevis et exiguus, perpendicularis. Halteres obscuri, petiolo interdum pallescente. Coxæ posteriores semper obscure brunneæ l. nigricantes, anticæ plerumque flavæ, basi interdum brunneæ. Femora et tibiæ omnia et tota rufo-flava. Tarsi nigri. Pedes antici: femoribus, tibiis et metatarso subæque longis; postici ut in *Pl. vitripenni* (9) constructi.

Var. b. similis var. a., sed fere duplo minor, et thorax magis nitens; forte hujus, quod tamen pro certo dicere non possum, quoniam ambo individua a D. *Andersson* e Lapponia Lulensi missa antennis abdomineque sunt mutilata.

14. *Pl. flavipes:* nigra, nitida, antennis tarsisque fuscis; palpis, halteribus pedibusque flavis; abdominis fasciis 4 rufo-flavis; alis subhyalinis, limbo apicali et postico cinereo, nervis apicibus 4 ad marginem interiorem descendentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 1. 237. 9? ♂. ($2\frac{1}{3}$ lin.). — Macqv. Buff. 1. 143. 6. ♂. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 278. 5. ♂♀., certe.

Pl. succincta Meig. Dipt. 7. 39. 22: "nigra; abdomine incisuris quatuor rufis; pedibus pallidis", (volente *Stæger*).

Hab. in Dania, e qua specimina a D. *Stæger* obtinui.

♂♀. Inter nostrates hujus generis minima. Gracilis, nigra, nitida. Antennæ obscuræ. Palpi flavi. Proboscis non exserta. Abdomen nigricans, segmentis 2, 3 et 4 margine apicali flavis, unde exstant tres fasciæ latiusculæ flavæ; in segmentis 1 et 5 etiam lineola transversa angusta ejusdem coloris. Alæ sordide hyalinæ, limbo a nervulo costali transverso, per apicem late, et per marginem interiorem modice late, continue fere ad basin alæ cinereo. Area marginalis elongata, angusta, apice proportione sat late aperta; nervulus transversus ad stigma parvus, perpendicularis; nervus axillaris rudimentarius. Halteres flavi. Pedes ut in *Pl. vitripenni* constructi, cum coxis totis pallide flavi, tarsis obscuris.

Obs. 1. E Lapponia Lulensi a D. *Andersson* obtinui individuum unicum, quod corporis magnitudinem, capitis stethidiique colorem et nitorem, ut et pedes (tarsis obscuris exceptis) cum coxis totis pallide flavos, simillimum speciei descriptæ, ad qvam tamen illud, abdomine deficiente, non nisi dubius referre possum.

Obs. 2. Inter notas a *Meigen* pro *Pl. flavipede* designanda allatas, sequentes cum nostra non bene quadrant, nempe: long. $2\frac{1}{3}$ lin.; prominentia quædam supra os; nervulus transversus ad costam extra fuscedinem ducitur.

†† ore longe rostrato.

15. *Pl. femoralis:* robusta, atra, antennis totis, proboscide valde exserta, palpisque concoloribus; alis hyalinis, limbo ad apicem latissime, ad marginem posticum sensim angustius, fusco, nervis apicibus 5 ad marginem interiorem descendentibus; halteribus pallidis, clava fusca; pedibus nigris, anteriorum femoribus tibiisque flavo-testaceis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 236. 7. ♀. Stæg. Dipt. Dan. 1840. p. 277. 1. ♂♀. Rossi, Dipt. Austr. 1848. p. 12. 1.

Hab. in Scandinavia minus frequens; scilicet e Gottlandia a D. *Boheman* femina communicata; in Jemtlandia marem mense Julio ipse inveni; e Dania masculum quoque sub nomine: *Pl. femoralis*, misit D. *Stæger*, secundum quem hæc species in Daniæ Umbellatis Jul. Aug. non raro occurrit.

♂♀. Præcedentibus paullo robustior; præterea corpore atro, femoribus tantum anterioribus rufo-flavis, proboscide longe exserta, etc., distincta. — Atra, parum nitida, tenuiter nigro-pubescens. Antennæ in ♂ longitudine fere thoracis, cylindricæ; in ♀ paullulum breviores et tenuiores. Proboscis nigra, saltem ad coxas medias extensa, recta, versus pectus declinata. Abdomen in ♂ modice latum, nigro-pubescens, apice obtuso, forficibus 2, parvis, rotundatis, hirtulis; in ♀ depressum, posterius distincte latius, apice late rotundato, genitalibus non exsertis. Alæ hyalinæ, limbo fusco: apicali valde lato circiter tertiam alæ partem occupante et nervulum transversum quoque occupante ibique paullo intensius fusco; deinde per marginem interiorem modice late fere usque ad basin continuato, licet sensim evanescente. Nervi omnes perspicui, obscuri. Area marginalis elongata, parallela, apice modice late aperta. Nervulus transversus ad stigma mediocris, obliquus. Si mavis alæ dicendæ fuscæ, plaga antica hyalina a basi et paullo pone medium extensa, ibique paullo latior. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes anteriores coxis tarsisque nigris, postici toti nigri. Femora anteriora flava l. flavo-testacea; tibiæ anteriores testaceæ. Variat etiam metatarso antico basi et tibiis posticis fusco-testaceis. Pedes de cetero ut in *Pl. vitripenni* constructi.